
יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII
Ps. CXIX 169
כדברך הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λόγος ὁ σὸς ἀλήθειά ἐστι



COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

PATRES TERTII ECCLESIÆ SÆCULI.

III.

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO DECOURCHANT,
VIA VULGO DICTA D'ERFURTH, N° 1.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. CAILLAU,

MISSIONUM GALLICARUM PRESBYTERO,

ET NONNULLIS CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE,
PRÆDICATORE REGIO, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:
BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

TOMUS TERTIUS.

BRUXELLIS,

APUD MÉQUIGNON-HAVARD, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE LA CHANCELLERIE.

M. DCCC. XXIX.


יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII
Ps CXIX
169
JOH XVII
17.
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

PATRES TERTII ECCLESIÆ SÆCULI.

III.

minem per suam incarnationem, et firme et vere in adventu suo donante nobis incorruptelam, per communionem quæ est ad eum; perierunt omnes hæreticorum doctrinæ.

Vani enim sunt qui putative dicunt eum apparuisse. Non enim putative hæc, sed in substantia veritatis fiebant. Si autem, cum homo non esset, apparebat homo; neque quod erat vere perseveravit, Spiritus Dei, quoniam invisibilis est Spiritus: neque veritas quædam erat in eo; non enim illud erat quod videbatur. Prædiximus autem, quoniam Abraham et reliqui Prophetæ prophetice videbant eum; id quod futurum erat, per visionem prophetantes. Si igitur et nunc talis apparuit, non existens quod videbatur, quædam prophetica visio facta est hominibus, et oportet alium expectare adventum ejus, in quo talis erit qualis nunc visus est prophetice. Ostendimus autem, quoniam idem est, putative dicere eum visum, et nihil ex Maria accepisse. Neque enim esset vere sanguinem et carnem habens, per quam nos redemit, nisi antiquam plasmationem Adæ in semetipsum recapitulasset. Vani igitur qui a Valentino sunt, hoc dogmatizantes uti excludant salutem carnis, et reprobent plasmationem Dei.

Vani autem et Ebionæi, unitionem Dei et hominis per fidem non recipientes in suam animam, sed in veteri generationis perseverantes fermento; neque intelligere volentes, quoniam Spiritus sanctus advenit in Mariam, et virtus Altissimi obumbravit eam: quapropter et quod generatum est sanctum est, et filius Altissimi Dei Patris omnium, qui operatus est incarnationem ejus, et novam ostendit generationem; uti quemadmodum per priorem generationem mortem hæreditavimus, sic per generationem hanc hæreditaremus vitam. Reprobant itaque hi commixtionem vini cœlestis, et solam aquam sæcularem volunt esse, non recipientes Deum ad commixtionem suam; perseverantes autem

in eo qui victus est, Adam, et projectus est de paradiso : non contemplantes, quoniam quemadmodum ab initio plasmationis nostræ in Adam ea quæ fuit a Deo aspiratio vitæ, unita plasmati, animavit hominem, et animal rationale ostendit; sic in fine Verbum Patris, et Spiritus Dei, adunitus antiquæ substantiæ plasmationis Adæ, viventem et perfectum effecit hominem, capientem perfectum Patrem : ut quemadmodum in animali omnes mortui sumus, sic in spirituali omnes vivificemur. Non enim effugit aliquando Adam manus Dei, ad quas Pater loquens, dicit : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram[1]. » Et propter hoc in fine non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex placito Patris manus ejus vivum perfecerunt hominem, uti fiat Adam secundum imaginem et similitudinem Dei.

Vani autem[2] et qui in aliena dicunt Deum venisse, velut aliena concupiscentem, uti eum hominem qui ab altero factus esset, exhiberet ei Deo qui neque fecisset, neque condidisset, sed et qui desolatus esset ab initio a propria hominum fabricatione. Non ergo justus adventus ejus, qui secundum eos venit in aliena; neque vere redemit nos sanguine suo, si non vere homo factus est, restaurans suo plasmati quod dictum est in principio, factum esse hominem secundum imaginem et similitudinem Dei, non aliena in dolo diripiens, sed sua propria juste et benigne assumens : quantum attinet quidem ad apostasiam, juste suo sanguine redimens nos ab ea; quantum autem ad nos, qui redempti sumus, benigne. Nihil enim illi ante dedimus, neque desiderat aliquid a nobis, quasi indigens : nos autem indigemus ejus quæ est ad eum communionis : et propterea benigne effudit semetipsum, ut nos colligeret in sinum Patris.

[1] Gen. I, 26.
[2] Cap. II, n. 1, p. 293.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

PATRES TERTII ECCLESIÆ SÆCULI.

III.

revocat ad incorruptelam, jam non potens est Deus. Sed quoniam potens est in omnibus, de initio nostro contemplari debemus: quoniam sumpsit Deus limum de terra, et formavit hominem. Et quidem multo difficilius et incredibilius est, ex non existentibus ossibus, et nervis, et venis, et reliqua dispositione quæ est secundum hominem, facere ad hoc ut sit, et quidem animalem et rationabilem facere hominem; quam quod factum est, et deinde resolutum est in terram, propter causas quas prædiximus, rursus redintegrare, licet in illa cesserit, unde et initio nondum factus, factus est homo. Qui enim initio eum qui non erat, fecit ut esset, quando voluit: multo magis eos qui jam fuerunt, rursus restituet volens in eam quæ ab eo datur vitam. Invenietur autem perceptrix et capax caro virtutis Dei, quæ ab initio percepit artem Dei. Et aliud quidem factum est oculus videns, aliud auris audiens, aliud manus palpans et operans, aliud nervi undique condensi, et continentes membra, aliud arteriæ et venæ, sanguinis et spiritus transitoria: aliud vero inviscera diversa; aliud sanguis, copulatio animæ et corporis. Quid enim? Non est numerum dicere universæ fabricationis quæ est secundum membra hominis, quæ non alias facta est, sed ex magna sapientia Dei. Quæ autem sapientiam participant Domini, participant et virtutem ejus.

Non igitur exsors est caro sapientiæ et virtutis Dei. Nam virtus ejus quæ vitam præstat, in infirmitate perficitur, id est, in carne. Dicant autem nobis, qui dicunt non esse capacem carnem illius vitæ quæ datur a Deo, utrum viventes nunc et participantes vitam dicunt hæc; an in totum vitæ quidem habentes nihil, mortuos autem semetipsos in præsenti confitebuntur? Et si quidem mortui; quomodo et moventur, et loquuntur, et reliqua faciunt, quæ non mortuorum, sed vivorum sunt opera? Si autem vivunt nunc,

et totum illorum corpus participat vitæ, quomodo audent dicere non esse carnem participatricem vitæ, confitentes habere se vitam in præsenti? Simile est quemadmodum si quis spongiam aquæ plenam tenens, vel faculam ignis, non posse participare aquæ dicat spongiam, neque faculam igni. Eo modo et hi vivere se dicentes, et portare vitam dicentes, et in suis membris exultantes, postea semetipsis contrarii existentes, dicunt non esse membra ipsorum percapabilia vitæ. Si autem hæc quæ est temporalis vita, cum sit multo infirmior quam illa æterna vita, tamen tantum potens est ut vivificet nostra membra mortalia; cur illa quæ est æterna vita, non vivificabit eam carnem quæ jam meditata et assueta sit portare vitam? Quoniam autem participatrix vitæ sit caro, ex hoc quod vivat, ostenditur; vivit enim, in quantum eam Deus vult vivere. Quoniam autem et Deus potens est præstare ei vitam, manifestum est. Illo enim præstante vitam nobis, vivimus. Et Dominus itaque cum sit potens vivificare plasma suum, et caro cum possit vivificari; quid superest quod prohibeat eam percipere incorruptelam, quæ est longa et sine fine a Deo attributa vita?

Latent autem[1] semetipsos, qui alterum affingunt Patrem, præter Demiurgum, et bonum eum vocant; infirmum, et inutilem, et negligentem inferentes eum : ut non dicamus, quoniam lividum et invidum, in eo quod dicant non vivificari ab eo nostra corpora. Cum enim dicant ea quæ omnibus sunt manifesta, quoniam perseverant immortalia, ut puta spiritus et anima, et quæ sunt talia, quoniam vivificantur a Patre; aliud autem quod non alias vivificatur, nisi illi Deus præstet, vita derelinqui : aut impotentem et infirmum ostendit Patrem ipsorum, aut invidum et lividum. Demiurgo enim et hic vivificante mortalia corpora nostra, et resurrectionem eis per Prophetas promittente,

[1] Cap. IV, p. 297.

quemadmodum ostendimus; quis potentior, et fortior, et vere bonus ostenditur? utrum Demiurgus, qui totum vivificat hominem; an falso cognominatus ipsorum Pater? Qui ea quidem quæ sunt natura immortalia, quibus a sua natura adest vivere, fingit se vivificare; quibus autem opus est ab eo adjutorium ut vivant, non vivificans illa benigne, sed relinquens illa negligenter in mortem. Utrum ergo et his vitam Pater ipsorum, cum possit præstare, non præstat; an cum non possit? Si quidem cum non possit, jam non potens est, neque perfectus super Demiurgum : Demiurgus enim præstat, quemadmodum adest videre, quod ille non potest præstare. Si autem cum possit præstare, non præstat; jam non bonus ostenditur, sed invidus et malignus Pater.

Si autem et causam aliquam dixerint, per quam non vivificat corpora Pater ipsorum; ipsam causam majorem necesse est apparere quam Patrem, obtinentem benignitatem ejus : et infirmabitur benignitas ejus, propter causam eam quæ ab ipsis dicitur. Quoniam autem possunt corpora percipere vitam, omnibus videre est. Vivunt enim in quantum ea Deus vult vivere : et jam non possunt dicere, quod minime valeant vitam capere. Si igitur propter necessitatem et causam aliam quamdam non vivificantur, quæ possunt participare vitam; erit necessitati et causæ serviens Pater ipsorum, et non jam liber et suæ potestatis in sen tentia.

4° Ex Dei conservatoris potestate[1] :

Quoniam autem multo tempore perseverant corpora, in quantum placuit Deo bene habere, legant Scripturas, et invenient eos qui ante nos fuerunt, septingentos, et octingentos, et nongentos annos supergressos : et consequeban-

[1] Cap. v, p. 298 et seq.

tur corpora ipsorum longinquitatem dierum, et participabant vitam, in quantum ea Deus vivere volebat. Quid autem de illis dicamus? Quandoquidem Enoch placens Deo, in quo placuit corpore translatus est, translationem justorum præmonstrans [1]. Et Helias, sicut erat in plasmatis substantia, assumptus est, assumptionem Patrum prophetans [2]: et nihil impediit eos corpus in translationem et assumptionem eorum. Per illas enim manus per quas in initio plasmati sunt, per ipsas assumptionem et translationem acceperunt. Assuetæ enim erant in Adam manus Dei coaptare, et tenere, et bajulare suum plasma, et ferre, et ponere ubi ipsæ vellent. Ubi ergo primus positus est homo? scilicet in paradiso, quemadmodum Scriptura dicit: « Et plantavit Deus » paradisum in Eden contra Orientem, et posuit ibi homi» nem quem plasmavit [3]. » Et inde projectus est in hunc mundum, non obediens. Quapropter dicunt presbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli, eos qui translati sunt, illuc translatos esse (justis enim hominibus et Spiritum habentibus præparatus est paradisus, in quem et Paulus Apostolus asportatus audivit sermones inenarrabiles [4], quantum ad nos in præsenti); et ibi manere eos qui translati sunt usque ad consummationem, coauspicantes incorruptelam.

Si autem quis impossibile æstimet tantis temporibus permanere homines, et Heliam non in carne assumptum, consumptam autem carnem ejus in igneo curru; intendat, quoniam Jonas quidem in profundum projectus est, et in ventrem ceti absorptus, salvus iterum exputus est terræ jussu Dei [5]. Ananias etiam, et Azarias, et Misael missi in caminum ignis septuplum exardentem, neque nociti sunt aliquid, neque odor ignis inventus est in eis [6]. Quæ igitur affuit illis manus Dei, et inopinata, et impossibilia naturæ

[1] Gen. v, 24. — [2] 4 Reg. II, 11. — [3] Gen. II, 8. — [4] 2 Cor. XII, 4. — [5] Jonæ I et II. — [6] Dan. III, 19 et seqq.

hominis in eis perficiens; quid mirum, si in his qui translati sunt effecit aliquid inopinatum, deserviens voluntati Patris? Hic est autem Filius Dei, quemadmodum Scriptura ait dixisse Nabuchodonosor regem : « Nonne tres viros mi» simus in caminum? Et ecce, ego video quatuor deambu» lantes in medio ignis, et quartus similis est Filio Dei. [1] » Neque igitur natura alicujus eorum quæ facta sunt, neque infirmitas carnis fortior erit super voluntatem Dei. Non enim Deus his quæ facta sunt, sed ea quæ facta sunt, subjecta sunt Deo : et omnia serviunt voluntati ejus. Quapropter et Dominus ait : « Quæ impossibilia sunt apud homines, » possibilia sunt apud Deum [2]. » Quemadmodum igitur his qui nunc sunt hominibus, ignorantibus dispositionem Dei, incredibile et impossibile videtur, tantos annos aliquem hominem posse vivere, et vixerunt hi qui ante nos fuerunt, et vivunt qui translati sunt, ad exemplum futuræ longitudinis dierum; et de ventre ceti, et de camino ignis salvos exisse, et tamen exierunt, educti velut manu Dei, ad ostensionem virtutis ejus : sic et nunc, quamvis quidam ignorantes virtutem et promissionem Dei, contradicant suæ saluti, impossibile existimantes posse Deum suscitantem corpora in sempiternum perseverationem eis donare; non tamen incredulitas talium evacuabit fidem Dei.

5° Ex corporum dignitate [3] :

Glorificabitur autem Deus in suo plasmate, conforme illud et consequens suo puero adaptans. Per manus enim Patris, id est, per Filium et Spiritum fit homo secundum similitudinem Dei, sed non pars hominis. Anima autem et Spiritus pars hominis esse possunt, homo autem nequa

[1] Dan. III, 91, 92. — [2] Luc. XVIII, 27.
[3] Cap. VI, p. 299 et seqq.

quam : perfectus autem homo, commixtio et adunitio est animæ assumentis Spiritum Patris, et admixta ei carni, quæ est plasmata secundum imaginem Dei. Propter quod et Apostolus ait : *Sapientiam loquimur inter perfectos*[1], perfectos dicens eos qui perceperunt Spiritum Dei, et omnibus linguis loquuntur per Spiritum Dei, quemadmodum et ipse loquebatur. Quemadmodum et multos audivimus fratres in Ecclesia, prophetica habéntes charismata, et per Spiritum universis linguis loquentes, et absconsa hominum in manifestum producentes ad utilitatem, et mysteria Dei enarrantes, quos et spirituales Apostolus vocat; secundum participationem Spiritus existentes spirituales, sed non secundum defraudationem et interceptionem carnis, et nude hoc ipsum solum. Si enim substantiam tollat aliquis carnis, id est, plasmatis, et nube ipsum solum spiritum intelligat, jam non spiritualis homo est, quod est tale, sed spiritus hominis, aut Spiritus Dei. Cum autem Spiritus hic commixtus animæ unitur plasmati, propter effusionem Spiritus, spiritualis et perfectus homo factus est : et hic est qui secundum imaginem et similitudinem factus est Dei. Si autem defuerit animæ Spiritus, animalis est vere, qui est talis, et carnalis derelictus imperfectus erit : imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem vero non assumens per Spiritum. Sicut autem hic imperfectus est; sic iterum si quis tollat imaginem, et spernat plasma, jam non hominem intelligere potest, sed aut partem aliquam hominis, quemadmodum prædiximus, vel aliud aliquid præter hominem. Neque enim plasmatio carnis ipsa secundum se homo perfectus est; sed corpus hominis, et pars hominis. Neque enim et anima ipsa secundum se homo; sed anima hominis, et pars hominis. Neque Spiritus homo : Spiritus enim, et non homo vocatur. Commixtio autem et unitio horum

[1] 1 Cor. II, 6.

omnium, perfectum hominem efficit. Et propter hoc Apostolus seipsum exponens, explanavit perfectum et spiritualem salutis hominem, in prima epistola ad Thessalonicenses dicens sic : « Deus autem pacis sanctificet vos perfectos; et » integer vester spiritus, et anima, et corpus sine querela » in adventum Domini Jesu Christi servetur[1]. » Et quam utique causam habebat his tribus, id est, animæ, et corpori, et Spiritui, integram et perfectam perseverationem precari in adventum Domini, nisi redintegrationem et adunitionem trium, et unam et eamdem ipsorum sciebat salutem? Propter quod et perfectos ait eos qui tria sine querela exhibent Domino. Perfecti igitur, qui et Spiritum in se perseverantem habuerint Dei, et animas et corpora sine querela servaverint; Dei, id est, illam quæ ad Deum est fidem servantes, et eam quæ ad proximum est justitiam custodientes.

Unde et templum Dei plasma esse ait : « Nescitis, *di-* » *cens*, quoniam templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat » in vobis? Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum » Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos[2]; » manifeste corpus templum dicens, in quo habitat Spiritus. Quemadmodum et Dominus de se ait : « Solvite hoc tem- » plum, et in tribus diebus suscitabo illud. Hoc autem, *in-* » *quit*, dicebat de corpore suo[3]. » Et non tantum templum, sed et templum Christi scit corpora nostra, Corinthiis dicens sic : « Nescitis quoniam corpora vestra membra Chri- » sti sunt? Tollens ergo membra Christi, faciam membra » meretricis[4]? » Non de alio quodam homine spirituali dicens hæc; non enim ille complectitur meretricem : sed corpus nostrum (id est caro quæ cum sanctimonia perseverat et munditia), membra dixit esse Christi; quando autem com-

[1] 1 Thessal. v, 23. — [2] 1 Cor. iii, 16. — [3] Joan. ii, 19, 21. — [4] 1 Cor. vi, 15.

plectitur meretricem, membra fieri meretricis. Et propter hoc dixit : « Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum » Deus [1]. » Templum igitur Dei, in quo Spiritus inhabitat Patris, et membra Christi non participare salutem, sed in perditionem redigi dicere, quomodo non maximæ est blasphemiæ? Quoniam autem corpora nostra, non ex sua substantia, sed ex Dei virtute suscitantur, Corinthiis dicit : « Corpus autem non fornicationi, sed Domino : et Domi- » nus corpori. Deus autem et Dominum suscitavit, et nos » suscitabit per virtutem suam [2]. »

6º Ex resurrectione Christi [3] :

Quomodo igitur Christus in carnis substantia surrexit, et ostendit discipulis figuras clavorum, et apertionem lateris [4] (hæc autem sunt indicia carnis ejus, quæ resurrexit a mortuis) : sic *et nos,* inquit, *suscitabit per virtutem suam* [5]. Et iterum ad Romanos ait : « Si autem Spiritus ejus, » qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui sus- » citavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora » vestra [6]. » Quæ sunt ergo mortalia corpora? Numquidnam animæ? Sed incorporales animæ, quantum ad comparationem mortalium corporum. « Insufflavit *enim* in faciem » hominis *Deus* flatum vitæ, et factus est homo in animam » viventem [7] : » flatus autem vitæ incorporalis. Sed ne mortalem quidem possunt dicere ipsum flatum vitæ existentem. Et propter hoc David ait : « Et anima mea illi vivet [8]; » tanquam immortali substantia ejus existente. Sed neque Spiritum possunt dicere mortale corpus. Quid igitur superest dicere mortale corpus, nisi plasma, id est, caro, de qua

[1] I Cor. III, 17. — [2] *Ibid.* VI, 13, 14.
[3] Cap. VII, p. 300 et seq.
[4] Joan. XX, 20 et seqq. — [5] I Cor. VI, 14. — [6] Rom. VIII, 11. — [7] Gen. II, 7. — [8] Psal. XXI, 31.

et sermo est, quoniam vivificabit eam Deus? Hæc enim est quæ moritur, et solvitur; sed non anima, neque Spiritus. Mori enim est vitalem amittere habilitatem, et sine spiramine in posterum, et inanimalem, et immemorabilem fieri, et deperire in illa, ex quibus et initium substantiæ habuit. Hoc autem neque animæ evenit; flatus est enim vitæ: neque Spiritui; incompositus est enim et simplex Spiritus, qui resolvi non potest, et ipse vita est eorum qui percipiunt illum. Superest igitur ut circa carnem mors ostendatur : quæ posteaquam exierit anima, sine spiratione et inanimal efficitur, et paulatim resolvitur in terram, ex qua sumpta est. Hæc igitur mortalis. Hæc autem de qua et dicit : « Vivificabit et mortalia corpora vestra. » Et propter hoc ait de ea, in prima ad Corinthios : « Sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione[1]. » Etenim « tu, ait, quod seminas non vivificatur, » nisi prius moriatur[2]. »

Quid est autem quod ut granum tritici seminatur, et putret in terra, nisi corpora quæ in terra ponuntur, in qua et semina jactantur? Et propter hoc dixit : « Seminatur in » ignobilitate, surget in gloria[3]. » Quid enim ignobilius carne mortua? Vel quid iterum gloriosius surgente ea, et percipiente incorruptelam? « Seminatur in infirmitate, » surgit in virtute[4] : » in infirmitate quidem sua, quoniam cum sit terra, in terram vadit; virtute autem Dei, qui eam suscitat a mortuis. « Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale[5]. » Indubitate docuit, quoniam neque de anima neque de spiritu sermo est ei, sed de mortificatis corporibus. Hæc sunt enim corpora animalia, id est, participantia animæ; quam cum amiserint, mortificantur : deinde per Spiritum surgentia, fiunt corpora spiritualia, uti per Spiritum semper permanentem habeant vitam. « Nunc

[1] 1 Cor. xv, 42. — [2] *Ibid.* 36. — [3] *Ibid.* 43. — [4] *Ibid.* — [5] *Ibid.* 44.

» enim, inquit, ex parte cognoscimus, et ex parte prophe» tamus : tunc autem facie ad faciem [1]. » Hoc est quod et a Petro dictum est : « Quem cum non videritis, diligitis; in » quem nunc quoque non videntes creditis, credentes au» tem exultabitis gaudio inenarrabili [2]. » Facies enim nostra videbit faciem Dei vivi, et gaudebit gaudio inenarrabili; videlicet cum suum videat gaudium.

7° Ex vanitate objectorum [3] :

Hoc autem est quod et in aliis ab Apostolo dicitur : « Quoniam caro et sanguis regnum Dei hæreditare non » possunt [4]. » Id est quod ab omnibus hæreticis profertur in amentiam suam, ex quo et nos retardare, et ostendere conantur, non salvari plasmationem Dei : non conspicientes quia sunt tria ex quibus, quemadmodum ostendimus, perfectus homo constat, carne, anima, et Spiritu : et altero quidem salvante et figurante, qui est Spiritus; altero quod unitur et formatur, quod est caro : id vero quod inter hæc est duo, quod est anima : quæ aliquando quidem subsequens Spiritum, elevatur ab eo; aliquando autem consentiens carni, decidit in terrenas concupiscentias. Quotquot ergo id quod salvat et format, et unitatem non habent, hi consequenter erunt et vocabuntur caro et sanguis; quippe qui non habent Spiritum Dei in se. Propter hoc autem et mortui tales dicti sunt a Domino : « Sinite enim, inquit, mor» tuos sepelire mortuos suos [5]; » quoniam non habent Spiritum qui vivificet hominem.

Quotquot autem timent Deum, et credunt in adventum Filii ejus, et per fidem constituunt in cordibus suis Spiritum Dei, hi tales juste homines dicentur, et mundi, et

[1] I Cor. XIII, 9, 12. — [2] I Pet. I, 8.
[3] Cap. IX, p. 302 et seq.
[4] I Cor. XV, 50. — [5] Luc. IX, 60.

spirituales, et viventes Deo : quia habent Spiritum Patris, qui emundat hominem, et sublevat in vitam Dei. Sicut enim *caro infirma*, sic *spiritus promptus*[1] a Domino testimonium accepit. Hic est potens perficere quæcumque in promptu habet. Si igitur hoc quod est promptum Spiritus admisceat aliquis velut stimulum infirmitati carnis; necesse est omnimodo, ut id quod est forte superet infirmum, ita ut absorbeatur infirmitas carnis a fortitudine Spiritus ; et esse eum qui sit talis, non jam carnalem, sed spiritualem, propter Spiritus communionem. Sic igitur martyres testantur, et contemnunt mortem, non secundum infirmitatem carnis, sed secundum quod promptus est Spiritus. Infirmitas enim carnis absorpta, potentem ostendit Spiritum ; Spiritus autem rursus absorbens infirmitatem, hæreditate possidet carnem in se : et ex utrisque factus est vivens homo ; vivens quidem propter participationem Spiritus, homo autem propter substantiam carnis.

Igitur caro sine Spiritu Dei mortua est ; non habens vitam, regnum Dei possidere non potest : sanguis irrationalis, velut aqua effusa in terram. Et propter hoc ait : *Qualis terrenus, tales terreni*[2]. Ubi autem Spiritus Patris, ibi homo vivens, sanguis rationalis ad ultionem a Deo custoditus, caro a Spiritu possessa, oblita quidem sui, qualitatem autem Spiritus assumens, conformis facta Verbo Dei. Et propterea ait : « Sicut portavimus imaginem ejus » qui de terra est, portemus et imaginem ejus qui de cœlo » est[3]. » Quid est ergo terrenum ? Plasma. Quid autem cœleste ? Spiritus. Sicut igitur, ait, sine Spiritu cœlesti conversati sumus aliquando in vetustate carnis, non obedientes Deo : sic nunc accipientes Spiritum, in novitate vitæ ambulemus, obedientes Deo. Quoniam igitur sine Spiritu Dei salvari non possumus, adhortatur Apostolus nos, per fi-

[1] Matth. xxvi, 41. — [2] 1 Cor. xv, 48. — [3] *Ibid.* 49.

dem et castam conversationem conservare Spiritum Dei, ut non sine participatione sancti Spiritus facti amittamus regnum cœlorum : et clamavit, non posse carnem solam et sanguinem regnum Dei possidere.

Si enim oportet verum dicere, non possidet, sed possidetur caro; sicut et Dominus ait : « Beati mites, quoniam » ipsi hæreditate possidebunt terram[1]; » quasi hæreditate possideatur terra in Regno, unde et substantia carnis nostræ est : et ideo mundum templum esse vult, ut delectetur Spiritus Dei in eo, quemadmodum sponsus ad sponsam. Sicut igitur sponsa assumere sponsum non potest, assumi autem a sponso potest, cum venerit et acceperit eam sponsus : sic et caro hæc secundum seipsam, id est, sola, regnum Dei hæreditate possidere non potest; hæreditate autem possideri in Regno a Spiritu potest. Hæreditate enim possidet, qui vivit, ea quæ sunt mortui : et aliud quidem est hæreditate possidere, aliud autem hæreditate possideri. Ille enim dominatur, et præest, et disponit ea quæ hæreditate possidet, quemadmodum ipse velit : illa vero subjecta sunt, et obediunt, et dominantur ab eo, et sub dominio sunt ejus qui possidet. Quid igitur est quod vivit? scilicet Spiritus Dei. Quæ sunt autem quæ sunt mortui? scilicet membra hominis, quæ et corrumpuntur in terra. Hæc autem possidentur a Spiritu, translata in regnum cœlorum. Propter hoc autem et Christus mortuus est, uti testamentum Evangelii apertum, et universo mundo lectum, primum quidem liberos faceret servos suos; post deinde hæredes eos constitueret eorum quæ essent ejus, hæreditate possidente Spiritu, quemadmodum demonstravimus. Hæreditate enim possidet ille qui vivit, hæreditate autem acquiritur caro. Ut non amittentes eum qui nos possidet Spiritum, amittamus vitam, adhortans nos Apostolus ad Spiritus communicatio-

[1] Matth. v, 5.

nem, secundum rationem quæ prædicta sunt dixit : « Quoniam caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt. » Velut si dicat : Nolite errare; quoniam nisi Verbum Dei inhabitaverit, et Spiritus Patris fuerit in vobis, vane autem, et prout evenit, conversati fueritis, quasi hoc tantum, caro et sanguis existentes, regnum Dei possidere non poteritis.

8° Ex Christi miraculis[1] :

Fabricator enim universorum Dei Verbum, qui et ab initio plasmavit hominem, a malitia inveniens labefactatum suum plasma omni modo curavit : hoc quidem et secundum unumquodque membrum, sicut et in suo plasmate est; hoc autem et in semel totum sanum et integrum redintegravit hominem, perfectum eum sibi præparans ad resurrectionem. Et quam enim causam habebat carnis membra curare et restituere in pristinum characterem, si non habebant salvari quæ ab illo curata fuerant? Si enim temporalis erat ab eo utilitas, nihil grande præstitit his qui ab eo curati sunt. Aut quomodo dicunt non esse capacem carnem vitæ, quæ est ab eo, quæ percepit curationem ab eo? Vita enim per curationem, incorruptela autem per vitam efficitur. Qui igitur curationem confert, hic et vitam : et qui vitam, hic et incorruptela circumdat plasma suum.

Dicant enim[2] nobis hi qui contraria dicunt, id est, qui contradicunt suæ saluti : summi sacerdotis mortua filia[3], et viduæ filius qui circa portam mortuus efferebatur[4], et Lazarus qui in monumento quartam habebat diem[5], in quibus resurrexerint corporibus? In iisdem ipsis scilicet, in quibus et mortui fuerant. Si enim non in iisdem ipsis, videlicet nec iidem ipsi qui mortui erant resurrexerunt. Sed enim « ap-

[1] Cap. xii, n. 6, p. 307.
[2] Cap. xiii, n. 1, p. 308.
[3] Marc. v, 22. — [4] Luc. vii, 12. — [5] Joan. xi, 39.

» prehendit (ait) Dominus manum mortui, et dixit ei : Ju-
» venis, tibi dico, surge : et sedit mortuus; et jussit ei dari
» manducare, et dedit eum matri suæ[1]. » Et Lazarum « vo-
» cavit voce magna, dicens : Lazare, veni foras : et exivit
» (inquit) mortuus, colligatus pedes et manus institis[2]. »
Hoc symbolum ejus hominis qui illigatus fuerat in peccatis. Et propter hoc ait Dominus : « Solvite illum, et dimit-
» tite abire. » Sicut igitur qui curati sunt, in his quæ ante passa fuerant membra curati sunt; et mortui in iisdem surrexerunt corporibus, membris et corporibus ipsorum percipientibus curationem, et eam vitam quæ dabatur a Domino, per temporalia præformante æterna, et ostendente quoniam ipse est qui et curationem plasmati suo et vitam præstare potest, uti ejus de resurrectione quoque credatur sermo : sic et in fine *in novissima tuba*[3] clamante Domino, resurrecturi sunt mortui, quemadmodum ipse ait :
« Veniet hora, in qua omnes mortui, qui in monumentis
» sunt, audient vocem Filii hominis : et exient qui bona fe-
» cerunt, in resurrectionem vitæ ; et qui mala operati sunt,
» in resurrectionem judicii[4]. »

9º Ex verbis Apostoli[5] :

Vani igitur et vere infelices, qui sic manifesta et clara nolunt conspicere, sed fugiunt lumen veritatis, secundum tragicum Œdipodem semetipsos excæcantes. Et quemadmodum in palæstra insueti concertantes aliis, unam quamlibet partem corporis totis complectentes manibus, per illud quod detinent, cadent, et cadentes putant se vincere, eo quod contentiose teneant illud quod primum apprehenderunt membrum, super hoc autem quod ceciderunt, et de-

[1] Marc. v, 41, 43, et Luc. vii, 14, 15. — [2] Joan. xi, 43, 44. — [3] 1 Cor. xv, 52. — [4] Joan. v, 28, 29.
[5] Cap. xiii, n. 2, 3, 4, 5. p. 308 et seq.

risui habentur : sic autem et hæretici, « Caro et sanguis » regnum Dei possidere non possunt[1], » duas dictiones tollentes a Paulo, neque sensum Apostoli perspexerunt, neque virtutem dictionum scrutati sunt; nude autem ipsas dictiones tenentes, circa eas moriuntur, universam dispositionem Dei, quantum in ipsis est, evertentes.

Sic enim proprie de carne hoc dictum dicent, et non de carnalibus operationibus, quemadmodum demonstravimus, ipsum sibi contraria Apostolum dicentem ostendentes. Ait enim statim in eadem epistola demonstrative de carne sic dicens : « Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum » autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet » sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. Ubi » est mors aculeus tuus? ubi est mors victoria tua[2]? » Hæc autem juste dicentur tunc, quando mortalis hæc et corruptibilis caro, circa quam et mors est, quæ et quodam dominio mortis pressa est, in vitam conscendens, induerit incorruptelam et immortalitatem. Tunc enim vere erit victa mors, quando ea quæ continetur ab ea caro, exierit de dominio ejus. Et rursus ad Philippenses ait : « Nostra autem » conversatio in cœlis est; unde et Salvatorem expectamus » Dominum Jesum, qui transfigurabit corpus humilitatis » nostræ conforme corpori gloriæ suæ, ita ut possit secun» dum operationem virtutis suæ[3]. » Quod igitur est humilitatis corpus, quod transfigurabit Dominus conformatum corpori gloriæ suæ? Manifestum est quoniam corpus quod est caro, quod et humiliatur cadens in terram. Transfiguratio autem ejus, quoniam cum sit mortalis et corruptibilis, immortalis fit et incorruptibilis : non secundum propriam substantiam, sed secundum Domini operationem, qui potest mortali immortalitatem, et corruptibili circumdare incor-

[1] 1 Cor. xv, 50. — [2] *Ibid.* 55. — [3] Philip. iii, 20, 21.

ruptibilitatem. Et propter hoc ait in secunda ad Corinthios: « Ut absorbeatur mortale a vita. Qui autem perficit nos in » hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus[1]; » manifestissime hoc de carne dicens: nec enim anima mortalis, neque spiritus. Absorbetur autem mortale a vita, quando et caro jam non mortua, sed viva et incorrupta perseveraverit, hymnum dicens Deo, qui in hoc ipsum perficit nos. Ut ergo in hoc perficiamur, bene Corinthiis ait: « Glorificate » Deum in corpore vestro[2]. » Deus incorruptibilitatis est effector.

Quoniam autem non de alio quodam corpore, sed de corpore carnis dicit hæc, manifeste et indubitate, et sine ulla ambiguitate Corinthiis ait: « Semper mortificationem » Jesu in corpore nostro circumferentes, ut vita Jesu Christi » in corpore nostro manifestetur. Semper enim qui vivimus, » in mortem tradimur per Jesum, ut et vita Jesu manifes» tetur in carne mortali nostra[3]. » Et quoniam Spiritus *complectitur* carnem, in eadem epistola ait: « Quoniam » estis epistola Christi, ministrata a nobis, inscripta non » atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, » sed in tabulis cordis carnalibus[4]. » Si ergo nunc corda carnalia capacia Spiritus fiunt; quid mirum si in resurrectione eam quæ a Spiritu datur, capiunt vitam? De qua resurrectione Apostolus in ea quæ est ad Philippenses ait: « Conformis morti ejus, si quo modo occurram ad resur» rectionem quæ est a mortuis[5]. » In qua igitur alia mortali carne intelligi potest vita manifestari, nisi in hac substantia quæ et mortificatur propter eam, quæ est ad Deum, confessionem? Quemadmodum ipse dixit: « Si secundum » hominem cum bestiis Ephesi pugnavi, quid mihi prodest, » si mortui non resurgunt[6]? Si enim mortui non resurgunt,

[1] 2 Cor. v, 4, 5. — [2] 1 Cor. vi, 20. — [3] 2 Cor. iv, 10, 11. — [4] 2 Cor. iii, 3. — [5] Philip. iii, 10, 11. — [6] 1 Cor. xv, 32.

» neque Christus resurrexit : si autem Christus non resur-
» rexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides ves-
» tra. Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testi-
» ficamur quod suscitavit Christum, quem non suscitavit.
» Si enim mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.
» Si autem Christus non resurrexit, inanis est fides vestra :
» quoniam adhuc estis in peccatis vestris. Ergo et qui dor-
» mierunt in Christo, perierunt. Si in vita hac in Christo
» sperantes sumus tantum, miserabiliores omnibus sumus
» hominibus. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis,
» primitiæ dormientium : quoniam enim per hominem mors,
» et per hominem resurrectio mortuorum[1]. »

In his igitur omnibus, quemadmodum prædiximus, aut contraria sentientem sibimetipsi Apostolum dicent, quantum ad illud, « Caro et sanguis regnum Dei possidere » non possunt; » aut iterum malignas et extortas cogentur omnium dictorum facere expositiones, ad transvertendam et immutandam sententiam dictorum. Quid enim dicere habebunt sanum, si conabuntur aliter interpretari hoc quod scribit : « Oportet enim corruptibile hoc induere incorrup- » telam, et mortale hoc induere immortalitatem[2]; » et : « Ut vita Jesu manifestetur in carne mortali nostra[3]; » et reliqua omnia in quibus Apostolus manifeste et clare resurrectionem et incorruptelam carnis prædicat? Cogentur itaque hæc tanta male interpretari, qui unum nolunt bene intelligere.

10° Ex veritate corporis Christi[4] :

Quoniam autem non adversus ipsam substantiam carnis et sanguinis dixit Apostolus, non possidere regnum Dei, ubique idem Apostolus in Domino Jesu Christo usus

[1] 1 Cor. xv, 13 et seqq. — [2] *Ibid.* 53. — [3] 2 Cor. iv, 11.
[4]. Cap. xiv, p. 310.

est carnis et sanguinis nomine; aliquid quidem, uti hominem ejus statueret (etenim ipse semetipsum Filium dicebat hominis); aliquid autem, uti salutem carnis nostræ confirmaret. Si enim non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset; et si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus. Sed quoniam ab initio vocalis est sanguis, Deus ad Cain dixit, cum occidisset fratrem suum : « Vox sanguinis fratris » tui clamat ad me[1]. » Et quoniam haberet exquiri sanguis ipsorum, dixit ad eos qui circa Noe erant : « Etenim vestrum sanguinem animarum vestrarum exquiram illum de » manu omnium bestiarum[2]. » Et iterum : « Qui effundet » sanguinem hominis, pro sanguine ejus effundetur. » Similiter autem et Dominus his qui habebant ejus sanguinem effundere dicebat : « Exquiretur omnis sanguis justus, » qui effunditur super terram, a sanguine Abel justi usque » ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis » inter Templum et altare : etiam dico vobis, venient omnia ista super generationem istam[3]; » recapitulationem effusionis sanguinis ab initio omnium justorum et Prophetarum in semetipsum futuram indicans, et exquisitionem sanguinis ipsorum per semetipsum. Non autem exquireretur hoc, nisi et salvari haberet : nec in semetipsum recapitulatus esset hæc Dominus, nisi et ipse caro et sanguis secundum principalem plasmationem factus fuisset, salvans in semetipso in fine illud quod perierat in principio in Adam.

Si autem ob aliam quamdam dispositionem Dominus incarnatus est, et ex altera substantia carnem attulit, non ergo in semetipsum recapitulatus est se hominem : adhuc etiam nec caro quidem dici potest. Caro enim vere primæ plasmationis e limo facta est successio. Si autem ex alia sub-

[1] Genes. IV, 10. — [2] *Ibid.* IX, 5, 6. — [3] Luc. XI, 50, et Matth. XXIII, 35.

stantia habere eum oportuit materiam, ab initio ex altera substantia Pater operatus fuisset fieri conspersionem ejus. Nunc autem quod fuit, qui perierat, homo, hoc salutare factum est Verbum; per semetipsum eam quæ esset ad eum communionem, et exquisitionem salutis ejus efficiens. Quod autem perierat, sanguinem et carnem habebat. Limum enim de terra accipiens Dominus, plasmavit hominem : et propter hunc omnis dispositio adventus Domini. Habuit ergo et ipse carnem et sanguinem; non alteram quamdam, sed illam principalem Patris plasmationem in se recapitulans, exquirens id quod perierat. Et propter hoc Apostolus in epistola quæ est ad Colossenses, ait : « Et vos » cum essetis aliquando alienati, et inimici cogitationi ejus » in operibus malis, nunc autem reconciliati in corpore » carnis ejus, per mortem ejus, exhibere vos sanctos, et » castos, et sine crimine in conspectu ejus[1]. » *In corpore*, ait, *reconciliati carnis ejus;* hoc quoniam justa caro reconciliavit eam carnem quæ in peccato detinebatur, et in amicitiam adduxit Deo.

Si quis igitur secundum hoc alteram dicit Domini carnem a nostra carne, quoniam illa quidem non peccavit, neque inventus est dolus in anima ejus, nos autem peccatores, recte dicit. Si autem alteram substantiam carnis Domino affingit, jam non constabit illi reconciliationis sermo. Reconciliatur enim illud quod fuit aliquando in inimicitia. Si autem ex altera substantia carnem attulit Dominus, jam non illud reconciliatum est Deo, quod per transgressionem factum fuerat inimicum. Nunc autem per eam quæ est ad se communicationem, reconciliavit Dominus hominem Deo Patri; reconcilians nos sibi per corpus carnis suæ, et sanguine suo redimens nos, quemadmodum Apostolus Ephesiis ait : « In quo habuimus redemptionem per sanguinem ejus,

[1] Coloss. I, 21, 22.

» remissionem peccatorum[1]. » Et rursus eisdem : « Vos, » inquit, qui aliquando eratis longe, facti estis juxta, in » sanguine Christi[2]. » Et iterum : « Inimicitias in carne sua, » Legem præceptorum decretis evacuans[3]. » Et in omni autem epistola manifeste testificatur Apostolus, quoniam per carnem Domini nostri et sanguinem ejus nos salvati sumus.

Si igitur caro et sanguis sunt quæ faciunt nobis vitam, non proprie de carne dictum est et sanguine, non posse ea possidere regnum Dei; sed de prædictis carnalibus actibus, qui ad peccatum transvertentes hominem, privant eum vita. Et propter hoc in epistola quæ est ad Romanos ait : « Non ergo regnet peccatum in corpore mortali » vestro ad obediendum ei : neque exhibeatis membra ves» tra arma injustitiæ peccato : sed exhibete vosmetipsos » Deo, velut a mortuis viventes, et membra vestra arma » justitiæ Deo[4]. » Quibus igitur membris serviebamus peccato, et fructificabamus morti, iisdem ipsis membris servire nos vult justitiæ, ut fructificemus vitæ[5]. Memor igitur, dilectissime, quoniam carne Domini nostri redemptus es, et sanguine ejus redhibitus, « et tenens caput, ex quo univer» sum corpus *Ecclesiæ* compaginatum augescit[6], » hoc est, carnalem adventum Filii Dei, et Deum confitens, et hominem ejus firmiter excipiens, utens etiam his ostensionibus quæ sunt ex Scripturis, facile evertis, quemadmodum demonstravimus, omnes eas quæ postea affictæ sunt, hæreticorum sententias.

11° Ex oraculis Prophetarum[7] :

Quoniam autem is qui ab initio condidit hominem, post resolutionem ejus in terram promisit ei secundam ge-

[1] Ephes. I, 7. — [2] *Ibid.* II, 13. — [3] *Ibid.* 14, 15. — [4] Rom. VI, 12, 13. — [5] *Ibid.* 21, 22, et VII, 5, 6. — [6] Coloss. II, 19.
[7] Cap. XV, n. 1, p. 311.

nerationem, Esaias quidem sic ait : « Resurgent mortui, et » surgent qui in monumentis, et lætabuntur qui sunt in » terra. Ros enim qui a te est, sanitas est eis[1]. » Et iterum : « Ego vos advocabo, et in Hierusalem advocabimini, et vi» debitis, et gratulabitur cor vestrum, et ossa vestra quasi » herba orientur, et cognoscetur manus Domini his qui co» lunt eum[2]. » Et Ezechiel autem sic : « Et facta est super » me manus Domini, et eduxit me in spiritu Dominus, et » posuit me in medio campi, et hic erat plenus ossibus, et » circumduxit me super ea in circuitum in gyro, et ecce » multa super faciem campi arida valde. Et dixit ad me : » Fili hominis, si vivunt ossa hæc? Et dixi : Domine, tu scis, » qui fecisti hæc. Et dixit ad me : Prophetare super ossa » hæc, et dices eis : Ossa arida, audite sermonem Domini. » Hæc dicit Dominus ossibus his : Ecce, ego superduco su» per vos spiritum vitæ, et dabo super vos nervos, et reduco » super vos carnem, et extendam super vos cutem, et dabo » spiritum meum in vos, et vivetis, et cognoscetis quia ego » sum Dominus. Et prophetavi, sicut præcepit mihi Domi» nus. Et factum est cum prophetarem, et ecce terræ mo» tus, et adducebantur ossa unumquodque ad compaginem » suam : et vidi, et ecce super ea nervi et carnes nasceban» tur, et ascendebant super ea cutes desuper, et spiritus non » erat in eis. Et dixit ad me : Ad spiritum propheta, fili ho» minis, et dic spiritui : Hæc dicit Dominus : A quatuor spi» ritibus veni, et insuffla in mortuos istos, et vivant. Et » prophetavi, quemadmodum præcepit mihi Dominus, et » intravit in eos spiritus, et vixerunt, et steterunt supra » pedes suos collectio multa valde[3]. » Et rursus ipse ait : « Hæc dicit Dominus : Ecce, ego aperiam monumenta ves» tra, et educam vos de monumentis vestris, et inducam vos » in terram Israel : et cognoscetis quia ego sum Dominus,

[1] Isa. XXVI, 19. — [2] *Ibid.* LXVI, 13, 14. — [3] Ezech XXXVII, 1 et seqq.

» cum aperiam ego sepulcra vestra, ut reducam de sepul-
» cris populum meum; et dabo spiritum meum in vos, et
» vivetis, et ponam vos in terram vestram, et cognoscetis
» quia ego Dominus. Locutus sum, et faciam, dicit Domi-
» nus[1]. » Demiurgo itaque et hic vivificante corpora nostra mortua, quemadmodum videre adest, et resurrectionem eis repromittente, et de sepulcris et monumentis suscitationem et incorruptelam donante : « Secundum enim lignum
» vitæ, ait, dies ipsorum erunt[2]; » hic solus Deus ostenditur qui hæc facit, et ipse bonus Pater, benigne vitam donans his qui ex se non habeant vitam.

12° Ex cæci nati curatione[3] :

Et propter hoc manifestissime Dominus ostendit se, et Patrem quidem suis discipulis; ne scilicet quærerent alterum Deum, præter eum qui plasmaverit hominem, et afflatum vitæ donaverit ei; neque in tantam insaniam procederent, uti super Demiurgum alterum affingerent Patrem. Et ideo reliquos quidem omnes, quibuscumque propter transgressionem eorum eveniebant languores, curabat sermone; quibus et dicebat : « Ecce sanus factus es, jam noli
» peccare, ne quid tibi deterius fiat[4]; » manifestans quoniam propter inobedientiæ peccatum subsecuti sunt languores hominibus. Ei autem qui cæcus fuerat a nativitate, jam non per sermonem, sed per operationem præstitit visum; non vane, neque prout evenit hoc faciens, sed ut ostenderet manum Dei, eam quæ ab initio plasmavit hominem. Et propterea interrogantibus eum discipulis, qua ex causa cæcus natus esset, utrumne sua, an parentum culpa? ait : « Nec hic peccavit, neque parentes ejus, sed

[1] Ezech. XXXVII, 12 et seqq. — [2] Isa. LXV, 22.
[3] Cap. XV, n. 2, 3, 4. p. 311 et seq.
[4] Joan. V, 14.

» ut manifestentur opera Deï in ipso[1]. » Opera autem Dei plasmatio est hominis. Hanc enim per operationem fecit, quemadmodum Scriptura ait : « Et sumpsit Dominus limum » de terra, et plasmavit hominem[2]. » Quapropter et Dominus expuit in terram, et fecit lutum, et superlinivit illud oculis ; ostendens antiquam plasmationem quemadmodum facta est, et manum Dei manifestans his qui intelligere possint, per quam e limo plasmatus est homo. Quod enim in ventre plasmare prætermisit artifex Verbum, hoc in manifesto adimplevit ; uti manifestarentur opera Dei in ipso, nec jam alteram requireremus manum per quam plasmatus est homo, neque alterum Patrem : scientes quoniam quæ plasmavit nos initio, et plasmat in ventre manus Dei, hæc in novissimis temporibus perditos exquisivit nos, suam lucrifaciens et super humeros assumens ovem perditam, et cum gratulatione in cohortem restituens vitæ.

Quoniam autem in ventre plasmat nos Verbum Dei, ait Jeremiæ : « Priusquam plasmarem te in utero, novi te, » et priusquam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus posui te[3]. » Sed et Paulus similiter ait : « Quando autem complacuit ei qui me segregavit ex utero » matris meæ, uti evangelizarem eum in gentibus[4]. » Cum ergo in ventre a Verbo plasmemur, idipsum Verbum ei qui a nativitate cæcus fuerat, formavit visionem; eum qui in abscondito plasmator noster est, in manifesto ostendens, quoniam ipsum Verbum manifestum hominibus factum fuerat : et antiquam plasmationem Adæ disserens, et quomodo factus est, et per quam plasmatus est manum, ex parte totum ostendens. Quí enim visionem formavit Dominus, hic est qui universum hominem formavit, voluntati Patris deserviens. Et quoniam in illa plasmatione quæ secundum Adam fuit, in transgressione factus homo indigebat lavacro

[1] Joan. IX, 3. — [2] Gen. II, 7. — [3] Jerem. I, 5. — [4] Galat. I, 15, 16.

regenerationis, postquam linivit lutum super oculos ejus, dixit ei : « Vade in Siloam, et lavare[1]; » simul et plasmationem, et eam quæ est per lavacrum regenerationem restituens ei. Et propter hoc lotus venit videns, ut et suum cognosceret plasmatorem, et disceret homo eum qui donavit ei vitam.

Excidunt itaque et hi qui a Valentino sunt, dicentes non ex hac terra plasmatum esse hominem, sed a fluida materia et effusa. Ex qua enim terra Dominus ei formavit oculos, ex hac manifestum est quoniam et ab initio plasmatus est homo. Non enim consequens erat, aliunde quidem oculos, aliunde autem reliquum corpus plasmatum esse : quemadmodum nec consequens est, alterum quidem corpus, alterum vero plasmasse oculos. Sed idem ipse qui ab initio plasmavit Adam, cum quo et loquebatur Pater : « Faciamus hominem secundum imaginem et similitudi» nem nostram[2]; » in novissimis temporibus semetipsum *manifestans* hominibus, ei qui ab Adam cæcus erat formavit visionem. Et propter hoc Scriptura, significans quod futurum erat, ait, abscondito Adam propter inobedientiam, Dominum venisse vespere ad eum, et evocasse eum, et dixisse ei : « Ubi es[3]? » Hoc est, quoniam in novissimis temporibus idipsum venit Verbum Dei advocare hominem, recommemorans eum opera sua, in quibus degens absconditus fuerat Domino. Quemadmodum enim tunc ad Adam vespere locutus est exquirens illum Deus; sic in novissimis temporibus per eamdem vocem visitavit exquirens genus ejus.

[1] Joan. IX, 7. — [2] Genes. I, 26. — [3] Genes. III, 9.

ARTICULUS II.

APPENDICES CONTRA HÆRETICOS.

Hic quatuor quasi appendices occurrunt, nempe, 1° de creatione et incarnatione; 2° de hæreticorum novitate; 3° de potestate Satanæ; 4° de Antichristo.

§ I.

DE CREATIONE ET INCARNATIONE.

Est autem hic Demiurgus [1], qui secundum dilectionem quidem Pater est; secundum autem virtutem, Dominus; secundum autem sapientiam, factor et plasmator noster : cujus et præceptum transgredientes, inimici facti sumus ejus. Et propter hoc in novissimis temporibus, in amicitiam restituit nos Dominus per suam incarnationem, « mediator » Dei et hominum [2] » factus; propitians quidem pro nobis Patrem, in quem peccaveramus, et nostram inobedientiam per suam obedientiam consolatus; nobis autem donans eam quæ est ad factorem nostrum, conversationem et subjectionem. Quapropter et in oratione dicere nos docuit : « Et re» mitte nobis debita nostra [3]; » utique quoniam hic est Pater noster, cujus eramus debitores, transgressi ejus præceptum. Quis autem est hic? Utrumne incognitus aliquis, et nulli nunquam præceptum dans Pater? An vero qui a Scripturis prædicatur Deus, cui et debitores eramus, trangressi ejus præceptum? Datum est autem præceptum homini per Verbum : « Audivit enim Adam, ait, vocem Domini Dei [4]. » Bene igitur Verbum ejus ad hominem dicit : « Remittun» tur tibi peccata [5]; » idem ille, in quem peccaveramus in

[1] Cap. xvii. p. 313 et seq.

[2] 1 Timoth. ii, 5.—[3] Matth. vi, 12.—[4] Gen. iii, 8, 10.—[5] Matth. ix, 2.

initio, remissionem peccatorum in fine donans. Aut si alterius quidem transgressi sumus præceptum, alius autem erat qui dixit, *Remittuntur tibi peccata tua*; neque bonus, neque verax, neque justus est hujusmodi. Quomodo enim bonus, qui non ex suis donat? Aut quomodo justus, qui aliena rapit? Quomodo autem vere remissa sunt peccata, nisi ille ipse in quem peccavimus donavit remissionem, « per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit » nos [1] » per Filium suum?

Quapropter et curato paralytico : « Videntes, inquit, » populi clarificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem » hominibus [2]. » Quem igitur Deum clarificaverunt circumstantes populi? Numquidnam ab hæreticis inventum, incognitum Patrem? Et quomodo eum qui initio tunc non cognoscebatur ab eis, glorificabant? Manifestum est ergo, quoniam eum qui a Lege et Prophetis prædicatus est Deus, glorificabant Israelitæ, qui et est Pater Domini nostri : et propter hoc docebat homines in sensu, per ea signa quæ faciebat, dare gloriam Deo. Si autem ab altero quidem Patrem ipse venisset, alterum autem Patrem glorificabant homines videntes ejus virtutes; ingratos eos in eum Patrem qui miserat curationem, efficiebat. Sed quoniam ab eo qui est Deus, unigenitus Filius venerat ad salutem hominum, et incredulos per eas quas faciebat virtutes, provocabat dare gloriam Patri : et non recipientibus adventum Filii ejus, et propter hoc non credentibus quæ ab eo fiebat remissioni, Pharisæis dicebat : « Ut sciatis quoniam potestatem habet » Filius hominis remittere peccata [3]; » et hoc cum dixisset, jussit paralyticum hominem tollere grabatum, super quem jacebat, et ire in domum suam : per hoc quod efficit, confundens incredulos, et significans quoniam ipse est vox Dei, per quam accepit homo præcepta, quæ supergressus est;

[1] Luc. I, 78. — [2] Matth. IX, 8. — [3] *Ibid.*, 6.

et factus est peccator; ex peccatis enim paralysis subsecuta est.

Peccata igitur remittens, hominem quidem curavit, semetipsum autem manifeste ostendit quis esset. Si enim nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus; remittebat autem hæc Dominus, et curabat homines: manifestum quoniam ipse erat Verbum Dei, Filius hominis factus, a Patre potestatem remissionis peccatorum accipiens; quoniam homo, et quoniam Deus: ut quomodo homo compassus est nobis, tanquam Deus misereatur nostri, et remittat nobis debita nostra, quæ factori nostro debemus Deo. Et propter hoc David prædixit: « Beati quorum remissæ sunt » iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus homo » cui non imputavit Dominus peccatum[1]; » eam quæ per adventum ejus est remissionem præmonstrans, per quam « delevit chirographum » debiti nostri, « et affixit illud » cruci[2]: » uti quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus nostri debiti remissionem.

Hoc et per alios quidem multos, jam autem et per Heliseum prophetam significanter ostensum est. Cum enim hi qui cum illo erant prophetæ conciderent ligna ad fabricationem tabernaculi, et ferrum excussum de securi cecidisset in Jordanem, et non inveniretur ab ipsis; veniens autem Heliseus in ipsum locum, cum didicisset quid esset factum, lignum in aquam misit: hoc autem cum fecisset, supernatavit ferrum securis, et de superficie aquæ sumpserunt illud qui ante amiserant[3]: per operationem ostendente Propheta, quod firmum verbum Dei, quod per lignum negligenter amiseramus, nec inveniebamus, recepturi essemus iterum per ligni dispositionem. Quoniam autem securi similis est verbum Dei, Joannes Baptista ait de eo: « Jam

[1] Psal. xxxi, 1, 2. — [2] Coloss. ii, 14. — [3] 4 Reg. vi, 4 et seqq.

» autem securis ad radicem arborum posita est[1]. » Et Hieremias autem similiter ait : « Verbum Domini, quemadmo» dum bipennis cædens petram[2]. » Hoc ergo verbum absconditum a nobis manifestavit, quemadmodum prædiximus, ligni dispositio. Quoniam enim per lignum amisimus illud, per lignum iterum manifestum omnibus factum est, ostendens altitudinem, et longitudinem, et latitudinem in se : et (quemadmodum dixit quidam de senioribus) per extensionem manuum, duos populos ad unum Deum congregans *Duæ* quidem manus, quia et duo populi dispersi in fines terræ : unum autem medium caput, quoniam et unus Deus super omnes, et per omnes, et in omnibus nobis.

Hinc data occasione sic B. Mariam cum Eva peccatrice comparat[3] :

Quemadmodum enim illa per Angeli sermonem seducta est ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus; ita *et hæc* per Angelicum sermonem evangelizata est ut portaret *Deum*, obediens ejus verbo. Et si ea inobedierat Deo; sed hæc suasa est obedire Deo, uti virginis Evæ virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum astrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per virginem : æqua lance disposita, virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, et Serpentis prudentia devicta in columbæ simplicitate, vinculis autem illis resolutis per quæ alligati eramus morti.

[1] Matth. III, 10. — [2] Jerem. XXIII, 29.
[3] Cap. XIX, n. 1, p. 316.

§ II.

DE HÆRETICORUM NOVITATE[1].

Omnes enim ii valde posteriores sunt quam episcopi, quibus Apostoli tradiderunt ecclesias : et hoc in tertio libro cum omni diligentia manifestavimus. Necessitatem ergo habent prædicti hæretici, quoniam sunt cæci ad veritatem, alteram et alteram ambulare exorbitàntes viam : et propter hoc inconsonanter et inconsequenter dispersa sunt vestigia doctrinæ ipsorum. Eorum autem qui ab Ecclesia sunt, semita, circumiens mundum universum, quippe firmam habens ab Apostolis traditionem, et videre nobis donans omnium unam et eamdem esse fidem, omnibus unum et eumdem Deum Patrem præcipientibus, et eamdem dispositionem incarnationis Filii Dei credentibus, et eamdem donationem Spiritus scientibus, et eadem meditantibus præcepta, et eamdem figuram ejus quæ est erga Ecclesiam ordinationis custodientibus, et eumdem expectantibus adventum Domini, et eamdem salutem totius hominis, id est, animæ et corporis sustinentibus. Et Ecclesiæ quidem prædicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur. Huic enim creditum est lumen Dei, et propter hoc « sapientia » Dei, per quam salvat omnes homines, « in exitu canitur, in plateis autem fiducialiter agit, » in summis muris prædicatur, in portis autem civitatis » constanter loquitur[2]. » Ubique enim Ecclesia prædicat veritatem : et hæc est ἑπταμυξος lucerna, Christi bajulans lumen.

Qui ergo relinquunt præconium Ecclesiæ, imperitiam sanctorum presbyterorum arguunt, non contemplantes

[1] Cap. xx, p. 317.
[2] Prov. I, 20, 21.

quanto pluris sit idiota religiosus a blasphemo, et impudente sophista. Tales sunt autem omnes hæretici, et qui se plus aliquid præter veritatem invenire putant; sequentes ea quæ prædicta sunt, varie et multiformiter, et imbecille facientes iter, de iisdem non semper easdem sententias habentes, velut cæci a cæcis circumducuntur : juste cadent in sublatentem ignorantiæ foveam, semper quærentes, et nunquam verum invenientes. Fugere igitur oportet sententias ipsorum, et intentius observare, necubi vexemur ab ipsis : confugere autem ad Ecclesiam, et in ejus sinu educari, et Dominicis Scripturis enutriri. Plantata est enim Ecclesia, paradisus in hoc mundo. « Ab omni *ergo* ligno » *Paradisi escas* manducabitis [1], » ait Spiritus Dei; id est, ab omni Scriptura Dominica manducate : super elato autem sensu ne manducaveritis, neque tetigeritis universam hæreticam dissensionem. Ipsi enim confitentur semetipsos agnitionem habere boni et mali : et super Deum, qui fecit eos, jaculantur sensus suos impios. Supra igitur sentiunt quam est mensura sensationis. Quapropter et Apostolus ait : « Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad pru» dentiam [2]; » ut non illorum manducantes agnitionem, eam quæ plus quam oportet sapit, projiciamur de Paradiso vitæ : in quem Dominus inducit eos qui obaudiunt præceptionem ejus, « recapitulans in se omnia quæ in cœlis » et quæ super terram [3] : » sed quæ in cœlis, spiritualia sunt; quæ autem in terris, secundum hominem est dispositio. Hæc igitur in semetipsum recapitulatus est, adunans hominem spiritui, et spiritum collocans in homine, ipse caput spiritus factus est, et spiritum dans esse hominis caput : per illum enim vidimus, et audivimus, et loquimur.

[1] Gen. II, 16. — [2] Rom. XII, 3. — [3] Ephes. I, 10.

§ III.

DE POTESTATE SATANÆ.

Quam vana sit illa potestas, facillime ostendit, 1° quod a Christo victus fuerit; 2° quod humanæ potestates non ab ipso, sed a Deo constituantur.

1° Satanas a Christo victus est[1]:

Neque enim juste victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset, qui vicit eum. Per mulierem enim homini dominatus est ab initio, semetipsum contrarium statuens homini. Propter hoc et Dominus semetipsum Filium hominis confitetur, principalem hominem illum, ex quo ea quæ secundum mulierem est plasmatio facta est, in semetipsum recapitulans: uti quemadmodum per hominem victum descendit in mortem genus nostrum, sic iterum per hominem victorem ascendamus in vitam; et quemadmodum accepit palmam mors per hominem adversus nos, sic iterum nos adversus mortem per hominem accipiamus palmam.

Non autem Dominus antiquam illam et primam adversus Serpentem inimicitiam in semetipso recapitulatus fuisset, adimplens promissionem Demiurgi, et perficiens præceptum ejus, si ab alio venisset Patre. Sed quoniam unus et idem est, qui ab initio plasmavit nos, et in fine Filium suum misit; præceptum ejus perfecit Dominus, factus ex muliere, et destruens adversarium nostrum, et perficiens hominem secundum imaginem et similitudinem Dei. Et propter hoc non aliunde eum destruxit, nisi ex dictionibus Legis, et Patris præcepto adjutore usus ad destructionem et traductionem apostatæ Angeli. Primo quidem diebus XL

[1] Cap. XXI, n. 1 et seqq. p. 318 et seq.

jejunans, similiter ut Moyses et Helias, postea esuriit, ut hominem eum verum et firmum intelligamus : proprium enim est hominis, jejunantem esurire : deinde autem, ut haberet adversarius ubi congrederetur. Quoniam enim in principio per escam, non esurientem hominem seduxit transgredi præceptum Dei; in fine esurientem non potuit dissuadere, eam quæ a Deo esset sustinere escam. Tentante enim eo, et dicente : « Si filius Dei es, dic ut lapides isti » panes fiant[1]; » Dominus autem per præceptum Legis repulit eum, dicens : « Scriptum est, Non in pane tantum » vivit homo[2]. » Ad illud quidem quod ait, *Si filius Dei es*, usus est hac, quæ excæcavit eum, hominis confessione, et per paternam dictionem primum ejus impetum evacuavit. Quæ ergo fuit in Paradiso repletio hominis per duplicem gustationem, dissoluta est per eam quæ fuit in hoc mundo indigentiam. Ille autem legaliter explosus, tentavit et ipse per mendacium rursus legitime facere congressionem. In *altissimum* enim Templi pinnaculum ducens eum, dixit : « *Si filius Dei* es, mitte te deorsum. Scriptum est enim : » Quoniam Angelis suis mandavit de te, et in manibus tol» lent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum[3]; » mendacium abscondens per Scripturam, quod faciunt omnes hæretici. Illud enim, quod *Angelis suis mandavit de eo*, scriptum erat : *Mitte te* autem *deorsum*, nulla dicebat Scriptura; sed a semetipso hanc suasionem diabolus afferebat. Dominus itaque legitime confutavit eum, dicens : *Item scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum*[4] : per eam vocem, quæ est in Lege, ostendens id quidem quod est secundum hominem, quoniam non debet homo tentare Deum; quantum autem ad illum, quoniam in eo homine qui videbatur, non tentaret Dominum Deum suum. Elatio

[1] Matth. IV, 3. — [2] Deut. VIII, 3. — [3] Matth. IV, 6; Psal. XC, 11. — [4] Matth. IV, 7, et Deut. VI, 16.

itaque sensus, quæ fuit in Serpente, dissoluta est per eam quæ fuit in homine humilitas : et bis jam victus erat de Scriptura diabolus, cum est traductus contraria præcepto Dei suadens, et secundum sententiam suam Dei hostis ostensus. Qui et magne confutatus, et quasi semetipsum colligens, universam quam habebat virtutem in mendacio ordinans, tertio ostendit ei sæculi regna omnia, dicens, quemadmodum meminit Lucas : « Hæc omnia tibi dabo, » quoniam mihi tradita sunt, et cui volo do ea, si procidens » adoraveris me [1]. » Dominus itaque traducens eum qui esset : « Vade, inquit, Satana ; scriptum est enim : Dominum » Deum tuum adorabis, et illi soli servies [2]. » Denudans eum per hoc nomen, et se ostendens qui erat. Satana enim verbum Hebraicum, apostatam significat. Et tertio itaque vincens eum, de reliquo repulit a semetipso, quasi legitime victum : et soluta est ea quæ fuerat in Adam præcepti Dei prævaricatio, per præceptum Legis quod servavit Filius hominis, non transgrediens præceptum Dei.

Quis ergo Dominus Deus, cui Christus testimonium perhibet; quem nemo tentabit, et quem omnes adorare oportet, et ipsi soli servire ? Omnimodo ille est sine dubio, qui et Legem dedit Deus. Hæc enim in Lege prædicta fuerant, et per Legis sententiam ostendit Dominus, quoniam Lex quidem a Patre Verbum Domini annuntiat : apostata autem Dei Angelus per illius destruitur vocem traductus quis esset, et victus a Filio hominis servante Dei præceptum. Quoniam enim in initio homini suasit transgredi præceptum factoris, ideo eum habuit in sua potestate; potestas autem ejus est trangressio, et apostasia, et his colligavit hominem; per hominem ipsum iterum oportebat victum eum contrario colligari iisdem vinculis quibus alligavit hominem, ut homo solutus revertatur ad suum Dominum, illi

[1] Luc. IV, 6, 7. — [2] Matth. IV, 10.

vincula relinquens per quem ipse fuerat alligatus, id est, transgressionem. Illius enim colligatio, solutio facta est hominis, quoniam « non potest aliquis introire in domum » fortis, et vasa ejus diripere, nisi primum ipsum fortem » alligaverit [1]. » Contraria ergo in sermone ejus qui omnia fecit Dei, traducens eum Dominus, et subjiciens per præceptum (præceptum autem Dei, Lex); fugitivum eum homo ejus, et Legis transgressorem, et apostatam Dei ostendens, postea jam Verbum constanter eum colligavit, quasi suum fugitivum, et diripuit ejus vasa, id est, eos qui ab eo detinebantur homines, quibus ipse injuste utebatur. Et captivus quidem ductus est juste is qui hominem injuste captivum duxerat; qui autem ante captivus ductus fuerat homo, extractus est a possessoris potestate, secundum misericordiam Dei Patris : qui miseratus est plasmati suo, et dedit salutem ei, per Verbum, id est, per Christum, redintegrans : ut experimento discat homo, quoniam non a semetipso, sed *donatione* Dei accipit incorruptelam.

2° Humanæ potestates a Deo, non a diabolo constituuntur [2] :

Sicut ergo in principio mentitus est, ita et in fine mentiebatur, dicens : « Hæc omnia mihi tradita sunt, et cui volo » do ea [3]. » Non enim ipse determinavit hujus sæculi regna, sed Deus : « Regis enim cor in manu Dei [4]. » Et per Salomonem autem ait verbum : « Per me reges regnant, et potentes » tenent justitiam. Per me principes exaltabuntur, et tyranni » per me regnant terram [5]. » Et Paulus autem Apostolus in hoc ipsum ait : « Omnibus potestatibus sublimioribus sub- » jecti estote : non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem

[1] Matth. XII, 29.
[2] Cap. XXIV. p. 321 et seq.
[3] Luc. IV, 6. — [4] Prov. XXI, 1. — [5] *Ibid.* VIII, 15.

» sunt, a Deo dispositæ sunt[1]. » Et iterum de ipsis ait : « Non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister » est, vindex in iram ei qui male operatur[2]. » Quoniam hæc autem non de Angelicis potestatibus, nec de invisibilibus principibus dixit, quomodo quidam audent exponere, sed de his quæ sunt secundum hominem potestates, ait : « Propter hoc enim et tributa præstatis, ministri enim Dei » sunt, in hoc ipsum deservientes[3]. » Hoc autem et Dominus confirmavit, non faciens quidem quod a diabolo suadebatur; tributorum autem exactoribus jubens pro se et pro Petro dari tributum[4] : quoniam « ministri Dei sunt, in hoc » ipsum deservientes. »

Quoniam enim absistens a Deo homo in tantum efferavit, ut etiam consanguineum hostem sibi putaret, et in omni inquietudine, et homicidio, et avaritia sine timore versaretur (non enim cognoscebant timorem Dei), ut potestati hominum subjecti, et lege eorum astricti, ad aliquid assequantur justitiæ, et moderentur ad invicem, in manifesto propositum gladium timentes, sicut Apostolus ait : « Non enim sine causa gladium portat : Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male operatur. » Et propter hoc et ipsi magistratus indumentum justitiæ leges habentes, quæcumque juste et legitime fecerint, de his non interrogabuntur, neque pœnas dabunt. Quæcumque autem ad eversionem justi, inique, et impie, et contra legem, et more tyrannico exercuerint, in his et peribunt; justo judicio Dei ad omnes æqualiter perveniente, et in nullo deficiente. Ad utilitatem ergo gentilium terrenum regnum positum est a Deo (sed non a diabolo, qui nunquam omnino quietus est; imo qui nec ipsas quidem gentes vult in tranquillo agere); ut timentes regnum hominum, non se alterutrum homines vice piscium consumant, sed per legum

[1] Rom. XIII. 1. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 6. — [4] Matth. XVII, 26.

positiones repercutiant multiplicem gentilium injustitiam. Et secundum hoc *ministri Dei* sunt, qui tributa exigunt a nobis, *in hoc ipsum servientes.*

Quæ sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt; manifestum est quoniam mentitur diabolus, dicens : « Mihi tradita » sunt, et cui volo do ea. » Cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu et reges constituuntur, apti his qui illo tempore ab ipsis regnantur. Quidam enim illorum ad correptionem et utilitatem subjectorum dantur, et conservationem justitiæ; quidam autem ad timorem, et pœnam, et increpationem; quidam autem ad illusionem, et contumeliam, et superbiam, quemadmodum et digni sunt: Dei justo judicio, sicut prædiximus, in omnibus æqualiter supergrediente. Diabolus autem, quippe apostata existens Angelus, hoc tantum potest quod detegit in principio, seducere et abstrahere mentem hominis ad transgredienda præcepta Dei, et paulatim obcæcare corda eorum qui conarentur servire ei, ad obliviscendum quidem verum Deum, ipsum autem quasi Deum adorare.

Quemadmodum autem si quis apostata, regionem aliquam hostiliter capiens, perturbet eos qui in ea sunt, ut regis gloriam sibi vindicet apud ignorantes quod apostata et latro sit : sic etiam diabolus, cum sit unus ex Angelis his qui super spiritum aëris præpositi sunt, quemadmodum Paulus Apostolus in ea quæ est ad Ephesios[1] manifestavit, invidens homini, apostata a divina factus est lege : invidia enim aliena est a Deo. Et quoniam per hominem traducta est apostasia ejus, et examinatio sententiæ ejus homo factus est; ad hoc magis magisque semetipsum contrarium constituit homini, invidens vitæ ejus, et in sua potestate apostatica volens concludere eum. Omnium artifex Verbum Dei, per hominem vincens eum, et apostatam ostendens, e

[1] Ephes. II, 2.

contrario subjecit eum homini : « Ecce, *dicens*, do vobis » potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et su» per omnem virtutem inimici[1]; » ut quemadmodum dominatus est homini per apostasiam, sic iterum per hominem recurrentem ad Deum, evacuetur apostasia ejus.

§ IV.

DE ANTICHRISTO.

1° De ejus fraude, superbia et tyrannico regno, prout a Daniele et Paulo descripta sunt[2] :

Et non tantum autem per ea quæ dicta sunt, sed et per ea quæ erunt sub Antichristo, ostenditur, quoniam, existens apostata et latro, quasi Deus vult adorari; et cum sit servus, regem se vult præconari. Ille enim omnem suscipiens diaboli virtutem, veniet non quasi rex justus, nec quasi in subjectione Dei legitimus; sed impius, et injustus, et sine lege, quasi apostata, et iniquus, et homicida, quasi latro, diabolicam apostasiam in se recapitulans : et idola quidem seponens, ad suadendum quod ipse sit Deus; se autem extollens unum idolum, habens in semetipso reliquorum idolorum varium errorem : ut hi qui per multas abominationes adorant diabolum, hi per hoc unum idolum serviant ipsi, de quo Apostolus in epistola quæ est ad Thessalonicenses secunda, sic ait : « Quoniam nisi venerit abscessio » primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditio» nis, qui adversatur et extollit se super omne quod dicitur » Deus, aut colitur : ita ut in templo Dei sedeat, ostendens » semetipsum tanquam sit Deus[3]. » Manifestè igitur Apostolus ostendit apostasiam ejus, et quoniam extollitur super

[1] Luc. x, 19.
[2] Cap. xxv, p. 322 et seq.
[3] 2 Thess. II, 3, 4.

omne quod dicitur Deus, vel quod colitur, hoc est, super omne idolum (hi enim sunt qui dicuntur quidem ab hominibus, non sunt autem Dii), et quoniam ipse se tyrannico more conabitur ostendere Deum.

Super hæc autem manifestavit et illud quod a nobis per multa ostensum est, quoniam in Hierosolymis Templum dispositione veri Dei factum est. Ipse enim Apostolus ex sua persona diffinitive Templum illud dixit Dei. Ostendimus autem in tertio libro[1], nullum ab Apostolis ex sua persona Deum appellari, nisi eum qui vere sit Deus, Patrem Domini nostri : cujus jussu hoc, quod est in Hierosolymis, factum est Templum, ob eas causas quæ a nobis dictæ sunt : in quo adversarius sedebit, tentans semetipsum Christum ostendere, sicut et Dominus ait : « Cum autem videritis » abominationem desolationis, quod dictum est per Danielem prophetam, stantem in loco sancto (qui legit, intelligat) : tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes; et qui » *in tecto* est, non descendat tollere quidquam de domo. » Erit enim tunc pressura magna, qualis non est facta ab » initio sæculi usque nunc, sed neque fiet[2]. »

Daniel autem, novissimi regni finem respiciens, id est, novissimos decem reges in quos dividitur regnum illorum super quos filius perditionis veniet, cornua dicit decem nasci bestiæ; et alterum cornu pusillum nasci in medio ipsorum, et tria cornua de prioribus eradicari a facie ejus. « Et ecce, inquit, oculi quasi oculi hominis in cornu » hoc, et os loquens magna, et aspectus ejus major reliquis. » Videbam, et cornu illud faciebat bellum adversus sanctos, et valebat adversus eos : quoadusque venit vetustus » dierum, et judicium dedit sanctis altissimi Dei, et tempus » pervenit, et regnum obtinuerunt sancti[3]. » Postea in exolutione visionum dictum est ei : « Bestia quarta, regnum

[1] Cap. IX et seqq. — [2] Matth. XXIV, 15 et seqq. — [3] Dan. VII, 8, 20 et seqq.

» quartum erit in terra, quod eminebit super reliqua regna;
» et manducabit omnem terram, et conculcabit eam, et
» concidet. Et decem cornua ejus, decem reges exur-
» gent : et post eos surget alius, qui superabit malis om-
» nes qui ante eum fuerunt, et reges tres deminorabit, et
» verba adversus altissimum Deum loquetur, et sanctos al-
» tissimi Dei conteret, et cogitabit demutare tempora, et
» Legem : et dabitur in manu ejus, usque ad tempus tem-
» porum et dimidium tempus[1], » hoc est, per triennium et sex menses, in quibus veniens regnabit super terram. De quo iterum et Apostolus Paulus in secunda ad Thessalonicenses, simul et causam adventus ejus annuntians, sic ait :
« Et tunc revelabitur iniquus, quem Dominus Jesus inter-
» ficiet spiritu oris sui et destruet præsentia adventus sui,
» cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in
» omni virtute, et signis, et portentis mendaciorum, et omni
» seductione malitiæ pereuntibus pro eo quod dilectionem
» veritatis non receperunt ut salvi fierent. Et ideo mittet
» eis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut
» judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed con-
» senserunt iniquitati[2]. »

IV. Et Dominus autem hoc item non credentibus sibi dicebat : « Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis
» me : cum alius venerit in nomine suo, illum recipietis[3]; » alium dicens Antichristum, qui alienus est a Domino, et ipse est *iniquus judex*, qui a Domino dictus est, quoniam *Deum non timebat, neque hominem reverebatur*[4], ad quem fugit vidua oblita Dei, id est, terrena Jerusalem, ad ulciscendum de inimico. Quod et faciet in tempore regni sui : transferet regnum in eam, et in templo Dei sedet, seducens eos qui adorant eum quasi ipse sit Christus. Quapropter

[1] Dan. VII, 23 et seqq. — [2] 2 Thess. II, 8 et seqq. — [3] Joan. V, 43. — [4] Luc. XVIII, 2 et seqq.

ait Daniel iterum : « Et sanctum desolabitur : et datum est » in sacrificium peccatum, et projecta est in terra justitia, » et fecit, et prospere cessit[1]. » Et Gabriel Angelus exolvens ejus visionem, de hoc ipso dicebat : « Et in novissimo » regni ipsorum exurget rex improbus facie valde, et in- » telligens quæstiones, et valida virtus ejus, et admirabilis, » et corrumpet, et diriget, et faciet, et exterminabit fortes » et populum sanctum, et jugum torquis ejus dirigetur : » dolus in manu ejus, et in corde suo exaltabitur, et dolo » disperdet multos, et ad perditionem multorum stabit, et » quomodo ova manu conteret[2]. » Deinde et tempus tyrannidis ejus significat, in quo tempore fugabuntur Sancti, qui purum sacrificium offerunt Domino : « Et in dimidio » hebdomadis, ait, tolletur sacrificium et libatio, et in tem- » plum abominatio desolationis, et usque ad consummatio- » nem temporis consummatio dabitur super desolationem[3]; » dimidium autem hebdomadis tres sunt anni et menses sex.

Ex quibus omnibus non tantum quæ sunt apostasiæ manifestantur, et quæ sunt ejus qui in se recapitulatur omnem diabolicum errorem; sed et quoniam unus et idem Deus Pater, qui a Prophetis annuntiatus, a Christo autem manifestatus. Si enim quæ a Daniele prophetata sunt de fine, Dominus comprobavit : « Cum videritis, *dicens*, abomina- » tionem desolationis, quæ dicta est per Danielem prophe- » tam[4]; (Danieli autem Angelus Gabriel exolutionem visionum fecit : hic autem est Archangelus Demiurgi, et hic idem Mariæ evangelizavit manifestum adventum et incarnationem Christi[5]) unus et idem Deus manifestissime ostenditur, qui Prophetas misit, et Filium præmisit, et nos vocavit in agnitionem suam.

[1] Dan. VIII, 12. — [2] *Ibid.* 23 et seqq. — [3] Dan. IX, 27. — [4] Matth. XXIV, 15. — [5] Luc. I, 26 et seqq.

2° De futuro judicio per Christum, communione et separatione divina, atque infidelium pœnis æternis [1].

Si enim non judicat Pater; aut non pertinet ad eum, aut consentit his quæ fiunt omnibus : et si non judicat, omnes in æquo erunt, et in eodem dinumerabuntur statu. Supervacuus ergo erit adventus Christi, et contrarius, in eo quod non judicet. « Venit enim dividere hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem, et nurum adversus socrum [2] : » et cum duo sint in eodem lecto, unum assumere, et alterum relinquere : et duabus molentibus in mola, alteram assumere, et alteram relinquere [3] : ad finem jubere messoribus colligere primum zizania, et fasciculos alligare, et comburere igni inextinguibili; triticum autem colligere in horreum [4] : et agnos quidem vocare in præparatum regnum; hædos autem in æternum ignem mittere, qui præparatus est a Patre ejus diabolo et Angelis ejus [5]. Et quid enim? Verbum venit in ruinam et in resurrectionem multorum [6]? In ruinam quidem non credentium ei, quibus et majorem damnationem quam Sodomorum et Gomorrhæ in judicio comminatus est [7]; in resurrectionem autem credentium, et facientium voluntatem Patris ejus, qui est in cœlis. Si ergo adventus Filii super omnes quidem similiter advenit, judicialis est autem, et discretor credentium et non credentium, quoniam ex sua sententia credentes faciunt ejus voluntatem, et ex sua sententia indicto audientes non accedunt ad ejus doctrinam : manifestum, quoniam et Pater ejus omnes quidem similiter fecit, propriam sententiam unumquemque habentem, et sensum li-

[1] Cap. XXVII, p. 325.

[2] Matth. X, 35. — [3] Luc. XVII, 34, 35. — [4] Matth. XIII, 30. *Ibid.* III, 12. — [5] *Ibid.* XXV, 33 et seqq. — [6] Luc. II, 34. — [7] Luc. X, 12.

borum; respicit autem omnia, et providet omnibus: « Solem » suum oriri faciens super malos et bonos, et pluens super » justos et injustos [1]. »

Et quicumque erga eum custodiunt dilectionem, suam his præstat communionem. Communio autem Dei, vita et lumen, et fruitio eorum quæ sunt apud eum bonorum. Quicumque autem absistunt secundum sententiam suam ab eo, his eam quæ electa est ab ipsis, separationem inducit. Separatio autem Dei, mors; et separatio lucis, tenebræ; et separatio Dei, amissio omnium quæ sunt apud eum bonorum. Qui ergo per apostasiam amiserunt quæ prædicta sunt, quippe desolati ab omnibus bonis, in omni pœna conversantur; Deo quidem principaliter non a semetipso eos puniente, prosequente autem eos pœna, quoniam sint desolati ab omnibus bonis. Æterna autem, et sine fine sunt a Deo bona: et propter hoc et amissio eorum æterna et sine fine est: quemadmodum in immenso lumine, qui excæcaverunt semetipsos, vel ab aliis excæcati sunt, semper privati sunt jucunditate luminis; non quod lumen pœnam eis inferat cæcitatis, sed quod ipsa cæcitas superinducat eis calamitatem. Et propter hoc Dominus dicebat: « Qui credit in me, » non judicatur [2]; » id est, non separatur a Deo: adunitus est enim per fidem Deo. « Qui autem non credit, ait, jam » judicatus est, quoniam non credidit in nomine unigeniti » Filii Dei, » id est, separavit semetipsum a Deo voluntaria sententia. « Hoc est enim judicium, quoniam lumen venit » in hunc mundum, et dilexerunt homines magis tenebras » quam lucem. Omnis enim qui male agit, odit lumen, et » non venit ad lumen, ne traducantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lumen, ut manifestentur opera » ejus, quoniam in Deo est operatus. »

[1] Matth. v, 45. — [2] Joan. III, 18 et seqq.

3° De piorum et impiorum discrimine, apostasia futura sub Antichristo, atque mundi consummatione [1].

Quoniam igitur in hoc mundo quidam quidem accurrunt lumini, et per fidem uniunt se Deo; alii autem absistunt a lumine, et separant seipsos a Deo : venit Verbum Dei, omnibus aptam habitationem inferens; his quidem qui in lumine sunt, ut fruantur eo et his quæ in eo sunt bonis; his autem qui in tenebris sunt, ut participentur eas calamitates quæ in eis sunt. Et propter hoc ait, hos quidem qui sunt ad dexteram, vocari in regnum Patris; illos autem qui sunt ad sinistram, in æternum ignem missurum[2]. Semetipsos enim omnibus privaverunt bonis.

Et propter hoc Apostolus ait : « Pro eo quod dilectio» nem Dei non receperunt, ut salvi fierent, et ideo mittet » eos Deus in operationem erroris, ut credant mendacio, ut » judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed con» senserunt iniquitati[3]. » Illo enim veniente, et sua sententia apostasiam recapitulante in semetipsum, et sua voluntate et arbitrio operante quæcumque operabitur, et in Templo Dei sedente, ut sicut Christum adorent illum qui seducentur ab illo; quapropter et juste *in stagnum projicietur ignis*[4] : Deo (autem) secundum suam providentiam præsciente omnia, et apto tempore eum qui talis futurus erat immittente; « ut credant falso, et judicentur omnes qui non credide» runt veritati, sed consenserunt iniquitati. » Cujus adventum Joannes in Apocalypsi significavit ita : « Et bestia quam » videram, similis erat pardo, et pedes ejus quasi ursi, et os » ejus quasi os leonis; et dedit ei draco virtutem suam, et » thronum suum, et potestatem magnam : et unum ex ca-

[1] Cap. XXVIII, p. 326 et seq.
[2] Matth. XXV, 34, 41. — [3] 2 Thess. II, 10 et seqq. — [4] Apoc. XIX, 20.

» pitibus ejus quasi occisum in mortem, et plaga mortis ejus » curata est, et admirata est universa terra post bestiam : » et adoraverunt draconem, quoniam dedit potestatem bes- » tiæ; et adoraverunt bestiam dicentes : Quis similis bestiæ » illi, et quis potest pugnare cum ipsa? Et datum est ei os » loquens magna et blasphemiam, et data est ei potestas » mensibus XL et duobus. Et aperuit os suum blasphemum » adversus Deum, blasphemare nomen ejus, et tabernacu- » lum ejus, et eos qui in cœlo habitant. Et data est ei potes- » tas super omnem tribum, et populum, et linguam, et » gentem. Et adoraverunt eam omnes qui habitant super » terram, cujus non est scriptum nomen in libro vitæ agni » occisi a constitutione mundi. Si quis habet aures, audiat. » Si quis in captivitatem duxerit, in captivitatem ibit. Si » quis gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi. Hic » est sustinentia et fides sanctorum[1]. » Post deinde et de armigero ejus, quem et pseudoprophetam vocat : « Loque- » *batur, inquit,* quasi draco, et potestatem primæ bestiæ » omnem faciebat in conspectu ejus : et facit terram, et » qui habitant in ea, ut adorarent bestiam primam, cujus » curata est plaga mortis ejus. Et faciet signa magna, ut et » ignem faciat de cœlo descendere in terram in conspectu » hominum, et seducet inhabitantes super terram[2]. » Hæc ne quis eum divina virtute putet signa facere, sed magica operatione. Et non est mirandum si, dæmoniis et apostaticis spiritibus ministrantibus ei, per eos faciat signa, in quibus seducat habitantes super terram. « Et imaginem, ait, » jubebit fieri bestiæ, et spiritum dabit imagini, uti et lo- » quatur imago, et eos qui non adoraverint eam faciet oc- » cidi. Et characterem autem, ait, in fronte et in manu » dextra faciet dari, ut non possit aliquis emere vel vendere, » nisi qui habet characterem nominis bestiæ, vel numerum

[1] Apoc. XIII, 2 et seqq. — [2] *Ibid.* 11 et seqq.

» nominis ejus : et esse numerum sexcentos sexaginta sex, » quod est, sexies centeni, et deni sexies, et singulares » sex[1]; » in recapitulationem universæ apostasiæ ejus, quæ facta est in sex millibus annorum.

Quotquot enim diebus hic factus est mundus, tot et millenis annis consummatur. Et propter hoc ait Scriptura Geneseos : « Et consummata sunt cœlum et terra, et omnis » ornatus eorum. Et consummavit Deus die sexto omnia » opera sua quæ fecit, et requievit in die septimo ab omni- » bus operibus suis quæ fecit[2]. » Hoc autem est et antefactorum narratio, quemadmodum facta sunt, et futurorum prophetia. Si etenim dies Domini quasi mille anni[3], in sex autem diebus consummata sunt quæ facta sunt ; manifestum est quoniam consummatio ipsorum sextus millesimus annus est.

Et propter hoc in omni tempore, plasmatus initio homo per manus Dei, id est, Filii et Spiritus, fit secundum imaginem et similitudinem Dei : paleis quidem abjectis, quæ sunt apostasia ; frumento autem in horreum assumpto, quod est hi qui ad Deum fide fructificant. Et propterea tribulatio necessaria est his qui salvantur, ut quodammodo contriti, et attenuati, et consparsi per patientiam Verbo Dei, et igniti, apti sint ad convivium Regis. Quemadmodum quidam de nostris dixit, propter martyrium in Deum adjudicatus ad bestias : « Quoniam frumentum sum Christi, et » per dentes bestiarum molor, ut mundus panis Dei inve- » niar[4]. »

[1] Apoc. XIII, 14 et seqq. — [2] Gen. II, 1, 2. — [3] 2 Pet. III, 8. — [4] Ignat. mart. Epist. ad Roman.

4° Universa ad utilitatem hominis facta esse : et de Antichristi dolis, nequitia, vi apostatica, a diluvio et deinceps in Ananiæ, Azariæ et Misaëlis persecutione præfigurata[1].

Causas autem reddidimus in his qui sunt ante hunc libris, propter quas passus est Deus hæc ita fieri : ostendimusque quoniam omnia quæ sunt talia, pro eo qui salvatur homine facta sunt ; illud quod est sui arbitrii et suæ potestatis maturans ad immortalitatem, et aptabiliorem eum ad æternam subjectionem Deo præparans. Et propter hoc conditio insumitur homini : non enim homo propter illam, sed conditio facta est propter hominem. Gentes autem quæ et ipsæ non allevaverunt oculos suos ad cœlum, neque gratias egerunt factori suo, neque lumen veritatis videre voluerunt, sed sicut mures cæci absconditi in profundo insipientiæ, juste sermo « ut stillicidium de cado, et sicut momentum » stateræ[2], » et « sicut nihil[3] » deputavit ; in tantum utiles et aptabiles justis, quantum utilitatis præstat stipula ad tritici augmentum, et palea ejus in ustionem, ad operationem auri. Et propterea cum in fine repente hinc Ecclesia assumetur : « Erit, inquit, tribulatio qualis non est facta ab initio, neque fiet[4]. » Novissimus enim agon hic justorum, in quo vincentes coronantur incorruptela.

Et propter hoc in bestia veniente recapitulatio fit universæ iniquitatis et omnis doli, ut in ea confluens et conclusa omnis virtus apostatica, in caminum mittatur ignis. Congruenter autem et nomen ejus habebit numerum, sexcentos sexaginta sex ; recapitulans in semetipso omnem quæ fuit ante diluvium, malitiæ commixtionem, quæ facta est ex Angelica apostasia. Noë enim fuit annorum sexcentorum,

[1] Cap. xxix, p. 527 et seq.
[2] Isa. xl, 15. — [3] Ibid. 17. — [4] Matth. xxiv, 21.

et diluvium advenit terræ, delens inresurrectionem terræ propter nequissimam generationem, quæ fuit temporibus Noë. Recapitulans autem et omnem qui fuit a diluvio errorem commentatorem idolorum, et Prophetarum interfectionem, et succensionem justorum. Illa enim quæ fuit a Nabuchodonosor instituta imago, altitudinem quidem habuit cubitorum sexaginta, latitudinem autem cubitorum sex : propter quam et Ananias, et Azarias, et Misaël, non adorantes eam, in caminum missi sunt ignis, per id quod eis evenit, prophetantes eam quæ in finem futura est justorum succensio. Universa enim imago illa præfiguratio fuit hujus adventus, ab omnibus omnino hominibus ipsum solum decernens adorari. Sexcenti itaque anni Noë, sub quo fuit diluvium propter apostasiam, et numerus cubitorum imaginis, propter quam justi in caminum ignis missi sunt, numerum nominis significat illius, in quem recapitulatur sex millium annorum omnis apostasia, et injustitia, et nequitia, et pseudoprophetia, et dolus, propter quæ et diluvium superveniet ignis.

5° De Antichristi nomine, regno et morte [1] :

His autem sic se habentibus, et in omnibus antiquis et probatissimis et veteribus Scripturis numero hoc posito, et testimonium perhibentibus his qui facie ad faciem Joannem viderunt, et ratione docente nos, quoniam numerus nominis bestiæ, secundum Græcorum computationem, per litteras quæ in eo sunt, sexcentos habebit, et sexaginta, et sex ; hoc est, decadas æquales hecatontasin, et hecatontadas æquales monasin (numerus enim qui digitus sex, similiter custoditus, recapitulationes ostendit universæ apostasiæ ejus quæ initio, et quæ in mediis temporibus, et quæ in fine

[1] Cap. xxx, p. 328 et seq.

erit); ignoro quomodo erraverunt quidam sequentes idiotismum, et medium frustrantes numerum nominis, quinquaginta numeros deducentes, pro sex decadis unam decadem volentes esse. Hoc autem arbitror scriptorum peccatum fuisse, ut solet fieri, quoniam et per litteras numeri ponuntur, facile litteram Græcam, quæ sexaginta enuntiat numerum, in Iota Græcorum litteram expansam; post deinde quidam sine exquisitione hoc acceperunt: alii quidem simpliciter et idiotice usurpaverunt denarium numerum; quidam autem per ignorantiam ausi sunt et nomina exquirere, habentia falsum erroris numerum. Sed his quidem qui simpliciter et sine malitia hoc fecerunt, arbitramur veniam dari a Deo. Quotquot autem secundum inanem gloriam statuunt nomina continentia falsum numerum, et quod a se fuerit adinventum nomen, definierunt esse illius qui venturus est; non sine damno tales exient, quippe qui et semetipsos et credentes sibi seduxerunt. Et primum quidem damnum est excidere a veritate, et quod non sit, quasi (sit) arbitrari: post deinde, apponenti, vel auferenti de Scriptura pœnam non modicam fore, in quam incidere necesse est eum qui sit talis. Subsequitur autem et aliud non quodlibet periculum eos qui falso præsumunt scire nomen ejus. Si enim aliud quidem hi putant, aliud autem ille habens adveniet; facile seducentur ab eo, quasi necdum adsit ille quem cavere convenit.

Oportet itaque tales discere, et ad verum recurrere nominis numerum; ut non in pseudoprophetarum loco deputentur, sed scientes firmum numerum qui a Scriptura annuntiatus est, id est, sexcentorum sexaginta sex, sustineant primum quidem divisionem regni in decem: post deinde, illis regnantibus, et incipientibus corrigere sua negotia, et augere suum regnum; qui de improviso adve-

nerit regnum sibi vindicans, et terrebit prædictos, habens nomen continens prædictum numerum; hunc vere cognoscere esse abominationem desolationis. Hoc et Apostolus ait: « Cum dixerint, Pax, et munitio, tunc subitaneus » illis superveniet interitus [1]. » Hieremias autem non solum subitaneum ejus adventum, sed et tribum ex qua veniet, manifestavit dicens: « Ex Dan audiemus vocem velocitatis » equorum ejus: a voce hinnitus decursionis equorum ejus » commovebitur tota terra: et veniet, et manducabit ter» ram, et plenitudinem ejus, et civitatem, et qui habi» tant in ea [2]. » Et propter hoc non annumeratur tribus hæc in Apocalypsi cum his quæ salvantur [3].

Certius ergo et sine periculo est, sustinere adimpletionem prophetiæ, quam suspicari et divinare nomina quælibet; quando multa nomina inveniri possunt habentia prædictum numerum: et nihilominus quidem erit hæc eadem quæstio. Si enim multa sunt quæ inveniuntur nomina, habentia numerum hunc; quod ex ipsis portabit qui veniet, quæritur. Quoniam autem non propter inopiam nominum habentium numerum nominis ejus dicimus hæc, sed propter timorem erga Deum et zelum veritatis: Εὐανθὰς enim nomen habet numerum de quo quæritur: sed nihil de eo affirmamus. Sed et Λατεῖνος nomen habet sexcentorum sexaginta sex numerum: et valde verisimile est, quoniam novissimum regnum hoc habet vocabulum. Latini enim sunt qui nunc regnant: sed non in hoc nos gloriabimur. Sed et Τειτὰν, prima syllaba per duas Græcas vocales ε et ι scripta, omnium nominum quæ apud nos inveniuntur, magis fide dignum est. Etenim prædictum numerum habet in se, et litterarum est sex, singulis syllabis ex ternis litteris constantibus, et vetus, et semotum; neque enim eorum

[1] 1 Thess. v, 3. — [2] Jerem. viii, 16. — [3] Apoc. vii, 5 et seqq.

regum qui secundum nos sunt, aliquis vocatus est Titan; neque eorum quæ publice adorantur idolorum apud Græcos et barbaros habet vocabulum hoc. Et divinum putatur apud multos esse hoc nomen, ut etiam sol Titan vocetur ab his qui nunc tenent: et ostentationem quamdam continet ultionis, et vindictam inferentis, quod ille simulat se male tractatos vindicare. Et alias autem et antiquum, et fide dignum, et regale, magis autem et tyrannicum nomen. Cum igitur tantum suasionum habeat hoc nomen Titan, tamen habet verisimilitudinem, ut ex multis colligamus ne forte Titan vocetur qui veniet. Nos tamen non periclitabimur in eo, nec asseverantes pronuntiabimus hoc eum nomen habiturum: scientes, quoniam si oporteret manifeste præsenti tempore præconari nomen ejus, per ipsum utique editum fuisset qui et Apocalypsim viderat. Neque enim ante multum temporis visum est, sed pene sub nostro sæculo, ad finem Domitiani imperii.

Hunc autem numerum nominis ostendit, ut caveamus illum venientem, scientes quis est: nomen autem ejus tacuit, quoniam dignum non est præconari a Spiritu sancto. Si enim præconatum ab eo fuisset, fortassis et in multum permaneret. Nunc autem quoniam « fuit, et non » est, et ascendet ab abysso, et in perditionem vadit [1], » quasi qui non sit; sic nec nomen ejus præconatum est: ejus enim quod non est, nomen non præconatur. Cum autem vastaverit Antichristus hic omnia in hoc mundo, regnans annis tribus et mensibus sex, et sederit in templo Hierosolymis; tunc veniet Dominus de cœlis in nubibus, in gloria Patris, illum quidem et obedientes ei in stagnum ignis mittens; adducens autem justis Regni tempora, hoc est, requietionem, septimam diem sanctificatam; et restituens Abrahæ promissionem hæreditatis: in quo regno ait

[1] Apoc. XVII, 8.

Dominus, multos ab Oriente et Occidente venientes, recumbere cum Abraham, Isaac et Jacob [1].

[1] Matth. VIII, 11.

Cætera hujus libri capita nobis transmittenda videntur, cum regnum millenarium, nondum hoc temporis ab Ecclesia damnatum, sed ab ea posthac reprobatum, male propugnandum suscipiant.

FRAGMENTA.

FRAGMENTUM EPISTOLÆ AD FLORINUM[1].

Hæc dogmata, Florine, ut parcissime ac levissime dicam, non sunt sanæ doctrinæ : hæc dogmata Ecclesiæ non sunt consona, et in maximam impietatem eos conjiciunt qui illis assentiuntur : hæc dogmata ne quidem hæretici extra Ecclesiam positi proferre unquam ausi sunt : hæc dogmata hi qui ante nos extitere presbyteri, quique Apostolorum discipuli fuere, minime tibi tradiderunt. Vidi enim te, cum adhuc puer essem, in inferiore Asia apud Polycarpum, cum in Imperatoria aula splendide ageres, et illi te probare conareris. Nam ea quæ tunc gesta sunt melius memoria teneo, quam quæ nuper acciderunt (quippe quæ pueri discimus simul cum animo ipso coalescunt, eique penitus inhærent) : adeo ut et locum dicere possim in quo sedens beatus Polycarpus disserebat, processus quoque ejus et ingressus, vitæque modum et corporis speciem, sermones denique quos ad multitudinem habebat; et familiarem consuetudinem quæ illi cum Joanne, ac reliquis qui Dominum viderant, intercessit, ut narrabat, et qualiter dicta eorum commemorabat : quæque de Domino ex ipsis audiverat, de miraculis illius etiam, ac de doctrina, quæ ab iis qui Verbum vitæ ipsi conspexerant acceperat Polycarpus, qualiter referebat, cuncta Scripturis consona. Hæc jam tunc temporis per Dei clementiam, quæ mihi obtigit, studiose audiebam, non in charta, sed in corde meo ea consig-

[1] P. 339.

MINUTIUS FELIX.

OCTAVIUS.

MINUTIUS FELIX,

CAUSIDICUS ET APOLOGISTA.

(INITIO TERTII SÆCULI.)

LATINUS.

Marcus Minutius Felix, *Romæ insignis causidicus* (Hier. Cat. 458), sed ut stylo suspicari datur ex Africa oriundus, diuque paganorum commentis implicatus, vix senili ætate ad christianam veritatem perductus est, et *discussa postmodum cæcitate, de tenebrarum profundo in lucem sapientiæ et veritatis emersit.* (*Dial.*) Regnante Severo floruisse videtur.

Huic duo familiares : Octavius nempe, qui matrimonio conjunctus et foro deditus ita primum christianos exhorrebat, ut ne illorum quidem defensionem audire vellet, mutatus autem postea, christianam religionem et ipse profitebatur; Cæcilius vero, vir simplex et rectus, sed paganus adhuc, qui postmodum conversus B. Cyprianum ad fidem adduxisse creditur : quos inter duos habitum est colloquium, quod deinde ab ipso rescriptum Minutio *Octavii* titulo fuit insignitum.

Hoc dialogo patet *Minutium non ignobilis inter causidicos loci fuisse*, imo et *idoneum extitisse veritatis assertorem.* (Lact. Inst. v, 1, et 1, 2.) Hic *gentilium litterarum* nil *dimittens intactum* (Hier. epist. ad Magn.) paganorum placita victrici manu retundit;

sed religionis christianæ minus peritus, falsorum potius Deorum mendaces evertit fabulas, quam veri Dei mysteria stabilit et demonstrat. Purus dicendi modus, facilis, facundus, suavitate simul et splendore mirabilis. Dexter in cogitando, in argumentando acutus, in describendo gratus et elegans, non indignus evasit qui *Firmianum inter, Cyprianum, Hilarium, Joannem, Ambrosium*, ab Eucherio numeraretur. (Euch. epist. ad Valerium.)

Dialogus Minutii Felicis sub nomine Arnobii excusus est Romæ primum 1542, et postea Basileæ 1546 et 1560, in-8°; deinde vero Minutio Felici restitutus a *Balduino* Heidelbergæ 1560, et Romæ curante *Ursino* 1583, in-8° et in-4°, et iterum Basileæ 1603, in-8°, cum tractatu sancti Cypriani *de Vanitate idolorum*, studio *Joannis Worweri*, et hoc sæculo sæpius apud plurimas Galliæ et exterorum civitates. Sæculo autem sequenti in lucem iterum prodiit, an. 1709, Leidæ, in-8°; 1711 Londini, et Camborici, in-8°, curante *Joanne Davisio* an. 1712 : legitur etiam in Bibliothecis Patrum.

Nicolaüs Perrot d'Ablancourt eumdem librum gallice versum excudi curavit, an. 1646, in-12, et iterum 1660, in-18, et 1662, in-12, et 1677, in-12, Parisiis; Amstelodami autem 1683, in-12, cum textu latino; et pariter Lipsiæ, 1689.

Leguntur etiam plurima et longiora ejusdem fragmenta, gallice versa, apud D. *Guillon* Bibliothecam selectam sanctorum Patrum, tom. III, a pagina 269 usque ad paginam 328; in-8°, Paris. 1824.

Adest etiam versio anglica, Londini, 1682, in-8°; et flandriensis, transferente *Gargone*, 1712, Flessinguæ in Zelandia.

M. MINUTII FELICIS,

OCTAVIUS.

(JUXTA EDITIONEM JOANNIS DAVISII, CANTABRIGIÆ 1712.)

I. Cogitanti mihi, et cum animo meo Octavii, boni et fidelissimi contubernalis, memoriam recensenti, tanta dulcedo et affectio hominis inhæsit, ut ipse quodammodo mihi viderer in præterita redire, non ea quæ jam transacta et decursa sunt recordatione revocare : ita ejus contemplatio, quantum subtracta est oculis, tantum pectori meo, ac pene intimis sensibus implicata est! Nec immerito discedens vir eximius et sanctus, immensum sui desiderium nobis reliquit; utpote cum et ipse tanto nostri semper amore flagraverit, ut, et in ludicris et seriis, pari mecum voluntate concineret, eadem velle vel nolle : crederes unam mentem in duobus fuisse divisam. Sic solus in amoribus conscius ipse, socius in erroribus : et cum discussa caligine, de tenebrarum profundo in lucem sapientiæ et veritatis emergerem, non respuit comitem, sed, quod est gloriosius, præcucurrit. Itaque cum per universam convictus nostri et familiaritatis ætatem mea cogitatio volveretur, in illo præcipue sermone ejus mentis meæ resedit intentio, quo Cæcilium superstitiosis vanitatibus etiam nunc inhærentem disputatione gravissima ad veram religionem reformavit.

II. Nam negotii, et visendi mei gratia Romam contenderat, relicta domo, conjuge liberis, et quod est in liberis amabilius, adhuc annis innocentibus, et adhuc dimidiata verba tentantibus, loquelam, ipso offensantis linguæ frag-

mine, dulciorem. Quo in adventu ejus non possum exprimere sermonibus, quanto quamque impatienti gaudio exultaverim; cum augeret maxime lætitiam meam amicissimi hominis inopinata præsentia. Igitur post unum et alterum diem, cum jam et aviditatem desiderii frequens assiduitatis usus implesset, et quæ per absentiam mutuam de nobis nesciebamus, relatione alterna comperissemus; placuit Ostiam petere amœnissimam civitatem, quod esset corpori meo siccandis humoribus de marinis lavacris blanda et apposita curatio. Sane et ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverant; nam id temporis, post æstivam diem, in temperiem semet autumnitas dirigebat. Itaque cum diluculo ad mare inambulando littore pergeremus, ut et aura aspirans leniter membra vegetaret, et cum eximia voluptate molli vestigio cedens arena subsideret; Cæcilius, simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens, osculum labiis pressit.

III. Tunc Octavius ait[1]: Non boni viri est, Marce frater, hominem domi forisque lateri tuo inhærentem, sic in hac imperitiæ vulgaris cæcitate deserere, ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere, effigiatos sane, et unctos, et coronatos; cum scias hujus erroris non minorem ad te quam ad ipsum infamiam redundare. Cum hoc sermone ejus medium spatium civitatis emensi, jam liberum littus tenebamus. Ibi arenas extimas, velut sterneret ambulacro, perfundens lenis unda tendebat. Et ut semper mare etiam positis flatibus inquietum est, etsi non canis spumosisque fluctibus exibat ad terram, tamen crispis torosisque ibidem erroribus delectati perquam sumus, cum in ipso æquoris limine plantas tingeremus, quod vicissim nunc appulsum nostris pedibus alluderet fluctus, nunc relabens, ac vestigia retrahens in sese resorberet. Sensim itaque tran-

[1] Vide D. Guillon, p. 271.

quilleque progressi, oram curvi molliter littoris, iter fabulis fallentibus, legebamus. Hæ fabulæ erant Octavii disserentis de navigatione narratio. Sed ubi eundi spatium satis justum cum sermone consumpsimus, eamdem emensi viam rursus versis vestigiis terebamus. Et cum ad id loci ventum est ubi subductæ naviculæ substratris roboribus, a terrena labe suspensæ quiescebant, pueros videmus certatim gestientes testarum in mare jaculationibus ludere. Is lusus est, testam teretem, jactatione fluctuum lævigatam, legere de littore; eam testam plano situ digitis comprehensam, inclinem ipsum atque humilem, quantum potest, super undas irrotare : ut illud jaculum vel dorsum maris raderet, vel enataret, dum leni impetu labitur; vel summis fluctibus tonsis emicaret, emergeret, dum assiduo saltu sublevatur. Is se in pueris victorem ferebat, cujus testa et procurreret longius, et frequentius exiliret.

IV. Igitur cum omnes hac spectaculi voluptate caperemur, *Cæcilius*[1] nihil intendere, neque de contentione ridere, sed tacens, anxius, segregatus, dolere nescio quid vultu fatebatur. Cui ego : Quid hoc est rei? cur non agnosco, Cæcili, alacritatem tuam illam? et illam oculorum etiam in seriis hilaritatem requiro? Tum ille : Jamdudum me Octavii nostri acriter angit et remordet oratio qua, in te invectus, objurgavit negligentiæ, ut me dissimulanter gravius argueret inscientiæ. Itaque progrediar ulterius : de toto et integro mihi cum Octavio res est. Si placet ut ipsius sectæ homo cum eo disputem, jam profecto intelliget facilius esse in contubernalibus disputare, quam conserere sapientium modo. In istis ad tutelam balnearum jactis et in altum procurrentibus petrarum obicibus residamus, ut et requiescere de itinere possimus, et intentius disputare. Et cum dicto ejus assedimus, ita ut me ex tribus medium lateris ambi-

[1] Vide D. Guillon, p. 272.

tione protegerent : neque hoc obsequii fuit, aut ordinis, aut honoris, quippe cum amicitia pares semper aut accipiat, aut faciat; sed ut arbiter et utrique proximus aures darem, et disceptantes duos medius segregarem.

V. Tum sic Cæcilius exorsus est[1]: Quanquam tibi, Marce frater, de quo cum maxime quærimus non sit ambiguum, utpote cum diligenter in utroque vivendi genere versatus repudiaris alterum, alterum comprobaris; imprasentiarum tamen ita tibi informandus est animus, ut libram teneas æquissimi judicis, nec in alteram partem propensus incumbas, ne non tam ex nostris disputationibus nata sententia, quam ex tuis sensibus prolata videatur. Proinde si mihi quasi novus aliqui, et quasi ignarus partis utriusque considas, nullum negotium est patefacere, omnia in rebus humanis dubia, incerta, suspensa; magisque omnia verisimilia, quam vera. Quo minus mirum est nonnullos tædio investigandæ penitus veritatis cuilibet opinioni temere succumbere, quam in explorando pertinaci diligentia perseverare. Itaque indignandum omnibus, indolescendum est, audere quosdam, et hoc studiorum rudes, litterarum profanos, expertes artium etiam sordidarum, certum aliquid de summa rerum ac majestate decernere, de qua tot omnibus sæculis sectarum plurimarum usque adhuc ipsa Philosophia deliberat. Nec immerito; cum tantum absit ab exploratione divina humana mediocritas, ut neque quæ supra nos cœlo suspensa sublata sunt, neque quæ infra terram profunda demersa sunt, aut scire sit datum, aut scrutari permissum, aut stuprare religiosum : et beati satis, satisque prudentes jure videamur, si, secundum illud vetus Sapientis oraculum, nosmetipsos familiarius noverimus. Sed quatenus indulgentes insano atque inepto labori, ultra humilitatis nostræ terminos evagamur, et in terram projecti,

[1] Vide D. Guillon, a p. 272 usque ad p. 290.

cœlum ipsum et ipsa sidera audaci cupiditate transcendimus, vel hunc errorem saltem, non vanis et formidolosis opinionibus implicemus. Sint principio omnium semina natura in se coëunte densata : quis hic auctor Deus? Sint fortuitis concursionibus totius mundi membra coalita, digesta, formata : quis Deus machinator? Sidera licet ignis accenderit, et cœlum licet sua materia suspenderit; licet terram fundaverint pondera, et mare licet influxerit e liquore : unde hæc religio, unde formido, quæ superstitio est? Homo et animal omne quod nascitur, inspiratur, attollitur, elementorum ut voluntaria concretio est : in quæ rursum homo et animal omne dividitur, solvitur, dissipatur. Ita in fontem refluunt, et in semet omnia revolvuntur, nullo artifice, nec indice, nec auctore. Sic, congregatis ignium seminibus, soles alios atque alios semper splendere. Sic, exhalatis terræ vaporibus, nebulas semper adolescere; quibus densatis coactisque, nubes altius surgere; iisdem labentibus, pluvias fluere, flare ventos, grandines increpare; vel nimbis collidentibus, tonitrua mugire, rutilare fulgura, fulmina præmicare : adeo passim cadunt, montes irruunt, arboribus incurrunt, sine delectu tangunt loca sacra et profana, homines noxios feriunt et sæpe religiosos. Quid tempestates loquar varias et incertas, quibus nullo ordine vel examine, rerum omnium impetus volutatur? in naufragiis, bonorum malorumque fata mixta, merita confusa? in incendiis, interitum convenire insontium nocentiumque? et, cum tabe pestifera cœli tractus inficitur, sine discrimine omnes deperire? et, cum belli ardore sævitur, meliores potius occumbere? In pace etiam, non tantum æquatur nequitia melioribus, sed et colitur : ut in pluribus nescias, utrum sit eorum detestanda pravitas, an optanda felicitas. Quod si mundus divina providentia, et alicujus numinis auctoritate regeretur, nunquam mereretur Phalaris et Dio-

nysius regnum, nunquam Rutilius et Camillus exilium, nunquam Socrates venenum. Ecce arbusta frugifera, ecce jam seges cana, jam temulenta vindemia, imbri corrumpitur, grandine cæditur. Adeo aut incerta nobis veritas occultatur et premitur; aut, quod magis credendum est, variis et lubricis casibus soluta legibus fortuna dominatur. Cum igitur aut fortuna certa, aut incerta natura sit; quanto venerabilius ac melius antistitem veritatis majorum excipere disciplinam! religiones traditas colere! deos quos a parentibus ante imbutus es timere, quam nosse familiarius, adôrare! nec de numinibus ferre sententiam, sed prioribus credere qui, in ipsius mundi natalibus, meruerunt deos vel faciles habere, vel reges!

VI. Inde adeo per universa imperia, provincias, oppida, videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere, et deos colere municipes, ut Eleusinios Cererem, Phrygas Matrem, Epidaurios Æsculapium, Chaldæos Belum, Astarten Syros, Dianam Taurios, Gallos Mercurium, universa Romanos. Sic eorum potestas et auctoritas, totius orbis ambitus occupavit: sic imperium suum ultra solis vias et ipsius oceani limites propagavit, dum exercent in armis virtutem religiosam, dum urbem muniunt sacrorum religionibus, castis virginibus, multis honoribus ac nominibus sacerdotum; dum obsessi, et citra solum Capitolium capti, colunt deos, quos alius jam sprevisset iratos, et per Gallorum acies mirantium superstitionis audaciam pergunt telis inermes, sed cultu religionis armati; dum capti in hostilibus mœnibus adhuc ferociente victoria numina victa venerantur; dum undique hospites deos quærunt, et suos faciunt; dum aras extruunt etiam ignotis numinibus, et Manibus. Sic dum universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt. Hinc perpetuus venerationis tenor mansit, qui longa ætate non infringitur, sed augetur. Quippe antiquitas

cæremoniis atque fanis tantum sanctitatis tribuere consuevit, quantum astruxerit vetustatis.

VII. Nec tamen temere, ausim enim interim et ipse concedere et sic melius errare, majores nostri aut observandis auguriis aut extis consulendis, aut instituendis sacris, aut delubris dedicandis operam navaverunt. Specta de libris memorias, jam eos deprehendes initiasse ritus omnium religionum, vel ut remuneraretur divina indulgentia, vel ut averteretur imminens ira, aut ut jam tumens et sæviens placaretur. Testis mater Idæa, quæ adventu suo et probavit matronæ castitatem, et urbem metu hostili liberavit. Testes equestrium fratrum in lacu, sicut ostenderant, statuæ consecratæ, qui anhelis, spumantibus equis atque fumantibus, de Perse victoriam eadem die qua fecerant, nuntiaverunt. Testis ludorum offensi Jovis de somno plebeii hominis iteratio : et Deciorum devotio rata testis est. Testis et Curtius, qui equitis sui vel mole vel honore hiatum profundæ voraginis *coæquavit*. Frequentius etiam quam volebamus, deorum præsentiam contempta auspicia contestata sunt. Sic Allia nomen infaustum. Sic Claudii et Junii non prælium in Pœnos, sed ferale naufragium est. Et ut Thrasymenus Romanorum sanguine et major esset, et decolor, sprevit auguria Flaminius; et ut Parthos signa repetamus, dirarum imprecationes Crassus et meruit, et irrisit. Omitto vetera quæ multa sunt, et de deorum natalibus, donis, muneribus : negligo carmina poëtarum : prædicta etiam de oraculis fata transilio, ne nobis antiquitas nimium fabulosa videatur. Intende templis ac delubris deorum quibus Romana civitas et protegitur et ornatur; magis sunt augusta numinibus incolis, præsentibus, inquilinis, quam cultus insignibus et muneribus opulenta. Inde adeo pleni et mixti deo vates futura præcerpunt, dant cautelam periculis, morbis medelam, spem afflictis, opem miseris, solatium calami-

tatibus, laboribus levamentum. Etiam per quietem deos videmus, audimus, agnoscimus, quos impie per diem negamus, nolumus, pejeramus.

VIII. Itaque, cum omnium gentium de diis immortalibus, quamvis incerta sit vel ratio vel origo, maneat tamen firma consensio, neminem fero tanta audacia tamque irreligiosa nescio qua prudentia tumescentem, qui hanc religionem tam vetustam, tam utilem, tam salubrem dissolvere aut infirmare nitatur. Sit licet ille Theodorus Cyrenæus, vel qui prior Diagoras Melius, cui Atheon cognomen apposuit antiquitas, qui uterque, nullos deos asseverando, timorem omnem, quo humanitas regitur, venerationemque penitus sustulerunt: nunquam tamen in hac impietatis disciplina simulatæ Philosophiæ nomine atque auctoritate pollebunt. Cum Abderitem Protagoram Athenienses viri, consulte potius quam profane de divinitate disputantem, et expulerint suis finibus, et in concione ejus scripta deusserint; quid? homines (sustinebitis enim me impetum susceptæ actionis liberius exerentem) homines, inquam, deploratæ, illicitæ ac desperatæ factionis grassari in deos non ingemiscendum est? qui de ultima fæce collectis imperitioribus et mulieribus credulis, sexus sui facilitate labentibus, plebem profanæ conjurationis instituunt; quæ nocturnis congregationibus et jejuniis solemnibus, et inhumanis cibis, non sacro quodam sed piaculo fœderantur. Latebrosa et lucifugax natio, in publicum muta, in angulis garrula; templa ut busta despiciunt, deos despuunt, rident sacra, miserentur miseri, si fas est, sacerdotum; honores et purpuras despiciunt, ipsi seminudi. Proh! mira stultitia et incredibilis audacia! spernunt tormenta præsentia, dum incerta metuunt et futura; et dum mori post mortem timent, interim mori non timent. Ita illis pavorem fallax spes solatia rediviva blanditur.

IX. Ac jam, ut fæcundius nequiora proveniunt, serpentibus in dies perditis moribus, per universum orbem sacraria ista teterrima impiæ coitionis adolescunt. Eruenda prorsus hæc, et execranda consensio. Occultis se notis et insignibus noscunt, et amant mutuo, pene antequam noverint: passim etiam inter eos velut quædam libidinum religio miscetur; ac se promisce appellant frâtres, et sorores, ut etiam non insolens stuprum intercessione sacri nominis fiat incestum. Ita eorum vana et demens superstitio sceleribus gloriatur. Nec de ipsis, nisi subsisteret veritas, maxima et varia et honore præfanda sagax fama loqueretur. Audio eos turpissimæ pecudis caput asini consecratum inepta nescio qua persuasione venerari. Digna et nata religio talibus moribus. Alii eos ferunt ipsius antistitis ac sacerdotis colere genitalia, et quasi parentis sui adorare naturam. Nescio an falsa, certe occultis ac nocturnis sacris apposita suspicio. Et qui hominem summo supplicio pro facinore punitum, et *crucis ligna feralia* eorum cæremonias fabulatur, congruentia perditis sceleratisque tribuit altaria, ut id colant quod merentur. Jam de initiandis tirunculis fabula tam detestanda quam nota est. Infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei qui sacris imbuatur. Is infans a tirunculo, farris superficie quasi ad innoxios ictus provocato, cæcis occultisque vulneribus occiditur: hujus, proh nefas! sitienter sanguinem lambunt, hujus certatim membra dispertiunt, hac fœderantur hostia, hac conscientia sceleris ad silentium mutuum pignorantur. Hæc sacra sacrilegiis omnibus tetriora. Et de convivio notum est: passim omnes loquuntur: id etiam Cirtensis nostri testatur oratio. Ad epulas solemni die coëunt, cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines et omnis ætatis: illic post multas epulas, ubi convivium caluit, et incestæ libidini ebrietatis fervor exarsit, canis qui candelabro nexus est,

jactu offulæ ultra spatium lineæ qua vinctus est, ad impetum et saltum provocatur : sic everso et extincto conscio lumine, impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis involvunt per incertum sortis : et si non omnes opera, conscientia tamen pariter incesti; quoniam voto universorum appetitur quidquid accidere potest in actu singulorum.

X. Multa prætereo consulto. Nam et hæc nimis multa sunt, quæ aut omnia aut pleraque omnium vera declarat ipsius pravæ religionis obscuritas. Cur etenim occultare et abscondere quidquid illud colunt magnopere nituntur; cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint? cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra, nunquam palam loqui, nunquam libere congregari, nisi illud quod colunt et interprimunt, aut puniendum est, aut pudendum? Unde autem, vel quis ille, aut ubi Deus unicus, solitarius, destitutus; quem non gens libera, non regna, non saltem Romana superstitio noverunt? Judæorum sola et misera gentilitas unum et ipsi Deum, sed palam, sed templis, aris, victimis, cæremoniisque coluerunt. Cujus adeo nulla vis, nec potestas est, ut sit Romanis numinibus cum sua sibi natione captivus. At etiam Christiani, quænam monstra, quæ portenta confingunt? Deum illum suum, quem nec ostendere possunt, nec videre, in omnium mores, actus omnium, verba denique et occultas cogitationes diligenter inquirere? discurrentem scilicet, atque ubique præsentem : molestum illum volunt, inquietum, impudenter etiam curiosum. Siquidem astat factis omnibus, locis omnibus intererrat, cum nec singulis inservire possit per universa districtus, nec universis sufficere in singulis occupatus.

XI. Quid? quod toto orbi, et ipsi mundo cum sideribus suis minantur incendium, ruinam moliuntur? quasi aut naturæ divinis legibus constitutus æternus ordo turbetur, aut

rupto elementorum omnium fœdere, et cœlesti compage divisa, moles ista, qua continetur et cingitur, subruatur. Nec hac furiosa opinione contenti, aniles fabulas astruunt et annectunt. Renasci se ferunt post mortem et cineres et favillas: et nescio qua fiducia mendaciis suis invicem credunt. Putes eos jam revixisse. Anceps malum, et gemina dementia! cœlo et astris, quæ sic relinquimus ut invenimus, interitum denuntiare; sibi mortuis, extinctis, qui sicut nascimur et interimus, æternitatem repromittere. Inde videlicet et execrantur rogos, et damnant ignium sepulturas. Quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen et ætatibus in terram resolvatur; nec intersit, utrum feræ diripiant, an maria consumant, an humus contegat, an flamma subducat: cum cadaveribus omnis sepultura, si sentiunt, pœna sit; si non sentiunt, ipsa conficiendi celeritate medicina. Hoc errore decepti beatam sibi, ut bonis, et perpetem vitam mortuis pollicentur; cæteris, ut injustis, pœnam sempiternam. Multa ad hæc suppetunt, ni festinet oratio. Injustos ipsos, magis nec laboro, jam docui: quanquam, etsi justos darem, culpam tamen, vel innocentiam fato tribui, sententiis plurimorum et hæc vestra consensio est. Nam quidquid agimus, ut alii fato, ita vos Deo dicitis. Sic sectæ vestræ non spontaneos cupere, sed electos. Igitur iniquum judicem fingitis, qui sortem in hominibus puniat, non voluntatem. Vellem tamen sciscitari, utrumne cum corporibus? et corporibus quibus, ipsisne an innovatis resurgatur? Sine corpore? Hoc, quod sciam neque mens, neque anima, nec vita est. Ipso corpore? Sed jam ante dilapsum est. Alio corpore? Ergo homo novus nascitur, non prior ille reparatur. Et tamen tanta ætas abiit, sæcula innumera fluxerunt, quis unus ullus ab inferis vel Protesilaï sorte remeavit, horarum saltem permisso commeatu, vel ut exemplo crederemus? Omnia ista figmenta malesa-

næ opinionis, et inepta solatia a poëtis fallacibus in dulcedine carminis lusa, a vobis nimirum credulis in Deum vestrum turpiter reformata sunt.

XII. Nec saltem de præsentibus capitis experimentum, quam vos irritæ pollicitationis cassa vota decipiant : quid post mortem impendeat, miseri ! dum adhuc vivitis, æstimate. Ecce pars vestrum et major, melior, ut dicitis, egetis, algetis, opere, fame, laboratis : et Deus patitur, dissimulat; non vult, aut non potest opitulari suis. Ita aut invalidus, aut iniquus est. Tu, qui immortalitatem posthumam somnias, cum periculo quateris, cum febribus ureris, cum dolore laceraris, nondum conditionem tuam sentis? nondum agnoscis fragilitatem? invitus miser infirmitatis argueris, nec fateris? Sed omitto communia. Ecce vobis minæ, supplicia, tormenta, et jam non adorandæ, sed subeundæ cruces; ignes etiam, quos et prædicitis et timetis : ubi Deus ille, qui subvenire reviviscentibus potest, viventibus non potest? Nonne Romani sine vestro Deo imperant, regnant, fruuntur orbe toto, vestrique dominantur? vos vero suspensi interim atque solliciti, honestis voluptatibus abstinetis : non spectacula visitis, non pompis interestis; convivia publica absque vobis; sacra certamina, præcerptos cibos, et delibatos altaribus potus abhorretis. Sic reformidatis deos, quos negatis. Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis : reservatis unguenta funeribus : coronas etiam sepulcris denegatis, pallidi, trepidi, misericordia digni, sed nostrorum deorum : ita nec resurgitis miseri, nec interim vivitis. Proinde si quid sapientiæ vobis aut verecundiæ est, desinite cœli plagas, et mundi fata et secreta rimari. Satis est pro pedibus aspicere, maxime indoctis, impolitis, rudibus, agrestibus : quibus non est datum intelligere civilia, multo magis denegatum est disserere divina.

XIII. Quanquam si philosophandi libido est, Socratem sapientiæ principem, quisque vestrum tantus est, si poterit, imitetur. Ejus viri, quoties de cœlestibus rogabatur, nota responsio est : QUOD SUPRA NOS, NIHIL AD NOS. Merito ergo de oraculo testimonium meruit prudentiæ singularis; quod oraculum idem ipse præsentit, idcirco universis esse præpositum, non quod omnia comperisset, sed quod nihil se scire didicisset. Ita confessæ imperitiæ summa prudentia est. Hoc fonte defluxit Arcesilæ, et multo post Carneadis et Academicorum plurimorum in summis quæstionibus tuta dubitatio; quo genere philosophari et caute indocti possunt, et docti gloriose. Quid? Simonidis Melici nonne admiranda omnibus, et sectanda cunctatio? qui Simonides, cum de eo, quid, et quales arbitraretur deos, ab Hierone tyranno quæreretur, primo deliberationi diem petiit, postridie biduum prorogavit, mox alterum tantum admonitus adjunxit; postremo cum causas tantæ moræ tyrannus inquireret, respondit ille, quod sibi, quanto inquisitio tardior pergeret, tanto veritas fieret obscurior. Mea quoque opinione, quæ sunt dubia, ut sunt relinquenda sunt : nec tot ac tantis viris deliberantibus temere et audaciter in alteram partem ferenda sententia est, ne aut anilis inducatur superstitio, aut omnis religio destruatur.

XIV. Sic Cæcilius, et renidens (nam indignationis ejus tumorem effusæ orationis impetus relaxaverat) : Et quid ad hæc, ait, audet Octavius homo Plautinæ prosapiæ, ut pistorum præcipuus, ita postremus philosophorum? Parce, inquam, in eum plaudere : neque enim prius exultare te dignum est concinnitate sermonis, quam utrinque plenius fuerit peroratum; maxime cum non laudi, sed veritati disceptatio vestra nitatur. Et quanquam magnum in modum me subtili varietate tua delectarit oratio, tamen altius moveor, non de præsenti actione, sed de toto genere dis-

putandi, quod plerumque, pro disserentium viribus et eloquentiæ potestate, etiam perspicuæ veritatis conditio mutetur. Id accidere pernotum est auditorum facilitate, qui dum verborum lenocinio a rerum intentionibus avocantur, sine delectu assentiuntur dictis omnibus: nec a rectis falsa secernunt, nescientes inesse et in incredibili verum, et in verisimili mendacium. Itaque quo sæpius asseverationibus credunt, eo frequentius a peritioribus arguuntur. Sic assidue temeritate decepti culpam judicis transferunt ad incerti querelam, ut damnatis omnibus malint universa suspendere, quam de fallacibus judicare. Igitur nobis providendum est, ne odio identidem sermonum omnium laboremus; ita ut in execrationem et odium hominum plerique simpliciores efferantur. Nam incaute creduli circumveniuntur ab his quos bonos putaverunt: mox errore consimili jam suspectis omnibus, ut improbos metuunt etiam quos optimos sentire potuerunt. Nos proinde solliciti, quod utrinque omni negotio disseratur, et ex altera parte plerumque obscura sit veritas, ex altero latere mira subtilitas, quæ nonnunquam ubertate dicendi fidem confessæ probationis imitetur; diligenter, quantum potest, singula ponderemus, ut argutias quidem laudare, ea vero quæ recta sunt eligere, probare, suscipere possimus.

XV. Decedis (inquit Cæcilius) officio judicis religiosi: nam perinjurium est, vires te actionis meæ intergressu gravissimæ disputationis infringere, cum Octavius integra et illibata habeat singula, si potest refutare. Id, quod criminaris, inquam, in commune, nisi fallor, compendium protuli, ut examine scrupuloso nostram sententiam non eloquentiæ tumore, sed rerum ipsarum soliditate libremus. Nec avocanda, quod quereris, diutius intentio, cum toto silentio liceat responsionem Januarii nostri, jam gestientis, audire.

XVI. Et Octavius : Dicam equidem, ut potero, pro viribus, et annitendum tibi mecum est, ut conviciorum amarissimam labem verborum veracium flumine diluamus. Nec dissimulabo [1], principio ita Natalis mei [2] errantem, vagam, lubricam nutasse sententiam, ut sit nobis ambigendum, utrum tua eruditio turbata sit, an vacillaverit per errorem : nam interim deos credere, interim se deliberare variavit, ut propositionis incerto certior responsionis nostræ intentio fundaretur. Sed in Natali meo versutiam nolo, non credo; procul est ab ejus simplicitate subtilis urbanitas. Quid igitur? ut qui rectam viam nescit, ubi, ut fit, in plures una diffunditur, quia viam nescit, hæret anxius, nec singulas audet eligere, nec universas probare : sic cui non est veri stabile judicium, prout infida suspicio spargitur, ita ejus dubia opinio dissipatur. Nullum itaque miraculum est, si Cæcilius identidem in contrariis ac repugnantibus jactetur, æstuet, fluctuetur : quod ne fiat ulterius, convincam et redarguam, quamvis diversa sint quæ dicta sunt, una veritate confirmata probataque. Nec dubitandum ei de cætero est, nec vagandum. Et quoniam meus frater erupit ægre se ferre, stomachari, indignari, dolere, illitteratos, pauperes, imperitos, de rebus cœlestibus disputare : sciat omnes homines sine delectu ætatis, sexus, dignitatis, rationis et sensus capaces et habiles procreatos; nec fortuna nactos, sed natura insitos esse sapientiam; quin ipsos etiam philosophos, vel si qui alii artium repertores in memorias exierunt, priusquam solertia mentis parerent nominis claritatem, habitos esse plebeios, indoctos seminudos : at vero divites facultatibus suis illigatos, magis aurum suscipere consuesse, quam cœlum; nostrates pauperes, et commentos esse prudentiam, et tradidisse cæteris disciplinam. Unde apparet ingenium

[1] Vide D. Guillon, a p. 290 usquè ad p. 327.
[2] Natalis, alterum Cæcilii nomen.

non dari facultatibus, nec studio parari, sed cum ipsa mentis formatione generari. Nihil itaque indignandum, vel dolendum, si quicumque de divinis quærat, sentiat, proferat; cum non disputantis auctoritas, sed disputationis ipsius veritas requiratur : atque etiam, quo imperitior sermo, hoc illustrior ratio est; quoniam non fucatur pompa facundiæ et gratiæ, sed, ut est, recti regula sustinetur.

XVII. Nec recuso, quod Cæcilius asserere inter præcipua connisus est, hominem nosse se et circumspicere debere, quid sit, unde sit, quare sit; utrum elementis concretus, an concinnatus atomis, an potius a Deo factus, formatus, animatus. Quod ipsum explorare et eruere sine universitatis inquisitione non possumus, cum ita cohærentia, connexa, concatenata sint, ut, nisi divinitatis rationem diligenter excusseris, nescias humanitatis; nec possis pulchre gerere rem civilem, nisi cognoveris hanc communem omnium mundi civitatem : præcipue cum a feris belluis hoc differamus, quod illa prona, in terramque vergentia, nihil nata sint prospicere, nisi pabulum; nos quibus vultus erectus, quibus suspectus in cœlum datus est, sermo, et ratio, per quæ Deum agnoscimus, sentimus, imitamur, ignorare nec fas nec licet ingerentem sese oculis et sensibus nostris cœlestem claritatem. Sacrilegii enim vel maximi instar est, humi quærere quod in sublimi debeas invenire. Quo magis mihi videntur, qui hunc mundi totius ornatum non divina ratione perfectum volunt, sed frustis quibusdam temere cohærentibus conglobatum, mentem, sensum, oculos denique ipsos non habere. Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in cœlum sustuleris, et quæ sunt infra circaque lustraveris, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur? Cœlum ipsum vide quam late tenditur, quam rapide volvitur, vel

quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem sole lustratur; jam scies quam sit in eo summi moderatoris mira et divina libratio. Vide et annum, ut solis ambitus faciat; et mensem vide, ut luna auctu, senio, labore circumagat. Quid tenebrarum et luminis dicam recursantes vices, ut sit nobis operis et quietis alterna reparatio? Relinquenda vero astrologis prolixior de sideribus oratio, vel quod regant cursum navigandi, vel quod arandi metendique tempus inducant: quæ singula non modo ut crearentur, fierent, disponerentur, summi opificis et perfectæ rationis eguerunt, verum etiam sentiri, perspici, intelligi, sine summa solertia et ratione non possunt. Quid? cum ordo temporum ac frugum stabili varietate distinguitur, nonne auctorem suum parentemque testatur? Ver æque cum suis floribus, et æstas cum suis messibus, et autumni maturitas grata, et hiberna olivitas necessaria: qui ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione consisteret. Jam providentiæ quantæ, ne hiems sola glacie ureret, aut sola æstas ardore torreret, autumni et veris inserere medium temperamentum, ut per vestigia sua anni revertentis occulti et innoxii transitus laberentur. Mari intende, lege littoris stringitur. Quidquid arborum est vide, quam e terræ visceribus animatur. Aspice oceanum, refluit reciprocis æstibus. Vide fontes, manant venis perennibus: fluvios intuere, eunt semper exercitis lapsibus. Quid loquar apte disposita recta montium, collium flexa, porrecta camporum? Quidve animantium loquar adversus sese tutelam multiformem? alias armatas cornibus, alias dentibus septas, et fundatas ungulis, et spicatas aculeis, aut pedum celeritate liberas, aut elatione pinnarum? Ipsa præcipue formæ nostræ pulchritudo Deum fatetur artificem: status rigidus, vultus erectus, oculi in summo, velut in specula constituti, et omnes cæteri sensus velut in arce compositi.

XVIII. Longum est ire per singula : nihil in homine membrorum est, quod non et necessitatis causa sit, et decoris : et, quod magis mirum est, eadem figura omnibus, sed quædam unicuique lineamenta deflexa. Sic et similes universi videmur, et inter se singuli dissimiles invenimur. Quid nascendi ratio? quid cupido generandi? nonne a Deo data est? et ut ubera partu maturescente lactescant, et ut tener fœtus ubertate lactei roris adolescat? Nec universitati solummodo Deus, sed et partibus consulit. Britannia sole deficitur, sed circumfluentis maris tepore recreatur. Ægypti siccitatem temperat Nilus amnis; colit Euphrates Mesopotamiam; pro imbribus pensat Indus flumen, et serere Orientem dicitur, et rigare. Quod si ingressus aliquam domum, omnia exculta, disposita, ornata vidisses, utique præesse ei crederes dominum, et illis bonis rebus multo esse meliorem : ita in hac mundi domo, cum cœlum terramque perspicias, providentiam, ordinem, legem, crede esse universitatis dominum, parentemque, ipsis sideribus, et totius mundi partibus pulchriorem. Ni forte, quoniam de providentia nulla dubitatio est, inquirendum putas utrum unius imperio, an arbitrio plurimorum cœleste regnum gubernetur : quod ipsum non est multi laboris aperire cogitanti imperia terrena, quibus exempla utique de cœlo. Quando unquam regni societas aut cum fide cœpit, aut sine cruore discessit? Omitto Persas de equorum hinnitu augurantes principatum, et Thebanorum par mortuum, fabulam, transeo. Ob pastorum et casæ regnum de geminis memoria notissima est. Generi et soceri bella toto orbe diffusa sunt, et tam magni imperii duos fortuna non cepit. Vide cætera. Rex unus apibus, dux unus in gregibus, in armentis rector unus : tu in cœlo summam potestatem dividi credas, et scindi veri illius ac divini imperii totam potestatem? cum palam sit parentem omnium Deum nec principium habere,

nec terminum; qui nativitatem omnibus præstet, sibi perpetuitatem; qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo; qui universa quæcumque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi potest, tactu purior est; nec æstimari, sensibus major est, infinitus, immensus, et soli sibi, tantus quantus est, notus : nobis vero ad intellectum pectus angustum est; et ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum sentio : magnitudinem Dei, qui se putat nosse, minuit : qui non vult minuere, non novit. Nec nomen Deo quæras, Deus nomen est : illic vocabulis opus est cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est : Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est : quem si patrem dixero, terrenum opineris; si regem, carnalem suspiceris; si dominum, intelliges utique mortalem. Aufer additamenta nominum, et perspicies ejus claritatem. Quid? quod omnium *de isto habeo* consensum? Audio vulgus, cum ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quam *Deum* dicunt, et, *Deus magnus est;* et, *Deus verus est;* et, *si Deus dederit.* Vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confitentis oratio? Et qui Jovem principem volunt, falluntur in nomine, sed de una potestate consentiunt.

XIX Audio poëtas quoque unum patrem divum atque hominum prædicantes, et talem esse mortalium mentem, qualem parens omnium diem duxerit. Quid Mantuanus Maro? nonne apertius, proximius, verius? « Principio, *ait.* » cœlum et terras *et cætera mundi membra* spiritus intus » alit, *et* infusa mens agitat : inde hominum pecudumque » genus[1], » et quidquid aliud animalium. Idem alio loco, mentem istam *et* spiritum Deum nominat; hæc enim verba sunt : « Deum namque ire per omnes terrasque tractusque

[1] Virgil. Æneid. VI, 724.

» maris, cœlumque profundum : unde homines et pecudes, » unde imber et ignes[1]. » Quid aliud et a nobis Deus, quam mens, et ratio, et spiritus prædicatur ? Recenseamus, si placet, disciplinam philosophorum ; deprehendes eos, et si sermonibus variis, ipsis tamen rebus in hanc unam coire et conspirare sententiam. Omitto illos rudes et veteres, qui de suis dictis sapientes esse meruerunt. Sit Thales Milesius omnium primus, qui primus omnium de cœlestibus disputavit. Idem Milesius Thales rerum initium aquam dixit : Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta formaverit. Eho altior et sublimior aquæ et spiritus ratio, quam ut ab homine potuerit inveniri : a Deo traditum. Vides philosophi principalis nobiscum penitus opinionem consonare. Anaximenes deinceps, et post Apolloniates Diogenes aëra Deum statuunt, infinitum et immensum. Horum quoque similis de divinitate consensio est. Anaxagoræ vero descriptio et motus infinitæ mentis Deus dicitur. Et Pythagoræ Deus est animus, per universam rerum naturam commeans et intentus ; ex quo etiam animalium omnium vita capiatur. Xenophanem notum est, omne infinitum cum mente, Deum tradere ; et Antisthenem populares deos multos, sed naturalem unum præcipuum ; Speusippum vim naturalem, animalem, qua omnia regantur, Deum nosse. Quid Democritus ? quamvis atomorum primus inventor, nonne plerumque naturam, quæ imagines fundat, et intelligentiam, Deum loquitur ? Straton quoque et ipse naturam. Etiam Epicurus ille, qui deos aut otiosos fingit, aut nullos, naturam tamen superponit. Aristoteles variat, et assignat tamen unam potestatem : nam interim mentem, mundum interim Deum dicit, interim mundo Deum præficit. ([2] Aristoteles Ponticus variat, alias mundo, alias menti divinæ tribuens principa-

[1] Virg. Ge. IV, 221 ; Æn. I, 747. — [2] Totam hanc periodum delendam putat Heraldus.

tum.) Heraclides Ponticus quoque Deo divinam mentem, quamvis varie, ascribit, alias mundo, alias menti divinæ tribuens principatum. Theophrastus, et Zenon, et Chrysippus, et Cleanthes, sunt et ipsi multiformes, sed ad unitatem providentiæ omnes revolvuntur. Cleanthes enim mentem, modo animum, modo æthera, plerumque rationem Deum disseruit. Zenon ejusdem magister naturalem legem atque divinam, et æthera interim, interdumque rationem vult omnium esse principium. Idem interpretando Junonem aëra, Jovem cœlum, Neptunum mare, ignem esse Vulcanum, et cæteros similiter vulgi deos elementa esse monstrando, publicum arguit graviter et revincit errorem. Eadem fere Chrysippus, vim divinam, rationalem naturam, et mundum interim, et fatalem necessitatem Deum credit; Zenonemque interpretatione physiologiæ in Hesiodi, Homeri, Orpheique carminibus imitatur. Babylonio etiam Diogeni disciplina est exponendi et disserendi, Jovis partum, et ortum Minervæ, et hoc genus cætera, rerum vocabula esse, non deorum. Nam Socraticus Xenophon formam Dei veri negat videri posse, et ideo quæri non oportere: Aristo Chius, comprehendi omnino non posse. Uterque majestatem Dei, intelligendi desperatione senserunt. Platoni apertior de Deo, et rebus ipsis, et nominibus oratio est, et quæ tota esset cœlestis, nisi persuasionis civilis nonnunquam admixtione sordesceret. Platoni itaque in Timæo Deus est ipso suo nomine mundi parens, artifex animæ, cœlestium terrenorumque fabricator: quem et invenire difficile, præ nimia et incredibili potestate, et cum inveneris in publicum dicere impossibile præfatur. Eadem fere et ista quæ nostra sunt. Nam et Deum novimus, et parentem omnium dicimus; et nunquam publice nisi interrogati prædicamus.

XX. Exposui opiniones omnium ferme philosophorum

quibus illustrior gloria est, Deum unum multis licet designasse nominibus : ut quivis arbitretur, aut nunc christianos philosophos esse, aut philosophos fuisse jam tunc christianos. Quod si providentia mundus regitur, et unius Dei nutu gubernatur, non nos debet antiquitas imperitorum fabellis suis delectata, vel capta, ad errorem mutui rapere consensus : cum philosophorum suorum sententiis refellatur, quibus et rationis et vetustatis assistit auctoritas. Majoribus enim nostris tam facilis in mendaciis fides fuit, ut temere crediderint etiam alia monstruosa, mira miracula : Scyllam multiplicem, Chimæram multiformem, et Hydram felicibus vulneribus renascentem, et Centauros equos suis hominibus implexos; et quidquid famæ licet fingere, *illis* erat libenter audire. Quid illas aniles fabulas, de hominibus aves, et feras homines, et de hominibus arbores atque flores? quæ si essent facta, fierent; quia fieri non possunt, ideo nec facta sunt. Similiter, ac vero erga deos quoque, majores nostri improvidi, creduli, rudi simplicitate crediderunt : dum reges suos colunt religiose, dum defunctos eos desiderant in imaginibus videre, dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere, sacra facta sunt quæ fuerant assumpta solatia. Denique et antequam commerciis orbis pateret, et antequam gentes ritus suos moresque miscerent, unaquæque natio conditorem suum, aut ducem inclytum, aut reginam pudicam sexu suo fortiorem, aut alicujus muneris vel artis repertorem venerabatur, ut civem bonæ memoriæ. Sic et defunctis præmium, et futuris dabatur exemplum.

XXI. Lege Stoicorum scripta, vel scripta sapientium : eadem mecum recognosces. Ob merita virtutis, aut muneris deos habitos Euhemerus exequitur, et eorum natales, patrias, sepulcra dinumerat, et per provincias monstrat : Dictæi Jovis, et Apollinis Delphici, et Phariæ Isidis,

et Cereris Eleusinæ. Prodicus assumptos in deos loquitur, qui errando inventis novis frugibus utilitati hominum profuere. In eamdem sententiam et Perseus philosophatur, et annectit inventas fruges et frugum ipsarum repertores iisdem nominibus, ut comicus sermo est Venerem sine Libero et Cerere frigere. Alexander ille Magnus[1] Macedo insigni volumine ad matrem suam scripsit, metu suæ potestatis proditum sibi de diis hominibus a sacerdote secretum. Illic Vulcanum facit omnium principem, et postea Jovis gentem; et de spicis Isidis ad hirundinem sistrum, et asparsis membris inanem tui Serapidis sive Osiridis tumulum. Considera denique sacra ipsa, et ipsa mysteria, invenies exitus tristes, fata, et funera, et luctus, atque planctus miserorum deorum. Isis perditum filium cum Cynocephalo suo et calvis sacerdotibus luget, plangit, inquirit: et Isiaci miseri cædunt pectora, et dolorem infelicissimæ matris imitantur : mox, invento parvulo, gaudet Isis, *exultant sacerdotes*, Cynocephalus inventor gloriatur; nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inveniunt, vel invenire quod perdunt. Nonne ridiculum est, vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas? Hæc tamen Ægyptia quondam, nunc et sacra Romana sunt. Ceres facibus accensis, et serpente circumdata, errore subreptam et corruptam Liberam anxia et sollicita vestigat. Hæc sunt Eleusinia. Et quæ Jovis sacra sunt? Nutrix capella est, et avido patri subtrahitur infans ne voretur, et Corybantum cymbalis, ne pater audiat, vagitus initus eliditur. Cybelæ Dindyma pudet dicere, quæ adulterum suum infeliciter placitum, quoniam et ipsa deformis et vetula, ut multorum deorum mater, ad stuprum illicere non poterat, execuit, ut Deum scilicet faceret eunuchum. Propter hanc fabulam Galli eam, et semiviri, sui corporis supplicio colunt. Hæc jam

[1] Imo Alexander Polyhistor; hic cum plerisque errat Minutius.

non sunt sacra, tormenta sunt. Quid formæ ipsæ et habitus? nonne arguunt ludibria et dedecora deorum vestrorum? Vulcanus claudus deus, et debilis: Apollo tot ætatibus lævis: Æsculapius bene barbatus, etsi semper adolescentis Apollinis filius: Neptunus glaucis oculis, Minerva cæsiis, bubulis Juno: pedibus Mercurius alatis, Pan ungulatis, Saturnus compeditis: Janus vero frontes duas gestat, quasi ut aversus incedat: Diana interim est alte succincta venatrix; et Ephesia mammis multis, et veribus[1] extructa; et Trivia trinis capitibus et multis manibus horrifica. Quid ipse Jupiter vester? modo imberbis statuitur, modo barbatus locatur: et cum Hammon dicitur, habet cornua; et cum Capitolinus, tunc gerit fulmina; et cum Latiaris, cruore perfunditur; et cum Feretrius, non auditur. Et ne longius multos Joves obeam, tot sunt Jovis monstra, quot nomina. Erigone suspensa de laqueo est, ut virgo inter astra ignita sit: Castores alternis moriuntur, ut vivant: Æsculapius, ut in Deum surgat, fulminatur: Hercules, ut hominem exuat, Œtæis ignibus concrematur.

XXII. Has fabulas et errores et ab imperitis parentibus discimus, et, quod est gravius, ipsis studiis et disciplinis elaboramus, carminibus præcipue poëtarum, qui plurimum quantum veritati ipsa sua auctoritate nocuere. Et Plato ideo præclare Homerum illum inclytum, laudatum et coronatum, de civitate, quam in sermone instituebat, ejecit. Hic enim præcipuus bello Troico Deos vestros, etsi ludos facit, tamen in hominum rebus et actibus miscuit. Hic eorum paria composuit, sauciavit Venerem, Martem vinxi, vulneravit, fugavit: Jovem narrat a Briareo liberatum, ne a diis cæteris ligaretur; et Sarpedonem filium, quoniam morti non poterat eripere, cruentis imbribus flevisse; et loro Veneris illectum flagrantius quam in adulteras soleat, cum

[1] Credo ponendum esse pro *veribus uberibus*.

Junone uxore concumbere. Alibi Hercules stercora egerit, et Apollo Admeto pecus pascit. Laomedonti vero muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accipit. Illic Jovis fulmen cum Æneæ armis in incude fabricatur : cum cœlum et fulmina et fulgura longe ante fuerint quam Jupiter in Creta nasceretur, et flammas veri fulminis nec Cyclops potuerit imitari, nec ipse Jupiter non vereri. Quid loquar Martis et Veneris adulterium deprehensum? et in Ganymedem Jovis stuprum cœlo consecratum? Quæ omnia in hoc prodita, ut judiciis hominum quædam auctoritas pararetur. His atque hujusmodi figmentis et mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorum; et iisdem fabulis inhærentibus, adusque summæ ætatis robur adolescunt, et in iisdem opinionibus miseri consenescunt : cum sit veritas obvia, sed requirentibus. Saturnum enim principem hujus generis et examinis omnes scriptores vetustatis, Græci Romanique, hominem prodiderunt. Scit hoc *Nepos* et Cassius in historia : et Thallus ac Diodorus hoc loquuntur. Is itaque Saturnus Creta profugus, Italiam metu filii sævientis accesserat, et Jani susceptus hospitio rudes illos homines et agrestes multa docuit, ut Græculus et politus, litteras imprimere, nummos signare, instrumenta conficere. Itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocari maluit Latium; et urbem Saturniam de suo nomine, et Janiculum Janus, ad memoriam uterque posteritatis reliquerunt. Homo igitur utique qui fugit, homo utique qui latuit, et pater hominis, et natus ex homine; terræ enim et cœli filius, quod apud Italos esset ignotis parentibus, proditus : ut in hodiernum inopinato visos, cœlo missos; ignobiles et ignotos, terræ filios nominamus. Ejus filius Jupiter Cretæ, excluso parente, regnavit, illic obiit, illic filios habuit; adhuc antrum Jovis visitur, et sepulcrum ejus ostenditur, et ipsis sacris suis humanitatis arguitur.

XXIII. Otiosum est ire per singulos, et totam seriem generis istius explicare, cum in primis parentibus probata mortalitas, in cæteros ipso ordine successionis influxerit. Nisi forte post mortem deos fingitis : et, pejerante Proculo, deus Romulus : et Juba, Mauris volentibus, deus est : et divi, cæteri reges qui consecrantur, non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritæ potestatis. Invitis his denique hoc nomen ascribitur; optant in homine perseverare, fieri se deos metuunt; et, si jam senes, nolunt. Ergo nec de mortuis dii, quoniam deus mori non possit; nec de natis, quoniam moritur omne quod nascitur : divinum autem id est, quod nec ortum habet, nec occasum. Cur enim si nati sunt, non hodieque nascuntur? nisi forte jam Jupiter senuit, et partus in Junone defecit; et Minerva canuit antequam peperit : an ideo cessavit ista generatio, quoniam nulla hujusmodi fabulis præbetur assensio? Cæterum si dii creare possent, interire non possent, plures totis hominibus deos haberemus; ut jam eos nec cœlum contineret, nec aër caperet, nec terra gestaret. Unde manifestum est, homines illos fuisse, quos et natos legimus et mortuos scimus. Quis ergo dubitat horum imagines consecratas vulgus orare, et publice colere, dum opinio et mens imperitorum artis concinnitate decipitur, auri fulgore præstringitur, argenti nitore et candore eboris hebetatur? Quod si in animum quis inducat, tormentis quibus, et quibus machinis simulacrum omne formetur, erubescet timere se materiem, ab artifice, ut deum faceret, illusam. Deus enim ligneus, rogi fortasse vel infelicis stipitis portio, suspenditur, cæditur, dolatur, runcinatur. Et deus æreus vel argenteus, de immundo vasculo, ut sæpius factum Ægyptio regi, conflatur, tunditur malleis, et incudibus figuratur : et lapideus cæditur, scalpitur, et ab impurato homine lævigatur : nec sentit suæ nativitatis injuriam, ita ut nec postea de vestra

veneratione culturam; nisi forte nondum deus, saxum est, vel lignum, vel argentum. Quando igitur hic nascitur? Ecce funditur, fabricatur, scalpitur. Nondum deus est. Ecce plumbatur, construitur, erigitur. Nec adhuc deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur. Tunc postremo deus est; cum homo illum voluit, et dedicavit.

XXIV. Quanta vero de diis vestris animalia muta naturaliter judicant! Mures, hirundines, milvi, non sentire eos sciunt, norunt; inculcant, insident, ac nisi abigatis, in ipso dei vestri ore nidificant. Araneæ vero faciem ejus intexunt, et de ipso capite sua fila suspendunt: vos tergitis, mundatis, eraditis, et illos, quos facitis, protegitis et timetis. Dum unusquisque vestrum non cogitat, prius se debere deum nosse quam colere; dum inconsulte gestiunt parentibus obedire; dum fieri malunt alieni erroris accessio, quam sibi credere; dum nihil ex his quæ timent norunt: sic in auro et argento avaritia consecrata est; sic statuarum inanium consignata forma; sic nata Romana superstitio, quorum ritus si percenseas, ridenda quammulta, multa etiam miseranda sunt. Nudi cruda hieme discurrunt: alii incedunt pileati, scuta vetera circumferunt, pelles cædunt, mendicantes vicatim deos ducunt. Quædam fana semel anno adire permittunt: quædam in totum nefas visere. Est quo viro non licet, et nonnulla absque fœminis sacra sunt? etiam servo quibusdam cærimoniis interesse piaculare flagitium est. Alia sacra coronat univira, alia multivira, et magna religione conquiritur, quæ plura possit adulteria numerare. Quid? qui sanguine suo libat, et vulneribus suis supplicat, non profanus melius esset, quam sic religiosus? aut, cui exta sunt obscœna demessa, quomodo deum violat, qui hoc modo placat! cum, si eunuchos deus vellet, posset procreare, non facere. Quis non intelligat male sanos, et vanæ et perditæ mentis in ista desipere, et ipsam errantium

turbam mutua sibi patrocinia præstare? Hic defensio communis furoris est furentium multitudo.

XXV. Attamen ista ipsa superstitio Romanis dedit, auxit, fundavit imperium; cum non tam virtute, quam religione et pietate pollerent. Nimirum insignis et nobilis justitia Romana ab ipsis imperii nascentis incunabulis auspicata est. Nonne in ortu suo et scelere collecti, et muniti immanitatis suæ terrore creverunt? Nam asylo prima plebs congregata est. Confluxerant perditi, facinorosi, incesti, sicarii, proditores. Et ut ipse Romulus, imperator et rector, populum suum facinore præcelleret, parricidium fecit. Hæc prima sunt auspicia religiosæ civitatis. Mox alienas virgines jam desponsatas, jam destinatas, et nonnullas de matrimonio mulierculas sine more rapuit, violavit, illusit; et cum earum parentibus, id est, cum soceris suis, bellum miscuit, propinquum sanguinem fudit. Quid irreligiosius, quid audacius, quid ipsa sceleris confidentia tutius? Jam finitimos agro pellere, civitates proximas evertere cum templis et altaribus, captos cogere, damnis alienis et suis sceleribus adolescere, cum Romulo regibus cæteris, et postremis ducibus disciplina communis est. Ita quidquid Romani tenent, colunt, possident, audaciæ præda est: templa omnia de manubiis, id est, de ruinis urbium, de spoliis deorum, de cædibus sacerdotum. Hoc insultare et illudere est, victis religionibus servire, captivas eas post victorias adorare. Nam adorare quæ manu ceperis, sacrilegium est consecrare, non numina. Toties ergo Romanis impiatum est, quoties triumphatum: tot de diis spolia, quot de gentibus et tropæa. Igitur Romani non ideo tanti quod religiosi, sed quod impune sacrilegi. Neque enim potuerunt in ipsis bellis deos adjutores habere, adversus quos arma rapuerunt, et quod postulaverant[1] detriumphatos

[1] Illud absque sensu ita restituendum videtur: vel, *quos populaverant*; vel, *quos, prout voverant*.

colere cœperunt. Quid autem isti dii pro Romanis possunt, qui nihil pro suis adversus eorum arma valuerunt? Romanorum enim vernaculos deos novimus. Romulus, Picus, Tiberinus, et Consus, et Pilumnus, ac Picumnus dii. Cloacinam Tatius et invenit et coluit : Pavorem Hostilius atque Pallorem : mox a nescio quo Febris dedicata : hæc alumna urbis istius superstitio, morbi et malæ valetudines. Sane et Acca Larentia, et Flora, meretrices propudiosæ, inter morbos Romanorum et deos computandæ. Isti scilicet adversus cæteros, qui in gentibus colebantur, Romanorum imperium protulerunt : neque enim eos adversum suos homines vel Mars Thracius, vel Jupiter Creticus, vel Juno nunc Argiva, nunc Samia, nunc Pœna, vel Diana Taurica, vel mater Idæa, vel Ægyptia illa, non numina, sed portenta juverunt. Nisi forte apud istos major castitas virginum, aut religio sanctior sacerdotum : cum pene in pluribus virginibus, et quæ inconsultius se viris miscuissent, Vesta sane nesciente, sit incestum vindicatum; in residuis impunitatem fecerit, non castitas tutior, sed impudicitia felicior. Ubi autem magis a sacerdotibus quam inter aras et delubra conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? frequentius denique in æditurorum cellulis, quam in ipsis lupanaribus flagrans libido defungitur. Et tamen ante eos, Deo dispensante, diu regna tenuerunt Assyrii, Medi, Persæ, Græci etiam, et Ægyptii, cum pontifices et arvales, et salios, et vestales, et augures non haberent, nec pullos cavea reclusos, quorum cibo vel fastidio respublica summa regeretur.

XXVI. Jam enim venio ad illa auspicia et auguria Romana, quæ summo labore collecta testatus es, et pœnitenter omissa et observata feliciter. Clodius scilicet et Flaminius, et Junius ideo exercitus perdiderunt, quod pullorum solistimum tripudium expectandum non putaverunt? Quid Regulus? nonne auguria servavit, et captus est? Mancinus reli-

gionem tenuit, et sub jugum missus est et deditus? pullos edaces habuit et Paulus apud Cannas, tamen cum majore reipublicæ parte prostratus est? Caius Cæsar, ne ante brumam in Africam navigia transmitteret auguriis et auspiciis renitentibus, sprevit; eo facilius et navigavit et vicit? Quæ vero et quanta de oraculis prosequar? Post mortem Amphiaraüs ventura respondit, qui proditum iri se ob monile ab uxore nescivit. Tiresias cæcus futura videbat, qui præsentia non videbat. De Pyrrho Ennius Apollinis Pythii responsa confinxit, cum jam Apollo versus facere desisset: cujus tunc cautum illud et ambiguum defecit oraculum, cum et politiores homines, et minus creduli esse cœperunt. Et Demosthenes, quod sciret responsa simulata, φιλιππίζειν Pythiam querebatur. At nonnunquam tamen veritatem vel auspicia vel oracula tetigere. Quamquam inter multa mendacia videri possit industriam casus imitatus, aggrediar tamen fontem ipsum erroris et pravitatis, unde omnis caligo ista manavit, et altius eruere et aperire manifestius. Spiritus sunt insinceri, vagi, a cœlesti vigore terrenis labibus et cupiditatibus degravati. Isti igitur spiritus, posteaquam simplicitatem substantiæ, onusti et immersi vitiis, perdiderunt, ad solatium calamitatis suæ non desinunt perditi jam perdere, et depravati errorem pravitatis infundere, et alienati a Deo, inductis pravis religionibus, a Deo segregare. Eos spiritus dæmonas esse poëtæ sciunt, philosophi disserunt, Socrates novit, qui ad nutum et arbitrium assidentis sibi dæmonis declinabat negotia, vel petebat. Magi quoque, non tantum sciunt dæmonas, sed etiam quidquid miraculi ludunt, per dæmonas faciunt. Illis aspirantibus et infundentibus præstigias edunt: vel quæ non sunt, videri; vel quæ sunt, non videri. Eorum Magorum et eloquio et negotio primus Hostanes, et verum Deum merita majestate prosequitur, et angelos, id est, ministros et nuntios Dei, sed

veri; ejusque venerationi novit assistere; ut et nutu ipso et vultu domini territi contremiscant. Idem etiam dæmonas prodidit terrenos, vagos, humanitatis inimicos. Quid Plato? qui invenire Deum negotium credidit, nonne et angelos sine negotio narrat et dæmonas? et in Symposio etiam suo naturam dæmonum exprimere connititur? vult enim esse substantiam inter mortalem immortalemque, id est, inter corpus et spiritum, mediam, terreni ponderis et cœlestis levitatis admixtione concretam, ex qua monet etiam nos procupidinem amoris, ct dicit informari et labi pectoribus humanis, et sensum movere, et affectus fingere, et ardorem cupiditatis infundere.

XXVII. Isti igitur impuri spiritus, dæmones, ut ostensum a magis, a philosophis, et a Platone, sub statuis et imaginibus consecrati delitescunt, et afflatu suo auctoritatem quasi præsentis numinis consequuntur, dum inspirantur interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnunquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta. Nam et falluntur, et fallunt, ut et nescientes sinceram veritatem, et quam sciunt in perditionem sui non confitentes. Sic a cœlo deorsum gravant, et a Deo vero ad materiam avocant, vitam turbant, somnos inquietant; irrepentes etiam corporibus occulte, ut spiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium vel hostiis pecudum saginati, remissis quæ constrinxerant, curasse videantur. Hi sunt et furentes quos in publicum videtis excurrere, vates et ipsi absque templo, sic insaniunt, sic bacchantur, sic rotantur. Par et in illis instigatio dæmonis, sed argumentum dispar furoris. De ipsis etiam illa quæ paulo ante tibi dicta sunt, ut Jupiter ludos repeteret ex somnio, ut cum equis Castores viderentur, ut cingulum matronæ navicula sequeretur. Hæc omnia

sciunt plerique, pars vestrum, ipsos dæmonas de semetipsis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum et orationis incendiis de corporibus exiguntur. Ipse Saturnus, et Serapis, et Jupiter, et quidquid dæmonum colitis, victi dolore, quod sunt eloquuntur : nec utique in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrum assistentibus, mentiuntur. Ipsis testibus esse eos dæmonas de se verum confitentibus credite : adjurati enim per Deum verum et solum, inviti, miseri, corporibus inhorrescunt; et vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat. Sic christianos de proximo fugitant, quos longe in cœtibus per vos lacessebant. Ideo inserti mentibus imperitorum, odium nostri serunt occulte per timorem. Naturale est enim et odisse quem timeas, et quem metueris infestare, si possis. Sic occupant animos, et obstruunt pectora, ut ante nos incipiant homines odisse, quam nosse : ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint.

XXVIII. Quam autem iniquum sit, incognitis et inexploratis judicare, quod facitis, nobis ipsis pœnitentibus credite; et nos enim idem fuimus, et eadem vobiscum quondam adhuc cæci et hebetes sentiebamus : quasi christiani monstra colerent, infantes vorarent, convivia incesta miscerent : nec intelligebamus ab his fabulas istas semper ventilari, et nunquam vel investigari vel probari, nec tanto tempore aliquem existere qui proderet, non tantum facti veniam, verum etiam indicii gratiam consecuturum; malum autem adeo non esse, ut christianus reus nec erubesceret, nec timeret, et unum solummodo, quod non ante fuerit, pœniteret. Nos tamen cum sacrilegos aliquos et incestos, parricidas etiam, defendendos et tuendos suscipiebamus, hoc nec audiendos in totum putabamus : nonnunquam etiam miserantes eorum, crudelius sæviebamus, ut torque-

remus confitentes ad negandum, videlicet ne perirent; exercentes in his perversam quæstionem, non quæ verum erueret, sed quæ mendacium cogeret. Et si quis infirmior, malo pressus et victus, christianum se negasset, favebamus ei, quasi, ejerato nomine, jam omnia facta sua illa negatione purgaret. Agnoscitisne eadem nos sensisse et egisse quæ sentitis et geritis? Cum, si ratio, non instigatio dæmonis judicaret, urgendi magis, non ut diffiterentur se christianos, sed ut de incestis, stupris, de impiatis sacris, de infantibus immolatis faterentur. His enim et hujusmodi fabulis iidem dæmones ad execrationis horrorem imperitorum aures adversus nos referserunt: nec tamen mirum, cum omnium fama, quæ semper insparsis mendaciis alitur, ostensa veritate consumitur. Sic est negotium dæmonum. Ab ipsis enim rumor falsus et seritur, et fovetur. Inde est quod audire te dicis caput asini rem nobis esse divinam. Quis tam stultus ut hoc colat? quis stultior ut hoc coli credat? nisi quod vos *et totos asinos* in stabulis cum vestra vel Epona consecratis, et eosdem asinos cum Iside religiose decoratis: item boum capita, et capita vervecum, et immolatis et colitis: de capro etiam et homine mixtos deos, et leonum et canum vultus deos dedicatis. Nonne et Apim bovem cum Ægyptiis adoratis et pascitis? nec eorum sacra damnatis instituta serpentibus, crocodilis, belluis cæteris, et avibus et piscibus; quorum aliquem deum si quis occiderit, etiam capite punitur. Iidem Ægyptii cum plerisque vobiscum non magis Isidem, quam ceparum acrimonias metuunt; nec Serapidem magis, quam strepitus per pudenda corporis expressos contremiscunt. Etiam ille, qui de adoratis sacerdotis virilibus adversum nos fabulatur, tentat in nos conferre quæ sua sunt. Ista enim impudicitiæ eorum forsitan sacra sint, apud quos sexus omnis membris omnibus prostat, apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas: qui scortorum licentiæ invi-

dent, qui medios viros lambunt, libidinoso ore inguinibus inhærescunt, homines malæ linguæ, etiam si tacerent; quos prius tædescit impudicitiæ suæ, quam pudescit. Proh nefas! id in se mali facinoris admittunt, quod nec ætas potest pati mollior, nec cogi servitus durior.

XXIX. Hæc et hujusmodi propudia nobis non licet nec audire; etiam pluribus turpe defendere est. Ea enim de castis fingitis et pudicis, quæ fieri non crederemus, nisi de vobis probaretis. Nam quod religioni nostræ hominem noxium, et crucem ejus ascribitis, longe de vicinia veritatis erratis; qui putatis Deum credi, aut meruisse noxium, aut potuisse terrenum. Næ ille miserabilis, cujus in homine mortali spes omnis innititur; totum enim ejus auxilium cum extincto homine finitur. Ægyptii sane hominem sibi, quem colant, eligunt, illum unum propitiant, illum de omnibus consulunt, illi victimas cædunt: et ille, qui cæteris deus, sibi certe homo est, velit nolit; nec enim conscientiam suam decipit, si fallit alienam. Etiam principibus et regibus, non ut magnis et electis viris, sicut fas est, sed ut deis turpiter adulatio falsa blanditur, cum et præclaro viro honor verius, et optimo amor dulcius præbeatur. Sic eorum numen vocant, ad imagines supplicant, genium, id est, dæmonem ejus implorant, et est eis tutius per Jovis genium pejerare, quam regis. Cruces etiam nec colimus, nec optamus. Vos plane, qui ligneos deos consecratis, cruces ligneas, ut deorum vestrorum partes, forsitan adoratis. Nam et signa ipsa, et cantabra, et vexilla castrorum, quid aliud quam inauratæ cruces sunt et ornatæ? Tropæa vestra victricia non tantum simplicis crucis faciem, verum et affixi hominis imitantur. Signum sane crucis naturaliter visimus in navi, cum velis tumentibus vehitur, cum expansis palmulis labitur; et cum erigitur jugum, crucis signum est, et cum homo porrectis manibus Deum pura mente vene-

ratur. Ita signo crucis aut ratio naturalis innititur, aut vestra religio formatur.

XXX. Illum jam velim convenire, qui initiari nos dicit aut credit de cæde infantis et sanguine. Putas posse fieri, ut tam molle, tam parvulum corpus fata vulnerum capiat? ut quisquam illum rudem sanguinem novelli et vixdum hominis cædat, fundat, exhauriat? Nemo hoc potest credere, nisi qui possit audere. Vos enim video procreatos filios nunc feris et avibus exponere, nunc astrangulatos misero mortis genere elidere. Sunt quæ in ipsis visceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis extinguant, et parricidium faciant antequam pariant. Et hæc utique de deorum vestrorum disciplina descendunt. Nam Saturnus filios suos non exposuit, sed voravit. Merito ei in nonnullis Africæ partibus a parentibus infantes immolabantur, blanditiis et osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immoletur. Tauris etiam Ponticis, et Ægyptio Busiridi ritus *fuit hospites* immolare, et Mercurio Gallos humanas vel inhumanas victimas cædere. Romani Græcum et Græcam, Gallum et Gallam sacrificiis viventes obruere : hodieque ab ipsis Latiaris Jupiter homicidio colitur; et quod Saturni filio dignum est, mali et noxii hominis sanguine saginatur. Ipsum credo docuisse sanguinis fœdere conjurare Catilinam; et Bellonam sacrum suum haustu humani cruoris imbuere, et comitialem morbum hominis sanguine, id est morbo graviore, sanare. Non dissimiles et qui de arena feras devorant illitas et infectas cruore, vel membris hominis et viscere saginatas. Nobis homicidium nec videre fas, nec audire : tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus.

XXXI. Et de incesto convivio fabulam grandem adversum nos dæmonum coitio mentita est, ut gloriam pudicitiæ deformis infamiæ aversione macularet : ut ante exploratam

veritatem homines a nobis terrore infandæ opinionis averteret. Sic de isto et tuus Fronto[1], non ut affirmator testimonium fecit, sed convicium ut orator aspersit. Hæc enim potius de vestris gentibus nata sunt. Jus est apud Persas misceri cum matribus. Ægyptiis et Athenis cum sororibus legitima connubia. Memoriæ et tragœdiæ vestræ incestis gloriantur, quas vos libenter et legitis et auditis. Sic et deos colitis incestos, cum matre, cum filia, cum sorore conjunctos. Merito igitur incestum penes vos sæpe deprehenditur, semper admittitur. Etiam nescientes, miseri, potestis in illicita proruere. Dum venerem promiscue spargitis, dum passim liberos seritis, dum etiam domi natos alienæ misericordiæ frequenter exponitis, necesse est in vestros recurrere, in filios inerrare. Sic incesti fabulam nectitis, etiam cum conscientiam non habetis. At nos pudorem non facie, sed mente præstamus. Unius matrimonii vinculo libenter inhæremus : cupiditate procreandi aut unam scimus, aut nullam. Convivia non tantum pudica colimus, sed et sobria : nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus. Casto sermone, corpore castiore, plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius, quam gloriantur. Tantum denique abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica conjunctio. Nec de ultima statim plebe consistimus, si honores vestros et purpuras recusamus : nec fastidiosi sumus, si omnes unum bonum sapimus eadem congregati quiete, qua singuli : nec in angulis garruli, si audire nos publice aut erubescitis, aut timetis. Et quod in dies nostri numerus augetur, non est crimen erroris, sed testimonium laudis; nam in pulchro genere vivendi et perstat et perseverat suus, et accrescit alienus. Sic nos denique non notaculo corporis, ut putatis, sed innocentiæ ac modestiæ signo facile dignos-

[1] Idem ac *Cirtensis* de quo supra, n. IX.

cimus. Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odisse non novimus. Sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei cohæredes. Vos enim nec invicem agnoscitis, et in mutua odia sævitis : nec fratres vos, nisi sane ad parricidium, recognoscitis.

XXXII. Putatis autem nos occultare quod colimus, si delubra et aras non habemus? Quod enim simulacrum Deo fingam, cum, si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum? templum quod ei extruam, cum totus hic mundus, ejus opere fabricatus, eum capere non possit? et cum homo latius maneam, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam? Nonne melius in nostra dedicandus est mente? in nostro imo consecrandus est pectore? Hostias et victimas Domino offeram, quas in usum mei protulit, ut rejiciam ei suum munus? ingratum est : cum sit litabilis hostia, bonus animus, et pura mens, et sincera conscientia. *Igitur qui innocentiam colit, Domino supplicat*; qui justitiam, *Deo libat* : qui fraudibus abstinet, propitiat Deum : qui hominem periculo subripit, opimam victimam cædit. Hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt. Sic apud nos religiosior est ille, qui justior. At enim quem colimus Deum, nec ostendimus, nec videmus. Imo ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus. In operibus enim ejus, et in mundi omnibus motibus virtutem ejus semper præsentem aspicimus, cum tonat, fulgurat, fulminat, cum serenat. Nec mireris si Deum non vides. Vento et flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, et sub oculis tamen non venit ventus et flatus. In sole adeo, qui videndi omnibus causa est, videre non possumus; radiis acies submovetur, obtutus intuentis hebetatur : et, si diutius inspicias, omnis visus extinguitur. Quid? ipsum solis artificem, illum luminis fontem possis

sustinere, cum te ab ejus fulgoribus avertas, a fulminibus abscondas? Deum oculis carnalibus vis videre, cum ipsam animam tuam, qua vivificaris et loqueris, nec aspicere possis, nec tenere? Sed enim Deus actum hominis ignorat; et in cœlo constitutus non potest aut omnes obire aut singulos nosse. Erras, o homo, et falleris: unde enim Deus longe est, cum omnia cœlestia, terrenaque, et quæ extra istam orbis provinciam sunt, Deo cognita, plena sint? ubique non tantum nobis proximus, sed infusus est. In solem adeo rursus intende: cœlo affixus, sed terris omnibus sparsus est: pariter præsens ubique interest, et miscetur omnibus; nusquam enim claritudo violatur. Quanto magis Deus auctor omnium, ac speculator omnium, a quo nullum potest esse secretum, tenebris interest, interest cogitationibus nostris, quasi alteris tenebris? non tantum sub illo agimus, sed et cum illo, ut prope dixerim, vivimus.

XXXIII. Nec nobis de nostra frequentia blandiamur: multi nobis videmur, sed Deo admodum pauci sumus. Nos gentes nationesque distinguimus: Deo una domus est mundus hic totus. Reges tantum regni sui per officia ministrorum universa novere: Deo indiciis opus non est: non solum in oculis ejus, sed et in sinu vivimus. Sed Judæis nihil profuit, quod unum et ipsi Deum aris atque templis maxima superstitione coluerunt. Ignorantia laberis, si priorum aut oblitus aut inscius, posteriorum recordaris. Nam et ipsi, Deum nostrum (idem enim omnium Deus est), quamdiu caste, innoxie, religioseque coluerunt, quamdiu præceptis salubribus obtemperaverunt, de paucis innumeri facti, de egentibus divites, de servientibus reges; modici multos, inermi armatos, dum fugiunt insequentes, Dei jussu, et elementis annitentibus obruerunt. Scripta eorum relege, vel si Romanis magis gaudes, ut transeamus vete-

res, Flavii Josephi, vel Antonii Juliani, de Judæis require; jam scies nequitia sua hanc eos meruisse fortunam, nec quidquam accidisse, quod non sit his, si in contumacia perseverarent, ante prædictum. Ita prius eos deseruisse comprehendes, quam esse desertos; nec, ut impie loqueris, cum Deo suo esse captos, sed a Deo, ut disciplinæ transfugas, deditos.

XXXIV. Cæterum de incendio mundi, aut improvisum ignem cadere, aut difficile non credere[1], vulgaris erroris est. Quis enim sapientium dubitat, quis ignorat, omnia quæ orta sunt occidere? quæ facta sunt interire? cœlum quoque cum omnibus quæ cœlo continentur, ita ut cœpisse, desinere? Fontium dulces aquas, maria nutrire[2] in vim ignis abiturum Stoicis constans opinio est; quod consumpto humore mundus hic omnis ignescat: et Epicureis de elementorum conflagratione et mundi ruina eadem ipsa sententia est. Loquitur Plato: partes orbis nunc inundare dicit, nunc alternis vicibus ardescere; et cum ipsum mundum perpetuum et insolubilem diceret esse fabricatum, addit tamen, ipsi artifici, Deo soli, et solubilem, et esse mortalem. Ita nihil mirum est, si ista moles ab eo quo extructa est destruatur. Animadvertis philosophos eadem disputare quæ dicimus, non quod nos simus eorum vestigia subsecuti, sed quod illi de divinis prædicationibus Prophetarum umbram interpolatæ veritatis imitati sint. Sic etiam conditionem renascendi, sapientium clariores, Pythagoras primus, et præcipuus Plato corrupta et dimidiata fide tradiderunt: nam corporibus dissolutis solas animas volunt et perpetuo manere, et in alia nova corpora sæpius commeare. Addunt istis et illa ad retorquendam veritatem, in pecudes, aves, belluas, hominum animas redire. Non

[1] Vitiata et absque sensu locutio, sic forsitan mutanda: *aut sufficere non credere*. — [2] *Nutrire maria*, id est, marium nutrimentum.

philosophi sane studio, sed mimico vitio digna ista sententia est. Sed ad propositum satis est, etiam in hoc sapientes vestros in aliquem modum nobiscum consonare. Cæterum quis tam stultus aut brutus est, ut audeat repugnare, hominem a Deo ut primum potuisse fingi, ita posse denuo reformari? nihil esse post obitum, et ante ortum nihil fuisse? sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari? Porro difficilius est id quod non sit incipere, quam id quod fuerit iterare. Tu perire et Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur? Corpus omne, sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis; sed Deo elementorum custodi reservatur. Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturæ timemus, sed veterem et meliorem consuetudinem humandi frequentamus. Vide adeo quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur: sol demergit, et nascitur; astra labuntur, et redeunt; flores occidunt, et reviviscunt; post senium arbusta frondescunt; semina non nisi corrupta revirescunt. Ita corpus in sæculo, ut arbores in hiberno, occultant virorem ariditate mentita. Quid festinas ut cruda adhuc hieme reviviscat et redeat? expectandum nobis etiam corporis ver est. Nec ignoro plerosque conscientia meritorum nihil se esse post mortem magis optare, quam credere: malunt enim extingui penitus, quam ad supplicia reparari. Quorum error augetur, et in sæculo libertate remissa, et Dei patientia maxima, cujus quanto judicium tardum, tanto magis justum est.

XXXV. Et tamen admonentur homines doctissimorum libris, et carminibus poëtarum, illius ignei fluminis, et de Stygia palude sæpius ambientis ardoris, quæ cruciatibus æternis præparata, et dæmonum indiciis, et de oraculis Prophetarum cognita tradiderunt. Et ideo apud eos etiam ipse

rex Jupiter per torrentes ripas et atram voraginem jurat religiose. Destinatam enim sibi cum suis cultoribus pœnam præscius perhorrescit. Nec tormentis aut modus ullus, aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit et reficit, carpit et nutrit. Sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt; sicut ignes Ætnæ, et Vesuvii, et ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur. Eos autem merito torqueri qui Deum nesciunt, ut impios, ut injustos, nisi profanus, nemo deliberat: cum parentem omnium, et omnium dominum non minoris sceleris sit ignorare, quam lædere. Et quanquam imperitia Dei sufficiat ad pœnam, ita ut notitia prosit ad veniam; tamen si vobiscum christiani comparemur, quamvis in nonnullis disciplina nostra minor est, multo tamen vobis meliores deprehendemur. Vos enim adulteria prohibetis, et facitis; nos uxoribus nostris solummodo viri nascimur. Vos scelera admissa punitis; apud nos et cogitare peccare est: vos conscios timetis; nos etiam conscientiam solam, sine qua esse non possumus. Denique de vestro numero carcer exæstuat: christianus ibi nullus, nisi aut reus suæ religionis, aut profugus.

XXXVI. Nec de fato quisquam aut solatium captet, aut excuset; eventum sit sortis fortunæ, mens tamen libera est; et ideo actus hominis, non dignitas judicatur. Quid enim aliud est fatum, quam quod de unoquoque nostrum Deus fatus est? qui, cum possit præscire materiam, pro meritis et qualitatibus singulorum etiam fata determinat. Ita in nobis non genitura plectitur, sed ingenii natura punitur. Ac de fato satis, vel si pauca pro tempore, disputaturi alias et uberius et plenius. Cæterum, quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria: ani-

mus enim, ut luxu solvitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis potest pauper esse, qui non eget? qui non inhiat alieno? qui Deo dives est? Magis pauper ille est qui, cum multa habeat, plura desiderat. Dicam tandem quemadmodum sentio : nemo tam pauper potest esse, quam natus est. Aves sine patrimonio vivunt, et in diem pecua pascuntur : et hæc nobis tamen nata sunt : quæ omnia, si non concupiscimus, possidemus. Igitur, ut qui viam terit, eo felicior quo levior incedit : ita beatior in hoc itinere vivendi, qui paupertate se sublevat, non sub divitiarum onere suspirat. Et tamen facultates, si utiles putaremus, a Deo posceremus : utique indulgere posset aliquantum, cujus est totum. Sed nos contemnere malumus opes quam continere : innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus, malumus nos bonos esse, quam prodigos : et quod corporis humana vitia sentimus et patimur, non est pœna, militia est. Fortitudo enim infirmitatibus roboratur, et calamitas sæpius disciplina virtutis est : vires denique et mentis et corporis sine laboris exercitatione torpescunt. Omnes adeo vestri viri fortes, quos in exemplum prædicatis, ærumnis suis inclyti floruerunt. Itaque et nobis Deus nec non potest subvenire, nec despicit; cum sit et omnium rector, et amator suorum : sed in adversis unumquemque explorat et examinat; ingenium singulorum periculis pensitat; usque ad extremam mortem voluntatem hominis sciscitatur, nihil sibi posse perire securus. Itaque ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur.

XXXVII. Quam pulchrum spectaculum Deo, cum christianus cum dolore congreditur, cum adversum minas, et supplicia, et tormenta componitur? cum strepitum mortis et horrorem carnificis irripiens[1] inculcat? cum libertatem suam adversus reges et principes erigit? soli Deo, cujus est,

[1] Forsan : *irridens*.

cedit? cum triumphator et victor, ipsi qui adversum se sententiam dixit, insultat? vicit enim, qui quod contendit obtinuit. Quis non miles sub oculis imperatoris audacius periculum provocet? nemo enim præmium percipit ante experimentum : et imperator tamen, quod non habet, non dat: non potest propagare vitam, potest honestare militiam. At enim Dei miles nec in dolore deseritur; nec morte finitur. Sic christianus miser videri potest, non potest inveniri. Vos ipsi calamitosos viros fertis ad cœlum, Mucium Scævolam, qui cum errasset in regem, perisset in hostibus, nisi dexteram perdidisset. Et quot ex nostris non dexteram solum, sed totum corpus uri, cremari, sine ullis ejulatibus pertulerunt, cum dimitti præsertim haberent in sua potestate? Viros cum Mucio, vel cum Aquilio, aut Regulo comparo? Pueri et mulierculæ nostræ cruces et tormenta, feras, et omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis, o miseri, neminem esse qui aut sine ratione velit pœnam subire, aut tormenta sine Deo possit sustinere. Nisi forte vos decipit, quod Deum nescientes divitiis affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus. Miseri! in hoc altius tolluntur, ut decidant altius. Hi enim ut victimæ ad supplicium saginantur, ut hostiæ ad pœnam coronantur. In hoc adeo quidam imperiis ac dominationibus eriguntur, ut ingenium eorum perditæ mentes licentia potestatis libere nundinentur. Absque enim notitia Dei, quæ potest esse solida felicitas? cum mors sit, somnio similis, antequam tenetur elabitur. Rex es? tam times, quam timeris; et quamlibet sis multo comitatu stipatus, ad periculum tamen solus es. Dives es? sed fortunæ male creditur, et magno viatico breve vitæ iter non instruitur, sed oneratur. Fascibus et purpuris gloriaris? vanus error hominis et inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, mente sordescere.

Nobilitate generosus es? parentes tuos laudas? omnes tamen pari sorte nascimur, sola virtute distinguimur. Nos igitur qui moribus et pudore censemur, merito malis voluptatibus et pompis vestris et spectaculis abstinemus, quorum et de sacris originem novimus, et noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis Curulibus quis non horreat populi in se rixantis insaniam? in gladiatoriis, homicidii disciplinam? in scenicis etiam non minor furor, et turpitudo prolixior. Nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monstrat : nunc enervis histrio amorem, dum fingit, infligit. Idem deos vestros, induendo stupra, suspiria, odia, dedecorat. Idem, simulatis doloribus, lacrymas vestras vanis gestibus et nutibus provocat. Sic homicidium in vero flagitatis, in mendacio fletis.

XXXVIII. Quod vero sacrificiorum reliquias et pocula delibata contemnimus, non confessio timoris est, sed veræ libertatis assertio. Nam etsi omne quod nascitur, ut inviolabile Dei munus, nullo opere corrumpitur; abstinemus tamen, ne quis existimet aut dæmoniis, quibus libatum est, cedere, aut nostræ religionis pudere. Quis autem ille, qui dubitat vernis indulgere nos floribus, cum capiamus et rosam veris et lilium et quidquid aliud in floribus blandi coloris et odoris est? his enim et sparsis utimur mollibus ac solutis, et sertis colla complectimur. Sane quod caput non coronamus, ignoscite : auram boni floris naribus ducere, non occipitio capillisve solemus haurire. Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi aut non sentienti facem, aut non sentienti coronam : cum et beatus non egeat, et miser non gaudeat floribus. At enim nos exequias adornamus eadem tranquillitate qua vivimus, nec annectimus arescentem coronam, sed a Deo æternis floribus vividam sustinemus, quieti, modesti, Dei nostri liberalitate securi, spem futuræ felicitatis,

fide præsentis ejus majestatis animamur. Sic et beati resurgimus, et futuri contemplatione jam vivimus. Proinde Socrates scurra Atticus viderit, nihil se scire confessus, testimonio licet fallacissimi dæmonis gloriosus : Arcesilas quoque, et Carneades, et Pyrrho, et omnis Academicorum multitudo deliberet : Simonides etiam in perpetuum comperendinet. Philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores et adulteros novimus et tyrannos, et semper adversus sua vitia facundos. Nos non habitu sapientiam, sed mente præferimus : non eloquimur magna, sed vivimus : gloriamur nos consecutos quod illi summa intentione quæsiverunt, nec invenire potuerunt. Quid ingrati sumus? quid nobis invidemus, si veritas divinitatis nostri temporis ætate maturuit? Fruamur bono nostro, et recti sententiam temperemus : cohibeatur superstitio, impietas expietur, vera religio reservetur.

XXXIX. Cum Octavius perorasset[1], aliquandiu nos ad *silentium* stupefacti, intentos vultus tenebamus : et, quod ad me est, magnitudine admirationis evanui, quod ea quæ facilius est sentire quam dicere, et argumentis, et exemplis, et lectionum auctoritatibus adornasset, et quod malevolos iisdem illis, quibus armantur, philosophorum telis retudisset ; ostendisset etiam veritatem non tantummodo facilem, sed et favorabilem.

XL. Dum istæc igitur apud me tacitus evolvo, Cæcilius erupit : Ergo Octavio meo plurimum, sed et mihi gratulor ; nec expecto sententiam. Vicimus, et ita ut improbe usurpo victoriam : nam ut ille mei victor est, ita ego triumphator erroris. Itaque quod pertineat ad summam quæstionis, et de providentia fateor, et Deo cedo, et de sectæ jam nostræ sinceritate consentio. Etiam nunc tamen aliqua consubsidunt non obstrepentia veritati, sed perfectæ institutioni

[1] Vide D. Guillon, p. 328.

necessaria, de quibus crastino (quod jam sol occasui declivis est), ut de toto congruentius, promptius requiremus. At ego, inquam, prolixius, omnium nostrum vice gaudeo, quod etiam mihi Octavius vicerit, cum maxima judicandi mihi invidia detracta sit. Nec tamen possum meritum ejus verborum laudibus repensare : testimonium et hominis et unius infirmum est. Habet Dei munus eximium, a quo et inspiratus oravit[2], et obtinuit adjutus. Post hæc læti hilaresque discessimus : Cæcilius, quod crediderit; Octavius, quod vicerit ; ego, et quod hic crediderit, et hic vicerit.

[2] *Oravit*, id est, peroravit.

CLEMENS ALEXANDRINUS.

COHORTATIO AD GENTES,

PÆDAGOGUS,

STROMATUM PARS,

LIBER : *QUIS DIVES SALVETUR?*

SANCTUS CLEMENS,

PRESBYTER ALEXANDRINUS.

(CIRCA ANNUM 217.)

GRÆCUS.

Titus Flavius Clemens, patria Atheniensis (S. Epiphan. *Hæres.* 32, n° 6), vel, ut alii volunt, Alexandrinus, ex ethnico philosopho christianus, multum humanioribus litteris, philosophiaque maxime Platonica, sacrarumque imprimis doctrina Scripturarum emicuit. Quantam in discendo curam adhibuerit Stromatum initio ipse testatus est, cum referat se duobus magistris usum, uno quidem ex Cœlesyria, *altero autem* ex Ægypto oriundis; quorum posteriori maxime « adhæsit, utpote qui tanquam Sicula apis, » prophetici et apostolici prati flores decerpens, sin» ceram quamdam et incorruptam cognitionem in» generaret eorum qui audiebant animis. » (*Strom.* 1.) Ultimum autem illum quem in Ægypto audire perseveravit magistrum, Pantænum fuisse vulgo creditur (Euseb. *Hist.*, v. 11), qui christianæ in Alexandria scholæ præerat, et a Demetrio episcopo in Indiam missus est. Hujus in celebri illa schola vices suscepit Clemens, sacerdosque consecratus honorificum illud ab Alexandro Hierosolymitano in epistola ad Ecclesiam Antiochenam testimonium habere meritus est : « Porro has litteras Domini, fratres, » per beatum presbyterum Clementem, ad vos misi, » virum virtute præditum et probatum, quem vos

» et nostis jam, et amplius cognoscetis; qui quidem » Dei nutu et providentia, dum hic apud vos præ» sens esset, Ecclesiam Christi et confirmavit et mag» nopere auxit. » (Euseb. *Hist.* VI, 11.) Qui similiter ad Origenem scribens, Clementis et Pantæni tanquam familiarium suorum mentionem facit his verbis : « Hæc enim voluntas Dei fuit, ut nosti, quo amicitia » nostra jam inde a majoribus inchoata, sacra atque » inviolata maneret, imo ferventior ac firmior red» deretur. Patres quippe agnovimus beatos illos, qui » viam nobis præiverunt, et quos brevi secuturi su» mus, Pantænum scilicet vere beatum ac dominum » meum, et S. Clementem dominum item meum, qui » me plurimum adjuvit. » (Euseb. *Hist.* VI, 14.)

Inter præcipuos Clementis discipulos primum certe locum occupat Origenes, qui illi, in persecutione Septimii Severi Alexandria cedere coacto, in docendi munere successit. In Cappadociam secedens, Alexandri cujusdam confessoris ecclesiam aliquandiu administratam in fide veritatis confirmavit. Quo autem tempore, quove loco tandem diem extremum obierit, non certe potest definiri; videtur tamen Alexandriæ sub Antonino Caracalla, id est non post annum 217, quo ille defunctus est, ad meliorem vitam migrasse.

Tria potissimum supersunt S. Clementis opera, videlicet : 1° *Cohortatio ad gentes*, græce Προτρεπτικος, qua fictionibus carminibusque poëtarum continuo armatus propriis adversarios telis perfodit, congestasque super insani cultus ruinas elegans simul et immotum christianæ religioni templum erigit, quod ratione fundatum cunctis virtutibus exornatur; 2° *Pædagogus*, quem juxta vim verbi

Παιδαγωγὸν Præceptorem dixerim, qui puerum quasi ab incunabulis in *unitate fidei* virtutisque perfectione informandum suscipit, *donec occurrat in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (Eph. IV, 13); 3° *Stromata*, Στρωματεῖς, quæ melius latine *Tapetes*, quorum septem libris sine ordine quidem, sed non sine grata varietate diffusam omnem Christi philosophiam percurrere gaudebis; de quibus ita ipse Clemens: « Sunt autem libri Stromatum utique » similes non illis elaboratis hortis in quibus sunt » arbores et plantæ in certum ordinem ad delec» tandos oculos digestæ, sed alicui potius spisso et » umbroso monti, in quo simul sunt plantatæ cy» pressi et platani, laurus et hedera, mali et oleæ et » ficus, ita ut de industria fertilium simul et non » fertilium plantæ arborum sint commixtæ. » (*Stromat.* lib. VII.) Octavus liber S. Clementi non videtur ascribendus. Tribus autem illis operibus perficere christianum intendisse dixerim, cum primo opere futuros purgare christianos a sordibus adhærentium superstitionum, secundo jam purgatos initiare et instituere, tertio denique ad sacra maxima supremamque Dei contemplationem admittere conetur.

Præter illa autem scripta remanent etiamnum 1° parvus liber : *Quis dives salvetur?* et 2° *Hypotyposeon*, Ὑποτυπώσεων, truncatæ quædam partes, quæ ad Platonicorum sophistarum placita, nimis tunc in Alexandrina schola diffusa, plus æquo inclinare videntur.

S. Clementis scripta alta præsertim doctrina inter omnes veterum elucubrationes commendantur. « Feruntur, inquit Hieronymus, ejus insignia volu» mina, plenaque eruditionis et eloquentiæ, tam de

» Scripturis divinis, quam de sæcularis litteraturæ » instrumento. » (*De script. Eccles.* c. 38.) «Vir meo » judicio eruditissimus..... Quid (in illius libris) in» doctum ? imo quid non e media philosophia est? » (*Epist.* 83, *ad Magn.*) Idem Eusebii judicio *mirabilis Clemens* prædicatur *vir omnium rerum experientia scientiaque præditus, et in usu plurimorum negotiorum prudentissimus.* Addo et S. Cyrillum Alexandrinum, qui illum vocat « virum imprimis studiosum, » qui eorum quæ apud Græcos leguntur altitudi» nem cura ac studio perscrutatus est, quo pauci ex » iis qui ubique eum præcessere. » (Lib. VII, *in Julian.*)

Photius denique sic illius elocutionem depingit: « Dictio florida attemperatam quamdam gravitatem » non sine jucunditate assurgit, et varia illa, quæ in » iis est, rerum cognitio nihil habet minus conve» niens. » (*Bibl. cod.* 110.)

Excusa habentur S. Clementis Alexandrini scripta : græce an. 1550, recensente Petro Victorio, Florentiæ, et an. 1592, Heidelb. cum castigationibus Frid. Sylburgii, in-fol. latine autem, an. 1551, Florentiæ; Basileæ, 1556 et 1566, in-fol. Parisiis, 1566, in-8, 1572 et 1590 in-fol. tum etiam inter Bibliothecas Patrum, tum inter Patrum Mella Francisci Rous, Londini, 1650, in-8: græce autem et latine Leidæ, 1616, in-fol. Parisiis, 1629 et 1641, in-fol. Coloniæ seu Witembergæ, 1688, in-fol. tum demum Oxonii, ex recensione Joan. Potteri, Oxoniensis episcopi, an. 1715; quæ quidem editio recusa est Venetiis, an. 1757, cum fragmentis novis ex Fabricio excerptis. Liber autem, *Quis dives salvetur?* separatim excusus est græce et latine, curante Fello, Oxonii, 1683, in-24, et studio Ittigii, Lipsiæ, in-12, an. 1700.

Cohortatio ad gentes gallice prodiit auctore D. Cousin, Parisiis, an. 1684, in-12. *Pædagogus* autem cum libro *Quis dives salvetur,* gallicæ fidei redditus est, et excusus Parisiis apud Pralard, anno 1696, in-8.

Vide gallica insuper plurima apud D. Guillon, tom. 1, a p. 372 usque ad p. 448, Paris. in-8, 1824.

CLEMENTIS ALEXANDRINI

COHORTATIO AD GENTES.

(JUXTA EDITIONEM JOANNIS POTTERI, OXONII, AN. 1715.)

Amphion Thebanus, et Arion Methymnæus, uterque periti cantus, uterque fabula fuere (et in Græcorum choris id carmen adhuc decantari solet), quod musicæ viribus hic quidem piscem inescaverit, ille vero Thebas muris cinxerit. Alius quidam e Thracia artifex (fertur enim hæc inter gentes fabula) solo cantu feras mulsit, fagos etiam arbores e propriis sedibus in alienas transtulit. Possem tibi aliam quoque fabulam commemorare, et alium cantorem illis similem, Eunomum Locrensem et cicadam Pythicam. Nam in celebritate totius Græciæ, quæ propter mortuum draconem Pythone convenerat, Eunomus epitaphium serpentis cecinit, quod hymnus fuerit an lamentatio serpentis, haud satis dixerim : verum constituto illic certamine, Eunomus æstivo tempore cithara ludebat, dum cicadæ calore solis animatæ sub foliis canerent per montes, haud illam quidem draconi mortuo, sed sapientissimo Deo, solutam legibus cantilenam, Eunomi modis præstantiorem. Tum rupta Locrensi chorda, in citharæ jugum advolat cicada, et instrumento musico tanquam ramo personat ; citharœdus autem cicadæ cantui suum attemperans, deficientem chordam supplevit. Cicada ergo Eunomi cantu ducitur, ut in fabulis est, quæ æreum Eunomum, cum ipsa cithara, unaque sociam certaminis Pythone statuerunt : hæc autem sponte advolat, sponte etiam canit, et a gentibus musicam imitata fuisse credita est. Quare ergo vanissimis fabulis eam

tribuistis fidem, ut bestias musica demulceri posse credatis; cum interea clarissima veritatis facies sola vobis fuco esse obducta videatur, sola infidelibus oculis subjecta sit? Proinde Cithæron, et Helicon, et Odrysii montes, et Thracum telesteria, illa deceptionis mysteria, divinum in cultum relata sunt hymnisque celebrantur: quibus ego calamitatibus, quæ tragice decantantur, quamvis fabulas esse noverim, haud leviter perturbor, utcumque inter vos humanæ miseriæ in scenis repræsentari soleant. Sed has quidem fabularum actiones, una cum poëtis, qui tanquam Bacchanalia agentes penitus insaniunt, et ultra modum delirant, hedera redimitis more bacchico, Satyris quoque ipsis, et furente turba Bacchantium, reliquoque deorum choro, in Heliconem et Cithæronem, qui jam consenuerunt, includamus. Horum loco Veritatem, cum sapientia late splendente, in sanctum Dei montem, sanctumque Prophetarum chorum e cœlo deducamus. Hæc autem clarissima sua luce omnes homines, qui in tenebris volutantur, undique illustret; et intelligentia, tanquam opitulatrice dextra, porrecta, ex erroribus in salutem vindicet. Tum illi, sublatis oculis, e tenebris emicantes, Helicone ac Cithærone desertis, Sion habitent. « Nam ex Sion egre» dietur lex, et verbum Domini ex Hierusalem[1]: » Cœleste, inquam, *Verbum*, ob legitimi certaminis victoriam in theatro totius mundi coronatum. Et meus quidem Eunomus, non Terpandri modum, non Capitonis, non Phrygium, non Lydium, non Doricum canit; sed æternum novæ harmoniæ modum, Dei cognominem *novum canticum*[2], Leviticum,

Leniens dolorem, iramque, et malorum oblivionem inducens [omnium.

Etenim dulce quoddam, et in animis hominum potens pharmacum, cum hoc cantico commixtum est. Mihi autem

[1] Is. II, 3. — [2] Psalm. XCVI, 1; et XCVIII, 1.

videntur Thracius ille Orpheus, et Thebanus alter, tertiusque Methymnæus, viri quidam, non viri, impostores fuisse, qui prætextu musicæ labefactarunt humanam vitam, utque mores ingeniosis suis præstigiis corrumperent, dæmoniaco quodam furore stimulati, probra et dolores hominum in religionem deorumque cæremonias trahendo, eos ad simulacrorum cultum primi converterunt. Quinetiam lapidibus et lignis, hoc est statuis et simulacris, tanquam fundamentis constituendæ inter gentes impuritatis usi, illam vere pulchram libertatem hominum sub cœlo agentium, carminibus suis et incantationibus extremæ servituti illigarunt. Non est autem ejusmodi meus cantor, qui, ut servitium dæmonum crudeliter dominantium brevi dissolveret, advenit : nos autem ad mite et facile jugum pietatis traducit, humique abjectos ad cœlum revocat. Solus igitur ille inter omnes quos adhuc novimus, feras sævissimas, homines, mansuefecit : volucres quidem, qui leves ex illis sunt; *reptiles, qui* deceptores; leones, qui iracundi; sues, qui voluptatibus dediti; lupos denique, qui rapaces. Lapides autem et ligna sunt insipientes, nisi quod qui ignorantia imbuitur, ipsis quoque lapidibus stupidior esse comperiatur. Testem advoco vocem illam propheticam veritati consonam, qua deploratur eorum miseria qui ignorantia et amentia conteruntur : « Potens enim est Deus de lapidibus » istis suscitare filios Abrahæ[1]. » Qui maximam eorum inscitiam et *duricordiam* miseratus qui ad veritatem plane lapides facti sunt, ex his lapidibus, nempe gentibus, quæ in lapides crediderunt, pietatis semen sensu virtutis præditum suscitavit. Rursum illos veneficos et versipelles hypocritas, qui justitiæ clam insidiabantur, quodam loco « pro» geniem viperarum[2] » appellavit : sed tamen horum etiam serpentum si quis voluntaria ductus pœnitentia, Verbum

[1] Matth. III, 9. Luc. III, 8. — [2] Matth. III, 7. Luc. III, 7.

sequatur, is *homo Dei* [1] efficitur. Alios item vocat « lupos » pellibus ovium indutos [2], » rapaces homines innuens. Has igitur omnes immanissimas feras, et hujusmodi lapides, cœlestis ille cantus in mansuetos homines transformavit. « Eramus enim, *eramus* aliquando et nos insipientes, in» creduli, errantes, servientes voluptatibus et desideriis » variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, et odientes » invicem [3]; » ut ait Scriptura apostolica : « Cum autem » benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, » non ex operibus justitiæ quæ facimus nos, sed secun» dum suam misericordiam salvos nos fecit [4]. » En quantam habet vim illud novum canticum, quod homines ex lapidibus, homines ex feris formavit! quin et ii qui alioquin veluti mortui fuerunt, utpote illa quæ sola vera est vita privati, audito hoc cantico, statim revixerunt. Hoc et universitatem rerum apteque numeroseque concinnavit, et elementa dissonantia sic docuit servare concentum, ut totus hic mundus harmonia quadam constaret. Mari quidem humidam et instabilem naturam dedit, et tamen terram incursare prohibuit. Terram vero, quæ prius huc illuc fluitabat, immobilem fecit, eique mare pro termino constituit. Quinetiam circumfuso aere vim ignis mollivit, quodammodo Doricos modos Lydiis moderans : et immite frigus aëris ignis complexu lenivit, hujus universi partibus, tanquam extremis sonis, æquabiliter temperatis. Proinde hoc immortale canticum, totius firmamentum, omniumque partium harmonia, a mediis ad extremos fines, et rursus a finibus ad media pertingens, hoc universum apte disposuit, non quidem secundum Thraciam musicam, quæ similis est ei quam invenit Tubal, sed secundum eam quam æmulatus est David, Dei creatoris voluntatem. Verbum autem Dei, quod ex David natum, ante eum fuit, lyra et cithara,

[1] 2 Timoth. III, 17. — [2] Matth. VII, 15. — [3] Tit. III, 3. — [4] *Ibid.* 4.

quæ inanima sunt instrumenta, contemptis, mundum hunc, et hominem, qui parvus quidam mundus est, ejusque animam et corpus divino Spiritui attemperans, multarum vocum instrumento Deum celebrat, et huic instrumento, nempe homini, accinit : « Tu enim es cithara, et tibia, et » templum meum. » Cithara quidem, propter harmoniam; tibia, propter Spiritum; templum autem, propter Verbum: ut illa resonet, ista inspiret, hoc vero contineat Dominum. Porro David, rex ille citharœdus, paulo ante memoratus, hortabatur ad veritatem, a dæmoniis abducebat, tantumque ab eorum laudibus celebrandis abfuit, ut eos vera musica expelleret, et Saül malo spiritu vexatum solo cantu sanaret. Nec solum hominem pulchrum et spirans instrumentum Dominus sui imaginem effecit; sed ipse, supramundana sapientia, cœlesteque Verbum, est instrumentum Dei numeris omnibus instructum, concinnum, et sanctum. Quid ergo instrumentum hoc, Dominus noster Dei Verbum, quid illud *novum canticum* volunt? Cæcis visum restituere, surdis aures aperire, et claudos atque errantes in viam justitiæ deducere, Deum insipientibus monstrare, corruptionem tollere, mortem vincere, filios denique immorigeros patri reconciliare. Nam Dei instrumentum amat humanum genus : Dominus miseretur, castigat, hortatur, admonet, conservat, custodit, et doctrinæ mercedem, tanquam ex redundanti, regnum cœlorum pollicetur, non alium ex nobis fructum percipiens, quam quod salvi sumus. Vitium enim hominum interitu pascitur : veritas autem, quæ veluti apis innoxia rebus insidet, non nisi eorumdem salute lætatur. Habes, quid pollicetur : habes, quanto affectu humanum genus amat. Tu igitur accede, et participa hanc gratiam. Meum porro canticum ne perinde novum existimes, ac vas aliquod, sive domum : nam « ante Luciferum erat[1]. » Et, « in » principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et

[1] Ps. cx, 3.

» Deus erat Verbum[1]. » Sed error, inquis, vetus est : veritas autem recens[2]. Proinde seu capræ Phrygas vetustissimos esse doceant; seu Arcadas poëtæ, qui ante Lunam eos fuisse prodiderunt; seu, denique, Ægyptios, qui horum Terram deorum hominumque matrem esse somniant : tamen eorum nemo se ante mundum fuisse jactat. At nos ante mundi constitutionem fuimus, ratione futuræ nostræ productionis in ipso Deo quodammodo tum præexistentes. Divini igitur Verbi, sive Rationis, nos creaturæ rationales sumus : et per eum primi esse dicimur, quoniam « in principio erat Verbum. » Quod quidem, quatenus olim ante jacta mundi fundamenta existebat, divinum rerum omnium principium fuit, etiamque nunc est : quatenus vero novissimis temporibus venerando illo et olim sancto Christi nomine appellari voluit, novum a me canticum vocatur. Hoc igitur Verbum Christus, non solum ut olim essemus causa fuit (nam ille tum erat in Deo), sed idem etiam bene esse nobis dedit, et jam nuper hominibus apparuit, qui solus uterque, Deus et homo, est, ut omnimodam nobis felicitatem daret. Etenim ab eo recte vivere edocti, ad æternam vitam transmittimur : nam, ut ait ille divinus Domini Apostolus : « Apparuit gratia Dei salutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo : expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni » Dei et Salvatoris nostri, Jesu Christi[3]. » Novum ergo canticum est Verbi, quod *in principio* et ante principium fuit, exortus, qui modo nobis effulsit : modo enim apparuit, qui olim erat Servator; apparuit, qui ens est in ente; Verbum nempe, quod apud Deum erat, et a quo facta sunt omnia, *præceptoris* habitu apparuit : et qui tanquam opi-

[1] Joan. I, 1.
[2] Vide D. Guillon, p. 375.
[3] Tit. II, 11.

fex mundi vitam nobis in prima creatione dedit, præceptoris habitu sumpto, bene vivendi rationem nos docuit, ut postea tanquam Deus æternam vitam largiatur. Is vero non est nunc primum erroris nostri misertus, sed olim a principio mundi : nunc vero tandem apparens, perituros ex faucibus exitii liberavit. Nam in hunc usque diem malignus ille serpens humanum genus præstigiis suis in contumeliosam et miseram servitutem abducit; sævitque in eos, ut ita dicam, barbarorum ritu, qui captivos suos mortuorum cadaveribus, donec una putrescant, alligare feruntur. Dum enim quoscumque a sui ortus principio ad proprias trahere partes valet, crudelis ille tyrannus et serpens ad lapides, ligna, statuas, reliquaque idola misero superstitionis vinculo constringit, non incommode dicitur vivos communi tumulo inferre, donec una cum illis intereant. Quamobrem Evam olim (unus etenim idemque seductor est), et alios nunc homines in mortem ducit. Unus itidem nobis adjutor et vindex est Dominus, qui salutem a principio prophetice prænuntiavit, et nunc ad eam consequendam aperte ac palam invitat. Fugiamus igitur, Apostoli præcepto obsequentes, « principem potestatis aëris hujus, spiritus qui nunc » operatur in filios diffidentiæ[1] : » et ad Dominum Servatorem confugiamus, qui per prodigia et signa cum in Ægypto, tum etiam in deserto, et per rubum, et nubem, quæ divina gratia Hebræos, velut ancilla quædam, sequebatur, ad salutem invitat. Cæterum contumaces quidem et duri cordis homines metu impellit : alios vero, qui auribus præditi sunt, per Mosem illum sapientiæ omnis magistrum, per Esaiam veritatis cultorem, et per totum propheticum chorum magis rationali methodo ad Rationem seu Verbum convertit. Aliquando conviciis utitur : est ubi et minis. Hos idem deflet, illos cantu demulcet : veluti sapiens medi-

[1] Ephes. II, 2.

cus[1], alios quidem ægros cataplasmatis, alios purgationibu curat; alios fomentis emollit, alios ferro lancinat; sur etiam quos adurit, et quibus resectionem adhibet, si qu ratione humani corporis alicui parti vel membro sanita restitui possit : varias enim Salvator noster voces adhibel et varias experitur vias, ut homines ad salutem perducal Dum minatur, admonet : dum conviciatur, emendat : dur luget, miseretur : dum cantat, hortatur : in rubo etiar loquitur, quod illi signis et prodigiis indigerent. Idem eo igne perterrefacit, flammam e columna suspensam, terroris simul et gratiæ signum exhibens; morigeris quider lucem, sed immorigeris ignem. Postea quod corpus humanum columna et rubo nobilius esset, prophetis usus est ipse Dominus in Esaia loquitur, ipse in Helia, ipse in or prophetarum. Quod si nullam prophetis fidem deberi putas sed viros, haud secus ac ignem, in numero fabularum habes; ipse Dominus tibi loquetur, « qui cum in forma De » esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; » sed semetipsum exinanivit[2] » misericors Deus, ut humanum genus servaret. Ipsum adeo Dei Verbum palam tibi loquitur, ut infidelitati pudorem incutiat. Verbum, inquam, Dei homo factum, ut tu quoque ab homine discas qua arte homo fieri Deus possit. Quam autem absurdum istud fuerit, Amici, ut cum Deus ad virtutem hortari nunquam desinit, nos, spreto ejus beneficio, oblatam salutem respuamus? Annon Joannes homines ad salutem impellit, et totus vox *hortatrix* fit? Ipsum ergo rogemus : *Quisnam, unde gentium es?* Heliam se non dicet, Christum esse pernegabit: sed *vocem* se fatebitur *in deserto clamantem*[3]... Quis es ergo Joannes? summatim dicere liceat: « Vox Verbi hortatrix in deserto clamans. » Quid clamas, o Vox? dic etiam nobis: *Rectas facite semitas Domini*[4]. Præcursor est Joan

[1] Vide D. Guillon, p. 375. — [2] Philip. II, 6. — [3] Joan. I, 23. — [4] Is. XL, 3

nes : et vox ea Verbum præcurrit, vox adhortativa, quæ ad salutem præparat; vox, quæ ad cœlorum hæreditatem invitat[1]; qua sterilis et deserta fœcundatur : quam quidem fertilitatem prædixit Angeli vox quæ, tanquam alius Domini præcursor, sterili mulieri evangelium prædicavit, non secus ac Joannes regioni desertæ. Hac igitur Domini voce sterilis fit mater, et deserta fructum fert. Cæterum duæ illæ Angeli et Joannis voces, quæ Dominum præcurrebant, innuere mihi videntur salutem nobis repositam, qui, cum apparuerit hoc Verbum, fertilitatis nostræ fructum percepturi sumus, æternam vitam. Utramque igitur vocem eodem ducens, rem totam explicat Scriptura : « Audiat, quæ non » parit; erumpat vocem, quæ non parturit : quia multi filii » desertæ, quam ejus quæ habet virum[2]. » Virum nobis annuntiat Angelus : ut deprehendamus agricolam, ut quæramus virum, hortatur nos Joannes. Unus enim et idem est ille sterilis vir, et desertæ agricola, qui cum sterilem, tum etiam desertam divina virtute implevit. Quia enim ingenuæ multi erant liberi, illa autem incredulitate sua meruit ut filiis orba esset, quæ multos olim filios habuerat, uxor Hebræa; sterilis virum, deserta agricolam accipit. Inde hæc quidem fructuum, illa fidelium, utraque Verbi virtute mater facta est; iis vero qui in sua infidelitate permanent, sterilis et deserta etiamnum relinquitur. Joannes, Verbi præco, hac utique ratione hortabatur, ut ad Dei Christi adventum parati fierent : et hoc erat quod innuebat Zachariæ silentium, expectans fructum Christi præcursorem; ut Verbum, veritatis lux, mysticum propheticorum ænigmatum silentium solveret, Evangelium factum. Quamobrem si vere Deum videre cupis, piaculorum quæ Deo conveniunt particeps fias; non foliorum lauri, aut sertorum, quæ ex lana et purpura concinnari solent : sed justitia re-

[1] Vide D. Guillon, p. 376. — [2] Is. LIV, 1.

dimitus, et temperantiæ foliis cinctus, toto animo enitere, ut Christum invenias. Nam *ego sum ostium*[1], inquit quodam in loco; quod quidem discendum iis est qui ad Dei notitiam pervenire cupiunt, ut simul universas cœlorum portas nobis aperiat. Sunt enim rationales Rationis seu Verbi portæ, et fidei clave panduntur. « Deum nemo novit nisi Filius, » et cui voluerit Filius revelare[2]. » Nec mihi dubium est, quin is qui portam antehac clausam aperuit, posthac ea quæ intus latent revelabit, eaque nobis ostendet quæ a nemine unquam cognosci potuerunt, nisi qui per Christum ingressus fuerit, per quem solum Deus cernitur.

II. Nolite igitur scelerata impiaque adyta curiosius explorare, nec profundorum antrorum hiatus, præstigiis monstrisque plenos, aut Thesprotæum lebetem, aut tripodem Cirrhæum, aut æneum Dodonæ tintinnabulum : Gerandryon autem illud desertis olim in arenis cultum, quodque ibidem celebrabatur oraculum, jam vero cum ipsa quercu prorsus emarcuit, rancidis ac vetustate contritis fabulis relinquite. Enimvero siluit utique fons ille Castalius, siluit Colophonius alter, ac reliquæ simul omnes fatidicæ undæ aruerunt, quas ventoso fastu, sero licet, palam tamen aliquando spoliatas viderunt, posteaquam illæ suis cum fabellis omnino diffluxissent. Decanta tu nobis, per me licet, reliqua vaticinationis aut furiosæ potius vanitatis oracula, Clarium, Pythium, Didymea, Amphiaraüm, Apollinem, Amphilochum : adde, si lubet, prodigiorum interpretes, adde augures, et somniorum conjectores. Quin agesis, ac simul eos coram Pythio statue, qui divinationes suas farina hordeove perficiunt, quique a plurimis etiamnum observantur ventriloquos. Jam vero et Ægyptiorum penetralia, et manium apud Hetruscos vaticinationes in tenebris jaceant : vesanæ profecto illæ sunt infidelium hominum

[1] Joan. x, 11. — [2] Matth. xi, 27.

fallendi artes. Ejusdemque fascinationis veluti negotiationis sociæ habeantur capræ ad divinandum informatæ, necnon corvi illi quos ad responsa hominibus reddenda homines erudiere. Quid si ipsa quoque mysteria tibi enucleem? Non ea quidem temere vulgabo, ut Alcibiadem fecisse tradunt: sed tamen belle admodum quidquid sub iis præstigiarum latet, nudabo per Verbum veritatis, quosque deos nuncupatis, atque mysticis ritibus colitis, illos sic tanquam in aliqua hujus vitæ scena inclusos veritatis spectatorum oculis objiciam. Ac primum ecce tibi homines furoris œstro perciti Bacchum Mænolen solemnibus orgiis celebrant, crudarumque carnium helluatione sacram insaniam peragentes, cæsarum victimarum partes dividunt, serpentibus coronati, Evamque vastis ululatibus inclamantes, Evam scilicet illam, per quam janua est errori primum patefacta. Et tunc cum orgiorum Bacchicorum sit quasi quoddam insigne serpens arcano ritu consecratus, tum vero si accurate vocem Hebraicam interpretari velis, Heva cum aspiratione graviori *serpentem* fœmininam significat. Deinde Ceres et Proserpina in mysticum etiam fabulæ genus transiere, quarum errores, et raptum, et luctum nocturnis facibus Eleusis illustrat. Ac mihi quidem tanti est propriam orgiorum et mysteriorum notationem excutere: orgia sane ἀπὸ τῆς ὀργῆς, hoc est ab *iracundia*, nomen accepere, qua Ceres adversus Jovem exarserat: mysteria vero ἀπὸ τοῦ μύσους, hoc est ab *execrando scelere*, quod circa Bacchum ipsum contigerat. Quod si vocem istam a Myunte quodam Attico derivare placet, quem Apollodorus in venatione periisse testatur, equidem nihil hoc vobis invideam, ut mysteria vestra sepulcrali honore decorentur. Quinimo liceat tibi mysteria quasi μυθήρια, hoc est *fabulas venaticas*, mutua duorum elementorum permutatione, accipere: venantur enim, si quæ aliæ, hujusmodi fabulæ, quotquot sive apud Thraces

immanitate, sive apud Phrygas insania, sive apud Græcos superstitione principes memorantur. At male pereat, quisquis tantæ vecordiæ hominum generi auctor fuit, seu Dardanus, qui Matris deum mysteria docuit; seu Eetion, qui Thracum orgia, cum eorum mysteriis, protulit; seu Phryx ille Midas, cui cum ab Odryso callidam et plenam artificii fraudem accepisset, eam postmodum in subditos suæ ditioni sparsit universos. Nec enim mihi Cinyras ille Cyprius insularis unquam imposuerit, qui cum famosam insulæ suæ meretricem deam efficere vehementer optaret, flagitiosa Veneris orgia ex tenebris in lucem ausus est diemque producere. Jam alii Melampodem Amythaonis filium, Cereris festa, luctum, inquam, illum carminibus hymnisque decantari solitum, in Græciam ex Ægypto traduxisse volunt. Istos equidem profanarum fabularum ac pestiferæ superstitionis parentes, malorum principes fuisse omnium merito dixerim, cum illa mysteria scelerum ac mortis semina in hominum vitam intulerunt. At enim jam tempus est, ut orgia vestra fraudis ac præstigiarum plena esse demonstremus : vos, si modo initiati estis, risu ac sibilis vestras illas fabulas, quibus tantum venerationis tribuitur, præ cæteris excipietis. Ego vero abdita penitusque recondita palam in omnium luce collocabo, nec me pudor ab iis proferendis revocabit, quæ vos divinis honoribus colere non pudeat. Vestra igitur illa spumæ marinæ proles, Cyprique fœtus, ac Cinyræ delicium, Venerem intelligo, quam φιλομηδέα, hoc est *veretri amantem*, nominatis, quippe *membris ex genitalibus ortam;* utique abscissis illis Cœli genitalibus, usque adeo salacibus, ut secta quoque undam ipsam constuprarint; quare fœtus effusis in libidinem corporis partibus longe dignissimus Venus ista procreatur. Itaque in arcanis voluptatis hujus marinæ sacris, tanquam fœturæ symbolum, grumus salis, effigiesque veretri, iis tradi solet

qui flagitiosi concubitus artibus initiantur : hi vero nummum ipsi, tanquam amicæ amatores, offerunt. Jam mysteria Cereris aliud nihil sunt, quam incestuosi Jovis cum Cerere matre congressus; ejusdem, matrisne ultra dicam, an uxoris? iracundia, quæ causa fuit cur Brimo, quasi *fremens et indignabunda,* vocaretur; itemque Jovis supplicationes, fellis haustus, cordis convulsiones, ac cæteræ id genus infandæ cæremoniæ. Ac Phryges quidem ejusmodi sacra in Attidis, Cybeles, et Corybantum honorem memoriamque faciunt. Passim autem fama vulgatum est Jovem avulsos geminos arietis testiculos in medium Cereris sinum conjecisse, cum a seipso exactam abscissionis quasi voluntariæ pœnam ob stuprum vi oblatum, hac fraude simularet. Cujus initiationis egregia symbola soluto otiosoque animo producta, risum vobis utique moveant, tametsi opinor vobis ridere non libet, quod sic religionum vestrarum indignitas omnium in oculis defigatur : « Ex tympano comedi, bibi ex » cymbalo, cernum gestavi, me in thalamum clam insi» nuavi. » Non hæc symbola probrum et infamiam sapiunt? non sannis ludibrioque digna mysteria sunt? Quid porro, si attexam reliqua? Ceres quidem fœtum enititur, Core vero educatur : rursum ecce tibi Jupiter cum Pherephatta, quam ipse genuerat, post Cererem matrem, congreditur, execrandi flagitii prioris oblitus : pater et corruptor est Coræ Jupiter; et congreditur draconis forma tectus : sic tamen ut qui sub ea lateat, manifesto postmodum teneatur. Enimvero, Sabaziorum utique mysteriorum, iis qui sacris initiantur, symbolum est, deus sinum pervadens : deus autem iste draco est, qui per medium eorum quos solemni ritu initiant sinum trahitur, certum plane impotentis Jovis libidinis argumentum. Parit etiam Pherephatta, sed filium taurina specie; nimirum, ut idolorum cultor poëta cecinit:

Taurus Draconem genuit, et Taurum Draco,
In monte occultum Bubulcus stimulum.

Bubulci, opinor, *stimulum*, scuticam nominans, quam lignis quibusdam homines Bacchico furore correpti circumagunt. Vin' tu hic etiam lectos a Proserpina flores tibi commemorem, ejusdemque calathum, et raptum a Plutone patratum, et hiatum terræ, et Eubulei sues, quæ cum utraque dea simul haustæ dicuntur? quod quidem in causa est cur in Thesmophoriis Megarica lingua porcos ejiciant. Totam hanc fabellam variæ mulieres singulis in urbibus solemni festo celebrant, Thesmophoria, Scirrhophoria; atque ita diversis plane tragicisque modis raptum Proserpinæ recolunt. Jam Bacchi mysteria omni diritate teterrima sunt: quippe quem, dum adhuc puerulus esset, ac circum ipsum Curetes armata saltatione agerentur, subeuntes dolo Titanes puerilibus crepundiis ludicrisque deceptum membratim discerpserant, quemadmodum Thracius Orpheus hujus sacri vates cecinit:

> Turbo, trochus, tum queis in flexus membra cientur
> Ludicra, et auricomi blandarum ex arbore fœtus
> Hesperidum. . . . . .

Neque vero inutile fuerit, arcani sacri symbola, inutilia licet, hoc loco subjicere, ut omnium judicio sensibusque damnentur. Sunt hæc, talus, pila, trochus, poma, turbo, speculum, vellus. Ac Minerva quidem, quæ ejusdem Bacchi cor furtim sustulisset, Pallas ἐκ του πάλλειν την καρδίαν, hoc est *a cordis vibratione* seu *palpitatione*, nuncupata fuit. Titanes vero, quorum manibus laniatus erat, ipsius membra in lebetem supposito tripodi insidentem conjecerunt, eaque prius elixa verubus postmodum infigentes, *Vulcano imposta tenebant*. At Jupiter, eo repente delapsus (quippe enim, cum deus esset, eum, opinor, assarum carnium nidor afflaverat, quem dii vestri sic tanquam honorarium quoddam munus accipere se confitentur), fulmine Titanas conficit, et Bacchi membra Apollini filio suo sepe-

lenda commendat. Ille autem, nec enim parere Jovi renuit, discerptum lacerumque cadaver in Parnasso monte deponit. Sin placeat Corybantium quoque orgia contemplari, ex illis duo tertium fratrem cum occidissent, caput demortui purpura contectum et corona cinctum ad Olympi montis radices, quo illud æreo scuto impositum detulerant, sepeliere. Hæc illa sunt præclara mysteria, verbo, cædes, ac sepulcra: quorum sacerdotes, Ανακτοτελέςαι, quasi *reges sacrorum*, ab iis quorum ejusmodi appellatio interest nuncupati, novis insuper monstris cædem istam exaggerant, apium cum tota radice ad mensam apponi omnino prohibentes, quod ex Corybantiaco illo sanguine, qui in terram effluxerat, apium germinasse arbitrentur: nempe quemadmodum illæ Thesmophoriorum antistitæ a comedendis mali punici granis, si quæ in terram ceciderint, diligenter abstinent, quod ex iis cruoris Bacchici guttis mala punica extitisse opinentur. Cæterum, cum illi Corybantas istos Cabiros nominent, tum vero *Cabiricum* hujusmodi factum memorant. Quippe, duo enim isti fratricidæ, cistam illam secum auferentes in qua Bacchi pudendum inclusum erat, in Tusciam detulere, mercis egregiæ mercatores, ubi cum exules agerent, luculenta admodum pietatis doctrina Hetruscorum animos informarunt, dum cistam iis ac veretrum nova religione colenda tradiderunt. Atque hanc nonnulli causam esse volunt, quæ sane verisimilitudine non caret, quamobrem Bacchum ipsum Attin, quasi exectum, nuncuparint. Quanquam, quid mirum Hetruscos, homines barbaros, his flagitiorum probris initiari, cum ipsi quoque Athenienses, ac reliqui Græciæ populi, quod me vel referre pudet, illam de Cerere fabulam, usque adeo turpem indignamque, retineant? Enimvero cum in vestiganda Proserpina filia, huc atque illuc errabunda Ceres vagaretur, circa Eleusinem (Atticæ locus est), labore debilitata, constitit, ac puteo cuidam insedit,

ingenti mœrore confecta. Sed enim, iis qui initiantur, graviter ne quid simile agant, in hodiernum usque diem prohibetur; utique ne sacris initiati lugentem Cererem imitari videantur. Cæterum Eleusinem per id tempus indigenæ quidam incolebant, quorum hæc fuere nomina, Baubo, Dysaules, Triptolemus, Eumolpus, et Eubuleus. Ac Triptolemus quidem bubulcus erat, Eumolpus pastor, Eubuleus vero subulcus, ex quibus Eumolpidarum, necnon illud præconum genus sacrorum ac religionum interpres, Athenis effloruit. Baubo igitur (nec enim ab hujus etiam rei commemoratione revocari me patiar), cum hospitio Cererem excepisset, hauriendum ei cinnum propinat, qua propter vim doloris poculum potumque respuente, illa repulsam moleste ferens, quod se despectam spretamque fuisse putaret scilicet, reductis vestibus occultas corporis partes divæ oculis objicit; quo spectaculo delectata, oblatam sibi potionem, ægre licet, tandem tamen ebibit. Hæc Atheniensium recondita mysteria sunt, quæ scriptis Orpheus etiam ipse mandavit. Hujus ego tibi versus quoque subjiciam, ut quem tu mystagogum habes, eumdem habeas flagitiosæ ac turpis infamiæ testem :

Dixerat, obscœnam Cereri tum veste reducta
Corporis ostentat speciem ; puer astat Iacchus,
Quem lætata manu medias Baubonis in ulnas
Conjicit : hinc olli arridens, luctuque soluta,
Multiplicis commixta hausit dea pocula cinni.

Jam, Eleusiniorum mysteriorum communis quædam quasi tessera, hæc est : « Jejunavi, cinnum ebibi, accepi e cista;
» operatus, in calathum reposui, ac rursum in cistam ex
» calatho. » Egregia vero spectacula, quæque deam in primis deceant ! imo, digna sane tenebris ignique mysteria, digna ingentibus aut potius vanitate plenis Erechthidarum cæterorumque Græcorum animis, « quos quidem ea post ob-

» itum manent, a quibus spe et cogitatione longissime ab» sunt. » Et vero, his tandem Heraclitus ille Ephesius vaticinatur, « Tenebrionibus profecto, Magis, Bacchis, Lenis, » Mystis. » Hi sunt quibus pœnas mortem secuturas comminatur, ignemque denuntiat. Nam quæ hominum ex sensu mysteria statuuntur, ea profanos habent initiandi ritus. Itaque, et statæ illæ sacrorum leges, et communis hominum opinio, et universa ista Draconis mysteria, aliud nihil sunt, quam error quidam initia, quæ nihil plane initiorum habeant, superstitiose colens, impiosque ritus adulterina pietatis specie venerans. Quæ porro et cujusmodi sunt mysticæ illæ cistæ? nudandum enim quidquid apud eos sancti est, quidquid arcani, evulgandum. Nonne hæc omnia sesamæ, pyramides, glomi, placentæ variis signatæ umbilicis, grana salis, et draco Dionysii Bassari sacramentum? non mala punica? non medullæ arborum? non ferulæ cum hederis? non pastilli ex siligine caseoque confecti? non denique papavera? Hæc sunt quæ sancta vocant. Quid! Themidis nonne recondita symbola ista sunt? origanum, lychnus, gladius, pecten muliebris, quod honestum ac mysticum est muliebris pudendi nomen. O gnavam perfrictamque impudentiam [1]! Hominum temperatiorum voluptas olim noctis silentio tegebatur : nunc vero nox est, quæ initiandis sacra libidinis enuntiat; adeoque ignis flagitia succensis facibus illustrata pandit. Extingue, sis, hunc ignem, Hierophanta : tuque, o qui lumen præfers, tuas ipse faces reverere : lumen istud Iacchum traducit tuum : patere noctem mysteria tenebris occultare : orgiorum honori consulatur : ignis non simulat; arguit, punitque quæ jubetur. Hæc igitur illa sunt hominum atheorum mysteria. Jure enim atheos dixerim, qui, a veri Numinis cognitione prorsus alieni, pusionem a Titanibus discerptum, ejulantem mulierculam,

[1] Vide D. Guillon, p. 376.

partesque corporis quas pudor nominare non sinit, impudentissime venerentur : ut duplici nomine impietatis ac negatæ divinitatis rei teneantur; altero, quod Deum ignorent, dum nequaquam eum qui vere Deus est agnoscunt; altero, quod eos superesse qui non sunt arbitrentur, illosque deos nuncupent qui tantum a vera divinitate absunt, ut ne supersint quidem, nec præter nomen aliud quidquam sint consecuti. Propterea nos redarguit Apostolus : « Et eratis, » inquiens, hospites testamentorum promissionis, spem non » habentes, et sine Deo in mundo [1]. » Bene vertat illi Scytharum regi, quocumque fuerit nomine, qui civem quemdam suum, cum sacra Matris deorum, quæ apud Cyzicenos fiebant, in Scythia imitaretur, tympanumque pulsaret, et cymbalo e collo pendenti, tanquam Menagyrtes aliquis, insonaret, sagittis confodit; ut qui Græcorum mollitia corruptus, effœminatas artes in Scythiam inveheret. Mirari igitur subit (nec enim id tacere possum), quod Evemerum Agrigentinum, et Nicanorem Cyprium, et Diagoram, et Hipponem Melium, et his paulo juniorem Theodorum Cyrenæum, multosque alios qui sobrie sapienterque vitam instituerunt, et ad pravas de diis opiniones perspicaciores reliquis hominibus fuere, *atheos* cognominarint. Quamvis nec hi veritatem sunt assecuti, sed aliorum duntaxat errores senserunt : quod quidem ipsum haud exiguum est semen, e quo lux veritati sit exoritura. Quidam ex his præcepit Ægyptiis: « Si deos existimatis, nolite eos lugere, neque plangere : sin » vero lugetis, nolite amplius deos esse putare. » Alius vero, cum Herculem e ligno formatum cepisset in manus (aliquid forte domi tum coquebat, ut verisimile est): « Age, inquit, » Hercules, tempus jam est, ut, sicut olim Eurystheo, nobis » etiam in hoc decimo tertio certamine inservias, et hoc » Diagoræ pares in prandium : » dein, seu inutile lignum,

[1] Ephes. II, 12.

in focum imposuit. Extrema plane ignorantiæ sunt impietas et superstitio [1]; extra quæ summopere laborandum est, ut consistamus. Quo pertinet præceptum Mosis, sanctissimi veritatis interpretis, quo cum ille cui vel *contusa* vel *excecta sunt virilia* [2], tum etiam *meretricis filius concionem ingredi* prohibetur : nam per illos priores significat affectum atheum, divinæ naturalisque virtutis expertem : per hunc vero tertium innuitur qui, loco unius veri Dei, multos sibi falsos ascribit; quemadmodum spurius, propter veri patris ignorantiam, multos adscribit sibi patres. Erat autem antiqua quædam et nativa homini cum Deo communitas : quæ quidem, cum diu fuisset ignoratione obscurata, repente tandem e tenebris exiliit, et resplenduit, prout aliquis dixit :

> Vides hunc sublimem, hunc immensum æthera,
> Qui terram humidis complectitur brachiis.

Et iterum,

> Qui terræ vehiculum, et supra terram sedem habes,
> Quicumque demum sis, visu difficilis.

Et quæcumque hujusmodi alia canunt poëtarum filii. Sed pravæ quædam a rectoque alienissimæ, et manifeste perniciosæ sententiæ, hominem, cœlesti stirpe prognatum, abduxerunt a cœlesti vita, et persuaserunt in creaturas terrenas adhærescere, sicque humi prostraverunt. Alii enim cœlorum contemplatione decepti sunt, et solos oculos in consilium assumentes, conspectis astrorum motibus statim admiratione capti, illa in numerum deorum retulerunt, et deos a cursu nominarunt : hinc Indi soli, Phryges lunæ divinos honores tribuerunt. Alii vero, quod felicibus terrestrium plantarum fructibus vitam sustentarent, frumentum quidem appellavere Cererem, ut Athenienses; vitem

[1] Vid. D. Guillon, p. 377.
[2] Deut. xxiii, 1 et 2.

vero Bacchum, ut Thebani. Alii, scelerum suorum conscientia stimulati, pœnis et calamitatibus divinitatem tribuerunt : atque hinc scenici poëtæ Furias et Eumenides, aliosque piaculares, ac malorum vindices et ultores deos commenti sunt. Nec defuerunt philosophi qui, poëtarum exemplo, vestrorum affectuum formas veluti Timoris, Amoris, Gaudii, et Spei, coluerint : quemadmodum priscus ille Epimenides Contumeliæ et Impudentiæ altaria Athenis constituit. Aliæ vero, ex ipsis rebus natæ, effinguntur specie corporea, et in deos referuntur : veluti illæ Atheniensium deæ, Justitia, et Clotho, et Lachesis, et Atropos, et Parca, et Auxo, et Thallo. His adjiciam sextam introducendi has fraudes, et deorum numerum augendi rationem, qua duodecim deos numerant; quo referendi sunt etiam de quorum ortu Theogoniam suam scripsit Hesiodus, et quæcumque Homerus de diis disseruit. Superest adhuc postrema (sunt enim omnino septem), quæ a divinis erga homines beneficiis emanavit. Nam cum deum, a quo bona ipsis tribuuntur, ignorarent, commenti sunt quosdam servatores Dioscuros, et Herculem malorum averruncum, et Æsculapium medicum. Atque hactenus de lubricis et exitiosis egressibus a veritate, quibus homines a cœlo detrahi, et in barathrum impelli solent. Restat nunc, ut interius vobis ostendam qui qualesque fuerint dii vestri : ut ab his erroribus tandem aliquando desistentes, in cœlum revertamini. « Eramus enim » et nos filii iræ, sicut et cæteri : Deus autem, qui dives est » in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua » dilexit nos, cum jam essemus mortui peccatis, convivifi- » cavit nos Christo[1]. » Vivens enim Verbum, et consepultum Christo, una cum Deo extollitur. Qui vero adhuc in sua infidelitate persistunt, *filii iræ* vocantur, ut qui ad iram Dei subeundam nutriantur. Nos autem qui, errore liberati,

[1] Ephes. II, 4 et 5.

totis viribus ad veritatem contendimus, nequaquam adhuc iræ filii sumus. Quocirca nos, qui quondam improbitatis filii fuimus, jam per Verbi clementiam Dei filii sumus facti; vos autem vester etiam poëta Empedocles Agrigentinus incessit :

Quamobrem importunis excruciati vitiis,
Nunquam acerbis animum doloribus levabitis.

Et quæ de vestris diis traduntur, maxima quidem ex parte ficta sunt et commentitia : cætera autem, quæcumque vere gesta fuisse putantur, ad alium neminem pertinuisse memorantur, quam homines libidine atque omnibus vitiis infames.

Cum fastu miseri erratis, verique relicto
Tramite, per sentes fugitis, perque horrida spinis
Devia. Quorsum isthæc? studiis absistite vanis,
Mortales, pulsaque diem comprendite nocte.

Hæc nobis præcipit Sibylla, utriusque artis, propheticæ atque poëticæ, scientia insignis : præcipit etiam ipsa veritas, quæ deorum turbam exuit his terribilibus larvis, quæ stuporem imperitis incutiunt; et opiniones temere conceptas, detecta nominum similitudine, redarguit. Est enim a nonnullis memoriæ proditum, tres Joves fuisse : quorum unus ab Æthere in Arcadia; cæteri autem duo a Saturno, hic quidem in Creta, alter vero rursus in Arcadia, oriundi sunt. Sunt etiam a quibus quinque Minervæ celebrantur : prima quidem Atheniensis, Vulcani filia : secunda Ægyptia, Nili : tertia Saturni, cui bellicæ artis inventio tribuitur : quarta Jovis, quam Messenii de matris suæ nomine Coryphasiam appellaverunt : postrema, Pallantis et Titanidis Oceani filiæ, quæ cum patrem suum impie trucidasset, ejus pelle, tanquam ovino vellere, se ornavit. Quin etiam Aristoteles Apollinem primum, Vulcani et Minervæ (actum est igitur

de virginitate Minervæ); secundum Creticum, Corybantis; tertium, Jovis; quartum Arcadem, Sileni (eum Arcades Nomium vocant); quintum denique Libycum, Ammonis filium, recenset : quibus Didymus grammaticus subjungit sextum, Magnete genitum. Nunc vero quot habemus Apollines! multitudo nobis est propemodum infinita mortalium hominum qui, quod humanum genus adjuverint, eo nomine, pariter ac cæteri jam prædicti, gaudent. Quid vero, si Æsculapios vobis omnes, aut Mercurios, aut Vulcanos, qui in fabulis memorantur, recensere pergam? nonne nimius esse videbor, vestrasque aures ipsa nominum multitudine obruam? Transeundum igitur ad patrias, artes, vitas, et ipsa denique sepulcra vestrorum deorum, quæ singula satis convincunt eos fuisse homines. Mars autem, qui a poëtis summo in honore habitus est :

Mars, Mars, hominum pestis, sanguinarie, mæniorum eversor :

ille, inquam, *qui nunc has, nunc istas partes sequitur,* et *in hostes insurgit,* tradente Epicharmo, Spartanus erat. Sophocles autem Thracem, et alii Arcadem fuisse produnt. Homerus eumdem *vincula tredecim menses perpessum* memorat :

Et Mars sustinuit, cum eum Otus, fortisque Ephialtes,
Filii Aloei, forti vinculo ligarunt :
Æneo autem in carcere ligabatur tredecim menses.

Bene vertat Caribus, quod canes ei sacrificant. Scythæ asinos immolare ne desinant : cujus sacri meminit Apollodorus, itemque Callimachus :

Phœbus Hyperboreis asinorum immolationibus exoritur.

Idem vero alio in loco :

Delectant Phœbum pingues asinorum mactationes.

Vulcanus autem, quem Jupiter ex Olympo *deturbavit, a*

limine divino, cum *in Lemnum cecidisset*, ærariam exercuit, mutilatus pedibus,

. . . graciles autem illi tibiæ fluebant.

Nec solum æris fabrum, sed etiam medicum habes inter deos. Is vero avarus erat, et nomen habuit Æsculapii. Testis sit tuus poëta, Bœotius Pindarus:

Pervertit enim et illum ingenti mer-
cede aurum in manibus apparens,
Virum e morte ut reduceret
Jam captum. Mani-
bus igitur Saturnius fulmen
Jaculatus per utrumque, respirationem,
Pectorum abstulit
Celeriter, ardensque ful-
men inflixit mortem.

Et Euripides,

Jupiter enim interfecto filio meo auctor fuit,
Æsculapio, pectoribus immisso fulmine.

Hic igitur ictus fulmine jacet in finibus Cynosuridis. Philochorus etiam tradit Neptunum medicum in Teno coli; et Saturnum situm esse in Sicilia, atque illic fuisse sepultum. Patrocles Thurius, et junior Sophocles tribus tragœdiis contexuit historiam de Dioscuris. Hi autem Dioscuri fuere mortales homines, si Homerus dignus sit cui fides habeatur:

. . . Hos autem jam tenebat terra mater animantium,
In Lacedæmone, quæ cara ipsis patria fuit.

Accedat etiam, qui Cypriaca poëmata scripsit:

Castor quidem mortalis, et mors ipsi fato decreta est:
Immortalis autem Pollux, progenies Martis.

Quod ille quidem poëtico more fabulatus est: sed Homerus fide dignior est, qui de utroque Dioscuro loquitur, et ipsum præterea Herculem idolum esse ostendit:

Virum Herculem, magnorum scientem operum.

Hinc satis constat, Herculem ab ipso Homero mortalem hominem habitum fuisse. Quinetiam Hieronymus philosophus, quo corporis habitu fuerit enarrans, « parvum fuisse » memorat, horrentibus capillis, firmis viribus. » Dicæarchus vero, « quadratum, nervosum, nigrum, naso aquilino, sub» cæsiis oculis, promissis capillis. » Atque hic quidem, postquam duos supra quinquaginta annos vixisset, vitam finivit, et in Œtæa pyra funeratus est. Jam vero Musas, quas Alcander dicit esse Jovis et Mnemosynes filias, reliquique etiam poëtæ et scriptores deorum honoribus afficiunt, et totæ civitates extructis de nomine ipsarum *Museis* colunt, cum ancillæ essent, mercata est Megaclo Macaris filia. Is autem Macar, cum rex esset Lesbiorum, cum uxore assiduas lites exercebat. Matris vicem vehementer dolebat Megaclo : quid non factura erat ? Itaque has ancillas totidem numero mercata, Æolica dialecto *Mysas* vocat. Has docuit vetera facta canere, et numerose ad citharam modulari. Illæ vero, cum assidue cithara luderent, et dulciter accinerent, Macara permulcebant, ejusque iram sedabant. Cujus in memoriam beneficii Megaclo, ut pro matre gratias referret, illis statuas ex ære consecravit, et per omnia templa honore haberi jussit. Et sunt quidem Musæ hujusmodi. Hanc porro historiam tradit Myrsilus Lesbius. Attendite jam ad vestrorum deorum amores, ad incredibilem, quæ in fabulis habetur, intemperantiam, vulnera, et vincula, et risus, et pugnas ; servitutem præterea, et convivia : denique ad complexus, et lacrymas, et perturbationes, et impudicas voluptates. Voca huc Neptunum, totumque chorum qui ab ipso corruptus est, Amphitriten, Amymonen, Alopen, Melanippen, Alcyonen, Hippothoen, Chionen, cum aliis innumeris : quibus tamen omnibus, quamvis tot essent, nondum exaturata est libido Neptuni vestri. Voca huc quoque Apollinem : is est Phœbus, et castus vates, et bonus con-

siliarius. At non id Sterope dicit, non Æthusa, non Arsinoe, non Zeuxippe, non Prothoe, non Marpissa, non denique Hypsipyle. Effugit enim sola Daphne et vatem et vitium. Et post omnes veniat ipse Jupiter, vestra sententia « hominum pater atque deorum, » qui in venerem adeo fuit effusus, ut omnes quidem appeteret, et suam in omnes expleret libidinem. Explebatur igitur mulieribus, non minus quam hircus Thmuitarum capris. Atque tua quidem, Homere, admiror poëmata :

Dixit, et cæruleis superciliis annuit Saturnius,
Ambrosiæ autem comæ concussæ sunt regis
Capite ab immortali, magnum autem tremefecit Olympum.

Venerabilem, Homere, Jovem effingis, et reverendum illi nutum tribuis. At si cestum semel ostenderis, mi homo, arguitur Jupiter, et ejus coma dedecore afficitur. In quantam libidinem processit ille Jupiter, qui tot noctes cum Alcmena transegit in voluptate! intemperanti enim ne novem quidem noctes sunt longæ; sed potius tota vita breve spatium libidini esset, quo illum nobis malorum averruncatorem deum seminaret. Jovis autem filius erat Hercules, germanus certe Jovis filius, longa illa nocte procreatus : qui quidem duodecim illa certamina non nisi longo tempore absolvit, quinquaginta vero Thestii filias una nocte compressit, tot virginum adulter et sponsus eodem tempore factus : ut ipsum poëtæ *infelicem* et *nefarium* non injuria appellent. Longum esset et supervacaneum omnia ejus adulteria et puerorum stupra recensere. Nam nec a pueris quidem dii vestri abstinuere : quorum unus Hyllam, alius Hyacinthum, alius Pelopem, alius Chrysippum, alius Ganymeden amavit. Hos deos vestræ uxores adorent, tales sibi maritos precentur, adeo temperantes, ut similes sint diis, et similia consectentur. Hos filii vestri colere assuescant, ut

execrabile scortandi exemplum a diis capientes, viri evadunt. Sed ex diis soli forte masculi in venerem feruntur;

Fœminæ autem deæ manebant pudore domi singulæ,

ait Homerus, verecunde scilicet erubescentes Venerem videre in adulterio deprehensam. Verum hæ libidinosius adhuc vivunt, seque dedunt adulteriis: Aurora quidem cum Tithono, Luna cum Endymione, Nereis cum Æaco, Thetis cum Peleo, Ceres cum Jasone, Proserpina cum Adonide. Venus propter Martem dedecus passa, transiit ad Cinyram, et nupsit Anchisæ, et insidias paravit Phaëthonti, et Adonidem amavit. Eadem cum Junone contendit, et cum pomi gratia deæ vestes exuissent, permiserunt se pastori judicaturo quænam esset ex eis pulchra. Age vero, certamina quoque vestra paucis obeamus, ac sepulcrales istos conventus, Isthmica, Nemea, Pythia, Olympia denique, dissipemus. Pythone quidem, Pythium draconem venerantur, serpentisque conventum nomine Pythiorum indicunt. Apud Isthmum autem, mare ejectitium ac miserabile cadaver expuit, jamque Melicerten Isthmia lamentantur. Nemeæ similiter, cum alium pusionem Archemorum sepelissent, hujus sepulcrale certamen Nemea nuncuparunt. Pisa quoque apud vos, o Græcorum genus universum, aurigæ Phrygii tumulus est: atque Olympia, hoc est Pelopis inferias, Phidiacus sibi Jupiter vendicat. Verisimile igitur est, mysteria vestra, sicut etiam oracula, fuisse certamina causa mortuorum instituta: et hæc quidem utraque publica facta sunt. Quæ porro Sagræ mysteria, et Alimunte Atticæ pago celebrantur, Athenis circumscripta sunt: ea vero certamina ac Phalli, quæ Baccho consecrantur, pessumdederunt vitam, et sunt pene totius mundi dedecus ac probrum. Bacchus enim descendendi ad inferos desiderio flagrabat,

sed viam ignorabat: hanc Prosymnus quidam promittit se monstraturum, verum non sine mercede. Merces ea in se quidem parum erat honesta, attamen honesta satis Baccho. Erat autem gratia venerea, quam Bacchus postulabatur. Deo igitur non repugnanti petitio statim explicatur: isque jurejurando promittit, si redierit, se quod vellet facturum. Cum viam didicisset, abiit, rursusque rediit; nec offendit Prosymnum, erat enim mortuus. Tum vero amatori ut debitum solveret, ad monumentum ejus se confert, et muliebria patiendi desiderio flagrat. Cum ergo ficulneum excidisset ramum, instar virilis membri efformat; et ei insidens, promissum persolvit mortuo. Atque hoc facinus mystico ritu commemorant, qui Baccho phallos fere per universas Græciæ urbes erigunt. « Nam nisi Baccho pom» pam ducerent, et carmina canerent in laudem pudendo» rum impudentissima, plane actum erat, » ait Heraclitus. Hic est ille Pluto, et Bacchus, cujus gratia insaniunt et *bacchantur*, non tam, ut opinor, præ ebrietate, quam ut turpes cæremonias quæ in memoriam libidinis primitus fuerunt institutæ, de more peragant. Sunt ergo jure dii vestri tales, qui affectuum suorum servi fuere. Quinetiam servile jugum, perinde ac Helotæ Lacedæmoniorum, subiit, Apollo quidem Pheris apud Admetum, Hercules autem Sardis apud Omphalen: Laomedonti Phrygi servivit Neptunus; itemque Apollo, inutilis scilicet servus, qui a priori domino libertatem consequi non potuit; quo tempore ab illis instaurata fuerunt Ilii mœnia. Homerus autem dicere non est veritus, Minervam Ulyssi « prælaxisse, aureum » lychnum in manibus tenentem. » Venerem vero legimus, velut impudicam aliquam ancillam, sellam Helenæ apposuisse exadversum adultero, quo eum ad coitum pelliceret. Panyasis denique, præter hos, alios quoque plures deos refert hominibus serviisse, sic scribens:

Sustinuit quidem Ceres, sustinuit præclarus Mulciber,
Sustinuit Neptunus, sustinuit etiam argenteum arcum habens
Mortali viro annum servire : [Apollo
Sustinuit etiam ferox Mars a patre coactus :

Et quæ deinceps sequuntur. Erit itaque consentaneum, ut jam vobis ostendam, hos vestros deos, qui amore languent, et animi perturbationibus vexantur, cæteris quoque omnibus, quos homines pati solent, affectibus obnoxios esse : *Nam illis mortale corpus erat.* Hoc autem manifeste indicat Homerus, cum Venerem præ vulneribus *acute graviterque clamantem* inducit; ipsumque Martem, belli deum, a Diomede fuisse *ventre sauciatum* narrat. Polemo autem refert Minervam etiam ab Ornyto vulneratam fuisse. Quinetiam Plutonem ab Hercule sagitta ictum dicit Homerus; quod de Eleo quoque Augea tradit Panyasis, qui Junonem etiam pronubam *in Pylo arenosa* ab eodem Hercule vulneratam fuisse memorat. Sosibius autem refert ipsius etiam Herculis manum ab Hippocoontis filiis sauciatam fuisse. Quod si sunt vulnera, est etiam sanguis. Sanies enim poëtica, quam ἰχῶρα vocant, est ipso sanguine turpior : nam putridus sanguis ἰχὼρ dicitur. Et curationes ergo, et nutrimenta, quibus indigent, necesse est inducere. Quare et mensæ eorum memorantur, et compotationes, et risus, et coitus; cum ne homines quidem venere uterentur, aut liberis operam darent, aut somno indulgerent, si essent immortales, et nullius indigi, seniique expertes. Jupiter vero ipse humanæ quidem mensæ particeps fuit apud Æthiopes, inhumanæ autem et nefariæ, cum a Lycaone Arcade exciperetur. Tum enim humanis carnibus saturabatur, idque invitus : nesciebat scilicet deus, convivatorem suum Lycaonem filium suum interfectum (cui nomen erat Nyctimo) ipsi comedendum apposuisse! Hic est præclarus ille Jupiter, fatidicus, hospitalis, supplicum præses, clemens,

panomphæus, scelerum ultor : imo potius injustus, exlex, flagitiosus, impius, inhumanus, raptor, stuprator, adulter, lascivus. Verum tunc erat forte cum talis erat, cum homo erat. Nunc autem mihi ipsæ fabulæ vestræ consenuisse videntur : Jupiter non est amplius draco, non cycnus, non aquila, non homo lascivus; non volat Deus, puerorum amore non tenetur, non dat oscula, non affert vim, etsi adhuc multæ sint pulchræ mulieres, Leda formosiores, et Semele vegetiores; adolescentes etiam multi, qui cum formæ pulchritudine, tum elegantia morum Phrygio bubulco præstant. Ubi vero nunc est aquila illa? ubi cycnus? ubi autem ipse Jupiter? Una cum pennis consenuit : nec enim legimus eum aut suorum amorum pœnituisse, aut temperantiam didicisse. Sed fabula hæc tandem detegitur, mortua est Leda, mortuus cycnus, mortua aquila. Quære tuum Jovem : ne vero cœlum, sed terram scruteris. Indicabit tibi, apud quem sepultus est, Cretensis in Hymnis *Callimachus* :

> .... etenim sepulcrum, o Rex, tuum
> Cretenses fabricarunt. ....

Mortuus enim est Jupiter, ne commovearis, ut Leda, ut cycnus, ut aquila, ut homo amoribus deditus, ut draco. Quinetiam ipsi qui hac prava sunt imbuti superstitione, videntur tandem suos de diis errores, quamvis inviti et pene reluctantes, deprehendisse :

> Non enim a quercu es antiqua, neque a petra,
> Sed hominum ex genere es. ....

Statim vero invenientur iidem et *quercus* esse, et *petræ*. Jovem enim quemdam Agamemnonem Spartæ coli refert Staphylus. Phanocles autem, in libro quem *Amores* seu *Pulcros* inscripsit, memorat Agamemnonem Græcorum regem templum Argynnæ Veneris, in memoriam amasii

sui Argynni, condidisse. Callimachus, in libro Αἰτίων, seu *Causarum*, dicit Arcadas divinos honores tribuere Dianæ Ἀπαγχομένῃ, seu quæ se *strangulavit*. Colitur etiam Methymnæ alia Diana Condylitis. Est quoque Podagræ alterius Dianæ templum in Laconica, ut refert Sosibius. Polemo autem *hiantis* Apollinis unum, et *popinonis* rursus Apollinis alterum, quod in Elide colitur, simulacrum memorat. Quinetiam iidem Elei Jovi muscarum depulsori, quemadmodum Romani Herculi muscarum depulsori, itemque Febri et Pavori, quos ejus inter comites referunt, sacra faciunt. Mitto autem Argivos, qui Venerem τυμβωρύχον, seu *quæ sepulcra effodit*, colunt. Sicut etiam Spartani Dianam Chelytida, quoniam tussire ab eis dicitur χιλύττειν, venerantur. An tu vero, unde hæc citata fuerunt, intelligas? Ego certe quæ a vobismet ipsis afferri in medium solent, apposui tibi : tu vero ne tuos quidem scriptores, quod ad arguendam tuam incredulitatem testes advoco, agnoscere videris. O miseri, qui totam vitam vestram, minime quidem vitalem, tam nefariis ludibriis implevistis! Nonne Argis Jupiter *calvus*, alter vero *ultoris* nomine in Cypro colitur? Nonne Veneri *Peribasiæ* Argivi, *meretrici* Athenienses, et *pulchris clunibus præditæ* Syracusii, quam Nicander καλλίγλουτον alicubi vocavit, sacra faciunt? Taceo nunc Bacchum χοιροψάλην, seu qui *naturam muliebrem contrectat*. Eum venerantur Sicyonii, præficiuntque mulierum pudendis; turpitudinis præsidem, et omnis proterviæ patronum, summa religione colentes. Atque tales quidem sunt ipsis dei : tales autem sunt ipsi quoque, qui in divina religione ludunt, aut potius sibi illudunt, et gravissimas contumelias intorquent. Quanto melius Ægyptii[1], qui vicatim et per urbes bruta animalia coluerunt, quam Græci, qui hujuscemodi deos adorant! Sint enim illa feræ : at

[1] Vide D. Guillon, p. 377.

non sunt adulterio, non illicitis libidinibus dedita; nec ex illis vel unum alias voluptates, quam quas natura indulsit, consectatur. Hi autem quales sint quid opus est dicere, cum jam eos satis arguerimus? Porro autem Ægyptii, quorum nunc feci mentionem, distracti sunt in varios cultus et religiones. Ex his enim Syenitæ colunt piscem phagrum: qui Elephantinam habitant, alium piscem, nomine mæoten: Oxyrinchitæ, similiter piscem, qui ab eorum regione nomen habet: Heracleopolitæ præterea, ichneumonem: Saitæ autem et Thebani, ovem: lupum, Lycopolitani: canem, Cynopolitani: Apin, Memphitani: hircum, Mendesii. Vos autem, qui estis Ægyptiis omnino meliores (vereor ne sit potius dicendum pejores), qui Ægyptios quotidie ludibrio habetis, quales estis in bruta animalia? Ex vobis enim Thessali ciconias coluerunt, quod id esset more majorum receptum. Thebani autem mustelas adorant, quod olim mustela nascentem Herculem adjuverit. Quid? Nonne *Thessali* dicuntur divinum cultum formicis tribuere; quod ex fabulis didicerint Jovem, sumpta formicæ forma, cum Eurymedusa, Cletoris filia, congressum, Myrmedonem genuisse? Polemo autem refert, eos qui Troadem habitant, mures indigenas, quos σμίνθους vocant, venerari, quod arcuum hostilium nervos arroserint; exindeque Apollini *Sminthii* nomen imposuisse. Heraclides etiam in libro *de ædificationibus templorum in Acarnania* scribit, in Actio promontorio, ubi Actii Apollinis fanum est, ante cætera sacra bovem immolari muscis. Nec vero Samiorum obliviscar, a quibus, prout tradit Euphorion, ovis colitur: ut nec eorum qui Phœniciam Syrorum incolunt, quorum alii quidem columbas, alii vero pisces haud minus impense colunt, quam Elei Jovem. Age vero, cum sit satis ostensum non esse deos quos colitis; an sint vere dæmones, quos secundum a diis ordinem tenere creditis, jam erit ulterius

dispiciendum. Si igitur dæmones sint gulæ dediti et impuri, ostendi facile possunt per singulas vestras urbes indigenæ dæmones, quibus divini honores persolvuntur. Apud Cythnios, Menedemus : apud Tenios, Callistagoras : apud Delios, Anius : apud Lacones, Astrabacus. Colitur etiam Phaleri quidam heros in puppi navis : et Pythia jussit sacra facere Platæensibus Androcrati, et Democrati, et Cyclæo, et Leuconi, Medico bello fervente. Alios etiam permultos dæmones reperiet, si quis paulum dispicere valeat :

Ter enim decies mille sunt in terra multos pascente
Dæmones immortales, custodes mortalium hominum.

Quinam sunt hi custodes, o Bœoti, ne pigeat eloqui. Manifestum etenim est, hos esse quos modo memoravi, et, qui sunt his honoratiores, magnos dæmones, Apollinem, Dianam, Latonam, Cererem, Proserpinam, Plutonem, Herculem, ipsum Jovem. Ne vero aufugiamus, nos custodiunt, o Ascræe : aut forte ne peccemus, qui scilicet peccata non sunt experti. Hic usurpare licet quod proverbii loco dici solet :

Pater inemendabilis emendat filium.

Quod si nos custodiunt, haudquaquam id benevolentia ducti faciunt, sed adulatorum instar, interea dum vestrum urgent exitium, fumo inescati, vitæ adhærescunt. Ipsi certe dæmones ingluviem fatentur suam, dum dicunt :

Libaminis, nidorisque, hunc enim honorem nos sortiti sumus.

Quam autem vocem ederent, si vocem acciperent Ægyptiorum dii, mustelæ et feles, et id genus animalia, nisi hanc poëticam ab Homero prolatam, qua nidorem et coquinariam sibi gratissimas esse profiteantur? Tales itaque sunt vestri dæmones, et dei, et si qui *semidei*, tanquam *semiasini* vocantur : neque enim est vobis nominum penuria, quibus ad impias hujusmodi compositiones utamini.

III. Nunc autem superioribus illud adjungamus[1], quam immanes dii vestri dæmones fuerint, quamque capitali hominum odio flagraverint, qui eorum non vecordia solum insaniaque delectarentur, sed etiam carnificina cædibusque fruerentur. Quippe modo enim armatas in stadio et ambitiosas commissiones, modo infinitas belli contentiones honoris causa gloriæque susceptas, voluptatis sibi materiem accersebant, ut sic affatim humano cruore satiari possent. Jam vero per urbes passim ac populos tanquam teterrimæ pestes grassati, crudeles dirasque libationes expetebant. Sane Aristomenes ille Messenius Ithometæ Jovi trecentos jugulavit, ratus egregie sese tot tamque lectis hecatombis litasse, quorum e numero Theopompus erat, Lacedæmoniorum rex, illustris utique nobilisque victima. Tauri vero populi, qui circa Tauricam Chersonesum habitant, quotquot apud se peregrinos eo, tum errore, tum vi tempestatis appulsos interciperent, e vestigio Tauricæ Dianæ immolabant: *quibus* sacrificiis tragica sæpius Euripidis theatra personarunt. Scribit etiam Monimus in suo de rebus admirabilibus commentario, Pellæ, oppido Thessaliæ, hominem Achivum Peleo et Chironi mactari consuevisse. A Lyctiis vero, Cretæ insulæ populis, Jovi homines jugulari solitos, auctor est Anticlides, in eo quem *Reditus* inscripsit opere. Itemque Baccho similem a Lesbiis oblatam esse victimam ex Dosida cognoscimus. Phocæenses quoque, ne præteriri a nobis videantur, hominem integrum Tauricæ Dianæ cremabant, ut testis est Pythocles libro de Concordia tertio. Adde et his Erechtheum Atticum, et Romanum Marium, qui suas ambo filias immolarunt: Persephonæ quidem Erechtheus, ut apud Demaratum primo Rerum Tragicarum libro legimus; Averruncis autem Marius, ut ex quarto Dorothei Rerum Italicarum libro constat. Per-

[1] Vide D. Guillon, p. 378 et seq.

humani scilicet et misericordes exemplis istis exhibentur dæmones. Quidni vero similem in modum religiosa sanctaque habeantur dæmonum mancipia? illi quidem dum servatorum nomine celebrantur; hæc vero dum salutem a salutis insidiatoribus deprecantur. Enimvero dum istis litare sese opinantur, homines ab sese jugulari non cogitant. Atqui non locus profecto hostiam ex parricidio facit: nec si Dianæ quis et Jovi potius in loco sacro, quam si aliis id genus dæmonibus, vel in aris, vel in triviis hominem, seu iracundia, seu pecuniæ cupiditate commotus jugularit, sacram victimam appellet licet. Parricidium omnino est tale sacrificium. Quid igitur causæ est, vos o homines, animalium omnium sapientissimi, ob quam, cum feras adeo fugere, et sicubi in immania animalia, seu in ursum, seu in leonem inciderimus, illico declinare soleamus,

Ut quis, cæruleum si forte aspexerit anguem,
Continuo resilit, membrisque pavore solutis,
Aërii montis sese valle abdit in alta:

vos, qui exitiales ac pestiferos dæmones insidiari hominibus, eorumque succensos odio, nihil nisi ipsorum pestem interitumque moliri sentitis atque cognoscitis, non moveamini tamen, nec vestros ipsi hostes aversemini? Quomodo autem fieri potest ut qui mali sunt, aut verum dicant, aut cuiquam prosint? Quin ego tibi facile hominem ostendam qui diis, seu dæmonibus vestris, multo sit melior. Is autem erit Cyrus, vel Solon, quos haud dubitaverim fatidico Apollini anteferre. Munera diligit Phœbus vester, non homines. Crœsum enim amicum suum prodidit, et mercedis oblitus (adeo fuit existimationis famæque suæ studiosus), cum per Halyn fluvium ad rogum deduxit. Ita dæmones, quos amant, ad ignem deducunt. Tu vero, o homo, qui impensius cum humanum genus amas, tum etiam veritatem

colis, quam Apollo, miserere hominis supra rogum vincti. Et tu quidem, Solon, veritatem interpretare. Tu vero, Cyre, jube rogum extingui. Tu denique, Crœse, fac ut sapias, tuo ipsius malo admonitus. Ingratus est quem colis: accipit mercedem, et postquam auro tuo fuerit auctus, mentitur. O Solon, *respice iterum finem*. Hoc itaque non dæmon, sed homo tibi consilii dedit. Nulla tibi Solon obliqua oracula edit. Hunc facile intelliges: et quod hujus solius responso insit veritas, cum rogo fueris impositus, experimento deprehendes. Unde mirari subit, quibusnam fuerint opinionibus ducti erroris hujus auctores, ut tam variis superstitionibus imbuerent hominum mentes, et sceleratorum dæmonum cultum legibus sancirent: sive Phoroneus is fuerit, sive Merops, seu quis alius, qui templa illis et altaria constituisse primique obtulisse victimas a scriptoribus fabularum referuntur; posteriorum enim temporum homines, deos sibi, quos colerent, finxisse satis constat. Hunc enim Amorem, qui dicitur esse inter deos antiquissimos, nemo ante Charmum coluit, qui postquam dilectum adolescentem obtinuisset, in memoriam expletæ libidinis in Academia altare ipsi statuit. Hinc turpis libido Amoris nomine appellari cœpit, et in deos relata est. Nec vero quis esset Pan cognoverunt Athenienses, antequam eis diceret Philippides. Mirum profecto videri non debet, si nefandæ superstitionis error, posteaquam aliquod semel initium accepisset, flagitiosæ vesaniæ fons extiterit. Enimvero cum intercisus ille postea non fuisset, sed potius novis in dies incrementis auctus, magna vi tandem ac vehementi cursu ferri cœpit. Mox itaque multiplicium dæmonum architectus efficitur, hecatombas sacrificat, solemnes conventus instituit, erigit simulacra, templa ædificat, sed quæ (nec enim id dissimulabo, sed potius manifeste coarguam) honesto quidem templorum nomine celebrantur, cæterum

aliud nihil fuere quam sepulcra, quibus deinceps hanc templorum appellationem indidere. Vos ergo nunc saltem superstitionem dediscite, vel hac tumulorum cultus indignitate revocati. Larissæ, in Minervæ templo, quod in summa arce visitur, Acrisii sepulcrum est; Athenis autem, in ipsa pariter Acropoli, Cecropis, ut Antiochus historiarum nono scriptum reliquit. Quid porro Erichthonius? nonne in Poliadis templo sepultus est? nonne Immarus, Eumolpi filius, et Dairas, in Eleusinii septis, quod sub Arcem constructum est? nonne Celei filiæ Eleusine sepulturæ mandatæ sunt? Nam quid Hyperboreas tibi mulieres commemorem? duæ sane, quarum altera Hyperoche, Laodice altera vocabatur, in Dianæ sacello, quod in insula Delo Apollinis Delii templo continetur, sepultæ sunt. Leandrius autem Clearchum Mileti, in Apollinis Didymæi templo, conditum esse testatur. Neque vero æquum fuerit hoc loco præterire, aut Leucophrynes illius monumentum, quæ, si Zenonem Myndium sequamur, Magnesiæ in Dianæ templo sepulta est; aut Telmissi erectam Apollinis aram, quod Telmissis cujusdam vatis monumentum esse historiæ prodiderunt. Quinetiam Ptolemæus, Agesarchi filius, volumine ex iis primo quæ de Philopatore scripsit, auctor est in insula Papho, Cyniram ac Cyniræ posteros in Veneris templo conditos fuisse. Etenim tempus me deficiat, si tumulos omnes quibus divinos honores tribuitis, recensere vellem : vos autem, ni scelerum istorum pudor vos aliquis ceperit, ite porro, vereque mortui cum vestram in hominibus mortuis fiduciam collocetis, passim huc illucque vagamini.

O miseri! quid hoc mali est quod patimini? caligine
Capita vestra cooperiuntur. . . .

IV. Quod si insuper his ipsa simulacra oculis vestris subjecero, ea percurrentes optime perspicietis vos vanis-

sima consuetudine inductos, hominum artificia, quæ sensu carent, divinis honoribus affecissse. Ac Scythæ quidem antiquitus adorabant acinacem; Arabes, lapidem; Persæ vero, fluvium. Et qui his omnibus antiquiores in aliis regionibus fuere, aut ligna excelsa et conspicua, aut lapideas columnas, quæ tum ξόανα vocabant, quod e materia limata essent, statuebant. Quemadmodum illud Dianæ simulacrum quod in Icaro colebatur, lignum erat illaboratum; alterum vero Junonis Cithæroniæ apud Thespienses, truncus excisus. Et Samiæ quidem Junonis alterum, ut refert Aethlius, primo stipes erat, ex quo Procleo demum prætore statua efficta est. Postquam autem hæ statuæ humanas in figuras formari cœperunt, βέτηϐ eas appellabant, quod homines ϐροτοὶ dicerentur. Ex Varrone porro discimus, Romanos veteres hastam pro simulacro Martis coluisse, cum artifices hoc pessimo humanas formas effingendi artificio nondum essent eruditi : quo postquam proficere cœperunt, crevit in dies magis, et invaluit error. Quod itaque ex lapidibus, et lignis, utque summatim dicam, alia quavis materia statuas hominibus similes feceritis, earumque formis subjecta pietate veritatem mendaciis involveritis, satis ex iis quæ diximus manifestum est. Verumtamen cum hic locus indigere aliqua demonstratione videatur, non est recusandum. Ac Jovem quidem Olympicum, et Poliadem Atheniensem ex auro et ebore effecisse Phidiam, cuivis notum est. Junonis autem statuam factam esse Euclidæ scalpro, ex Olympichi Samiacis cognoscimus. Nec est cur dubitetis quin earum quas Athenienses *venerabiles deas* vocant, duas quidem Scopas, quam vero dicuntur habere mediam Calos effinxerit, cum id Polemo affirmaverit in quarto eorum quæ scripsit ad Timæum : ut nec de Jovis et Apollinis simulacris in Patara, Lyciæ urbe, quin ea idem Phidias, una cum duobus leonibus qui simul illic repositi

sunt, formaverit. Quod si horum nonnulli dicant Bryxin artificem fuisse, haud contendam : hunc quoque habes statuarium, eorum utri libet inscribe. Quinetiam Telesium Atheniensem, ut ait Philochorus, Neptuni et Amphitrites, quæ Teni adorantur, novemcubitales statuæ artificem agnoscunt. Demetrius autem in secundo Argolicorum, statuæ Junonis Tirynthiæ et materiam pyrum, et artificem scribit fuisse Argum. Multis vero mirabile fortasse videbitur, si didicerint Palladium, quod διοπετὲς appellatur, quia *cœlitus* sit *delapsum*, quod Diomedes quidem et Ulysses feruntur e Troja sublatum apud Demophoontem deposuisse, factum esse ex ossibus Pelopis, quemadmodum Olympium Jovem ex ossibus Indicæ belluæ: atqui Dionysium hujus rei auctorem in quinta Cycli parte afferre possum. Apellas vero in Delphicis duo fuisse Palladia narrat, quorum utrumque ab hominibus fabricatum est. Ne vero quis me existimet per ignorantiam præteriisse, hoc insuper adjiciam : quod Morychi Bacchi statua, quæ Athenis est, facta quidem ex Phellensi lapide, opus autem Simonis filii Eupalami fuerit, ut ex epistola quadam Polemonis cognoscimus. Alii præterea duo fuerunt statuarii ex Creta, nisi me fallit memoria, oriundi, quorum nomina erant Scyles, et Dipœnus; hi autem Dioscurorum signa Argis, Herculis autem statuam Tirynthe, et Munichiæ Dianæ simulacrum Sicyone fecerunt. Sed quid his immoror, cum magnum illum dæmonem, Sarapin Ægyptium, quem præ cæteris omnibus singulari quodam cultu et honore dignari universos homines scimus, quem humanis factum esse manibus negare haud verentur, quisnam fuerit monstrare possim? Nam a nonnullis quidem traditur, hoc simulacrum fuisse signum Plutonis, quód Sinopenses munere miserunt Ptolemæo Philadelpho Ægytiorum regi, qui gratiam ab ipsis inivisset maximam, quod cum fame laborarent, frumentum

ex Ægypto deportandum ad eos curasset: eum vero, statuam hanc ut accepisset, in promontorio quod nunc Racotim appellant, statuisse; ubi et fanum Sarapidis colitur, et prædium haud procul hinc ipsi consecratum est: demum Blistichim meretricem mortuam Canopi, Ptolemæum translatam hoc in fano sepelivisse. Aliis autem visum est Sarapin Ponticum esse simulacrum quod solemni pompa translatum ad Alexandriam memorant. Solus Isidorus auctor est, a Seleuciensibus, qui Antiochiæ finitimi sunt, traductum eo fuisse, cum hos etiam Ptolemæus frumenti penuria laborantes sustentasset. Eo autem, nescio quo modo, prolapsus est Athenodorus Sandonis filius, ut cum studeret Sarapidi vetustatem affingere, eum esse statuam arte factam arguerit: Sesostrim quippe ait, Ægyptiorum regem, cum plurimas Græcorum gentes subjugasset, reversum in Ægyptum permultos secum artifices eo duxisse. Osirin itaque proavum suum summo artificio jussit effingi: hoc autem operis tradidit *Bryaxi* artifici, haud ei quidem Atheniensi, sed cuidam cognomini, qui ad id perficiendum multiplici variaque materia usus est: habebat enim auri, et argenti, et æris, et ferri, et plumbi, et stanni denique, ramenta; nec Ægyptiorum lapidum ullus omnino deerat, nec sapphiri quidem vel hæmatitæ fragmenta, sicut nec smaragdi nec topazii. Hæc igitur omnia expolita prius et commixta cyaneo colore imbuit, unde simulacri hujus color ad nigrorem accedit: hisque demum universis pigmento, quod de funere Osiridis et Apis reliquum erat, conspersis, Sarapin effinxit: cujus ipsum nomen funeris communionem, et procreationem e sepultura innuit, quod, compositione Osiridis et Apis facta, dictum sit Osirapis. Novum item alium in Ægypto, atque in ipsa pene Græcia ad deum turbam cum eximia religione aggregavit Romanorum rex Antinoum, qui pulcherrimos inter numerandus erat, delicias amoresque suos,

quem ipse, quomodo Ganymeden antea Jupiter, consecravit. Nec enim[1] cupiditas ea modum facile tenere potest, quæ nullo metu coercetur. Itaque sacræ Antinoi noctes ab hominibus hodie cultu divino celebrantur, quarum turpitudinis sibi amator ipse conscius erat, qui simul cum puero vigilarat. Quid mihi refers inter deos, cui præmium stupri honores persolvuntur? cur autem eum jussisti lugeri tanquam filium? cur ejus pulchritudinem enarras? Turpis est pulchritudo quæ per contumeliam emarcuit. Ne tyrannidem exerceas, o homo, in pulchritudinem; ne probrum inferas florenti adolescenti: ipsam puram serva, ut sit pulchra. Pulchritudinis rex esto, non tyrannus. Liber maneat; sic tuam pulchritudinem agnoscam, quia puram servaveris imaginem. Sic veram adorabo pulchritudinem, quæ primigenium pulchrorum omnium exemplar est et forma. Nunc catamiti hujus sepulcrum, Antinoi templum et oppidum est. Enimvero simili, ut opinor, templa sepulcraque sunt in admiratione: Pyramides quippe, Mausolea, Labyrinthi, alia quædam sunt templa mortuorum, quemadmodum illa deorum sepulcra. Magistram vobis afferam fatidicam Sibyllam:

Non oracla quidem dantis mendacia Phœbi,
Quem dixere deum, quem falso nomine vatis
Vani appellarunt homines; sed numina veri
Magna Dei, quem non hominum manus ulla dolavit,
Signis consimilem mutis, saxoque politis.

Hæc quidem ruinas templorum prædicit, fore significans ut templum Ephesiæ Dianæ terræ motibus hiatibusque absorbeatur, his verbis:

At lacrymas Ephesus recubans ad littora fundet,
Et quod erit nusquam templum gemebunda requiret.

Fanum vero Isidis et Sarapidis in Ægypto solo æquandum, et incendio absumendum dicit:

[1] Vide D. Guillon, p. 382.

Isi, dea infelix, Nili remanebis ad amnem
Sola, carens et voce, furensque Acherontis arenis.

Deinde subjicit :

Tuque, Sarapi, sedens in saxis, multa dolebis,
Ægypto in misera cum magna ruina jacebis.

Tu vero, si minus ad vatem attendis, saltem tuo philosopho Heraclito Ephesio, dum exprobrat simulacris quod sensu careant, aures adverte : « Et hæc, inquit, simulacra precantur, perinde ac si quis ad ædes sermonem haberet. » An non enim sunt plane prodigiosi, qui lapides quos præ foribus statuunt, quasi vita atque vigore præditos colunt ? Adorant quippe Mercurium quasi deum, sicut etiam Aguiea, seu viæ præsidem, et simul præ foribus statuunt. Nam si eos, quod sensu careant, afficiunt contumelia, cur adorant ut deos ? quod si existimant eos esse sensus participes, cur præ foribus constituunt ? Romani autem, cum inceptorum suorum maximorum felicitatem Fortunæ acceptam referrent, et potentissimam deam esse existimarent, eam in latrina statuerunt, cloacam ipsi, haud indignum numine templum, consecrantes. At vero lapidi, et ligno, et diviti auro parum est curæ, seu nidor, seu sanguis, seu fumus, quo dum honoris causa fumigantur, fuliginem contrahunt; imo nec honor, nec contumelia. Sunt autem ejusmodi simulacra quovis animali viliora. Et quomodo, cum sensu careant, divinis affici honoribus cœperint, sæpe mirari subit, eorumque qui in hunc errorem inciderint, utpote summe infelicium, amentiæ misereri. Nam si quædam animalia non habent omnes sensus, ut vermes et erucæ, quæque naturæ suæ conditione a primo ortu imperfecta sunt, velut talpæ, et mus araneus, quem Nicander vocat « cæcumque, surdumque, » tamen his signis et simulacris, quæ sunt penitus stupida, multum præstant : quippe cum

uno saltem sensu prædita sint, auditu scilicet vel tactu, vel qui odoratui aut gustui respondeat, simulacra vero omni prorsus perceptione destituantur. Sunt autem multa animalia, quæ nec visum habent, nec auditum, nec vocem; cujusmodi est ostreorum genus : vivunt tamen, et augentur, et præterea una cum luna afficiuntur. Simulacra autem nihil prorsus agunt, nihil moliuntur, nihil sentiunt : sed alligantur, et clavis panguntur, et affiguntur, et conflantur, limantur, secantur, circumraduntur, cælantur. Ac stupidam sane insensilemque terram dedecorant statuarii, dum artificio suo naturam ejus immutant, eique divinos honores conciliant : quos mea quidem sententia non diis aut dæmonibus, sed, ex quibus constant simulacra, terræ et artificio persolvunt hi qui deos faciunt. Nam aliud certe nihil est simulacrum, quam inanima terra, cui artificis manus formam impressit. Apud nos autem haud quidem e sensili materia sensile simulacrum, sed quod sola mente percipitur, est Deus, qui solus vere Deus est. Ac rursus cum superstitiosi illi mortales qui lapides adorant, adversam fortunam passi, ex ipsa re didicerint quod materia sensus expers non sit divinis honoribus afficienda, ipsa necessitate et indigentia victi, metu falsæ religionis miseram sui jacturam patiuntur : et cum simulacra contemnant, ea tamen contemnere videri nolint, ipsorum deorum, quorum nominibus inscripta sunt, infortuniis et calamitatibus arguuntur. Nam Dionysius tyrannus junior, cum in Sicilia auream vestem Jovi detraxisset, jussit eum indui lanea, facete dicens, eam « esse aurea meliorem, ut quæ esset æstate » levior, et hieme calidior. » Antigonus autem Cyzicenus, cum egeret pecunia, Jovis auream statuam, quæ quindecim cubitorum erat, fundi jussit, et ex alia viliori materia statuam illi similem, laminis inauratam, ejus loco reponi. Quinetiam hirundines aliæque aves quamplurimæ advolan-

tes, alvos in ipsa simulacra exonerant, nulla ratione habita aut Olympii Jovis, aut Epidaurii Æsculapii, aut Minervæ Poliadis, aut Sarapidis Ægyptii : a quibus etiam ipsis vos necdum didicistis, simulacra esse sensu penitus destituta. Nonnunquam etiam a prædonum vel hostium manu irruptione facta, incensa templa, donaria direpta, ipsa etiam simulacra turpis lucri gratia liquata sunt. Quod si Cambyses aliquis, vel Darius, aliusve quispiam insanus hujusmodi facinus aliquod tentaverit, aut Ægyptium Apin occiderit : quod quidem ipsorum deum occiderit, risum mihi commovet; sin vero turpis lucri causa id patraverit, doleo et indignor. Hæc itaque scelera, quæ non minus hominum avaritiam, quam deorum imbecillitatem ostendunt, haud invitus oblivione tegam. Quinetiam ignis motusque terræ ea sunt astutia præditi, ut dæmones et simulacra non magis quam calculos qui littoribus maris a fluctibus accumulari solent, pertimescant aut revereantur. Satis mihi perspectum est, ignem eos arguere, et superstitioni remedium afferre posse. Ignis in lucem te deducet, si vis hac amentia liberari. Hic enim templum quod Argis erat, una cum sacerdote Chryside, combussit. Hic Ephesiæ Dianæ templum, quod post Amazonum tempora secundum erat; Romanorumque haud semel Capitolium depopulatus est. Idem a Sarapidis fano Alexandriæ non abstinuit; et Bacchi Eleutherei delubrum Athenis diruit. Apollinis autem Delphici ædem, primo quidem procella disjecit, dein vero sapiens ignis funditus delevit. Atque hæc tibi relata sunt, velut eorum præfatio quæ pollicetur ignis. Cur etiam ipsi statuarum artifices non inducunt vobis in animum, quotquot paulo cordatiores estis, inertem materiam contemnere? Phidias quidem Atheniensis, qui Olympii Jovis digito inscripsit : OMNES JUVANS PULCHER; minime quidem Jovem, sed amasium suum esse pulchrum significans. Praxi-

teles etiam, qui, ut auctor est Posidippus de Cnido scribens, cum Veneris simulacrum fabricaretur, Cratinæ, amicæ cuidam suæ, quam potuit simillimam effinxit, ut illi sane miseri Praxitelis amicam venerarentur. Phryne vero Thespiaca meretrix cum florebat, universi pictores ejus formam in simulacris Veneris exprimebant: quemadmodum etiam lapicidæ in Mercuriis Atheniensibus effingere Alcibiadem conabantur. Superest itaque, ut tu nunc judices, si velis, utrum fœdas meretrices adorare debeas. His autem, ut quidem videtur, moti sunt veteres reges, ut, contemptis ejusmodi fabulis, aperte atque palam, propterea quod nullum ab hominibus periculum impenderet, se deos renuntiarent: ea quippe ratione significabant, illos quoque gloria et dignitate sua immortalitatem esse consecutos. Ita Ceyx, filius Æoli, Jupiter ab uxore Alcyone nominatus est: sicut vicissim Alcyone, Juno a marito. Ptolemæus autem quartus, quemadmodum etiam Mithridates Ponticus, Bacchus vocabatur. Voluit autem Alexander filius videri Ammonis, et cornutus a statuariis effingi, humanam formam turpi cornu dedecorans. Non solum vero reges, sed privati etiam sibi deorum nomina arrogabant: ut Menecrates medicus, qui cognominatus est Jupiter. Quid porro opus est referre Alexarchum? Is, cum grammaticen professus fuisset, ut scribit Aristus Salaminius, sese in solem transformavit. Aut quid refert Nicagoræ meminisse? Erat ille Zelites genere, et Alexandri tempore florebat: « Mercurius appellabatur Nicagoras, et Mercurii amictu usus » est; » ut ipse testatur: cum integræ quoque gentes, urbesque frequentissimæ fœdissima adulatione fabulas quæ de diis narrantur, in ludibria vertant; dum homines semetipsos diis pares faciunt, vanaque gloria inflati, immodicos honores sibi decernunt. Jam enim Macedoni Pellæo Amyntæ filio Philippo, cui tibia et clavicula fractæ, oculus-

quo effossus erat, divinos honores Cynosargis tribuendos decernunt. Jam vero Demetrium etiam deum renuntiant, cui Athenienses, quo loco ab equo descendit cum Athenas ingrederetur, Demetrii *Descensoris* templum constituerunt: iidem aras illi quamplurimas, et Minervæ conjugium parabant. Hic autem interea, dea quidem contempta, cujus simulacrum haud potuit uxorem ducere, cum Lamia meretrice ascendit in arcem, qua cum in thalamo Minervæ congressus, seni virgini juvenis meretricis motus ostendit. Non est ergo Hipponi succensendum, qui mortem suam immortalitate donavit : etenim ille monumento suo elegiacum hoc carmen inscribi jussit :

Hic est Hipponis tumulus, quem immortalibus diis
Parem fecit Parca mortuum.

Præclare quidem, o Hippo, hominum errorem nobis ostendis. Et si tibi loquenti non crediderint, saltem mortui discipuli fiant. Hoc oraculum Hipponis est : id igitur perpendamus. Qui a vobis adorantur[1], cum prius homines fuerint, deinde mortem obierunt : affecit autem ipsos honore cum temporis diuturnitas, tum etiam fabularum licentia. Solent enim, nescio quomodo, ea quæ sunt præsentia, ipsa consuetudine in contemptum venire; quæ autem sunt præterita, quia propter obscuritatem temporis refelli haud facile possunt, ex fabularum commentis honorem consequi : et hæc quidem fidem nullam acquirere, illa vero haberi in admiratione. Proinde qui olim sunt mortui, longo tempore erroris se venditantes, a posteris dii esse existimantur. Quæ quidem ita esse fidem faciunt vestra mysteria, solemnes conventus, vincula etiam, et vulnera, et lacrymæ deorum :

Hei mihi! quod Sarpedonem, hominum carissimum,
Fatum est a Patroclo, Menœtii filio, vinci.

[1] Vide D. Guillon, p. 380.

Superata est Jovis voluntas, et ille victus ob Sarpedonem luctu afficitur. Merito igitur vos ipsi idola et dæmonas eos vocatis, cum et Minervam ipsam, et reliquos deos, qui eos improbe honoravit, Homerus dæmonas appellaverit:

> .... Illa autem ascendit Olympum,
> Ad domum Jovis ægidem tenentis, aliosque dæmonas.

Quomodo igitur[1] deorum adhuc numero haberi poterint simulacra et dæmones, immundi sane et abominandi spiritus, quos omnes fatentur esse terrenos, et lutulentos, qui degravantur suo pondere, et circa mortuorum monumenta atque sepulcra versantur? quibus etiam in locis umbrosa phantasmata obscure conspici solent. Hi itaque sunt dii vestri, simulacra, et umbræ; quibus addam *claudas* illas, *rugosas, strabisque oculis Litas,* Thersitæ pòtius dicendas quam Jovis filias. Unde non infacete interrogatum a Bione videtur, « quo tandem jure homines formosos liberos a Jove petérent, quos ipse sibi præbere non potuit? » O impietatem! naturam corruptionis immunem defoditis, quod sanctum intemeratumque est sepulcris obruitis, Deumque adeo ipsum, quoad a vobis fieri potest, vera sua natura spoliatis. Cur igitur Dei honores iis qui non sunt dii tribuistis? cur, cœlo relicto, terram coluistis? Quid est enim aliud aurum, vel argentum, vel adamas, vel ferrum, vel æs, vel ebur, vel pretiosi lapides? an non terra, et ex terra? Nonne hæc omnia, quocumque oculos vertis, ex eodem terræ, quasi communis parentis, gremio prodierunt? Cur igitur, o fatui et amentes! (juvat enim id repetere) terrestres vobis deos comminiscendo, in illas regiones quæ ultra supremum cœli spatium incoluntur, contumeliosi estis, omnemque pietatem humi deprimitis; et posthabito æterno ingenitoque Deo, quæ sunt facta et genita persequentes, in profundissi-

[1] Vide D. Guillon, p. 381.

mam caliginem incidistis? Pulcher quidem est Parius lapis; sed nondum est Neptunus. Pulchrum est ebur; sed nondum est Olympius. Materia semper indiget arte: Deus autem est nullius rei indigus. Prodiit ars: formam induit materia: cujus quidem substantiæ pretium est ad lucrum utile, sola vero forma venerationem ei conciliat. Itaque statua tua aurum est, lignum est, lapis est, terra denique est, si originem ejus persequare, quæ ab artifice formam accepit. Ego autem terram calcare didici, non adorare. Neque enim mihi fas unquam spem animæ meæ rebus inanimis credere. Quocirca ad simulacra quam proxime accedendum est: quam enim conjunctus, et quasi sociatus sit cum ipsis error, eorum aspectus facile convincet; solent enim speciem habitumque dæmonum clarissime exprimere. Itaque si quis statuas pictasque imagines perlustraverit, is sane ex turpibus eorum figuris deos vestros statim agnoscet: Bacchum quidem, ex amictu; Vulcanum, artis suæ insignibus; Cererem, calamitatis descriptione; Ino, vitta; Neptunum, tridente; Jovem, cycno. Rogus Herculem monstrat. Si quis nudæ mulieris imaginem conspexerit, ipsius animo aurea Venus statim observatur. Proinde Cyprius ille Pygmalion eburneæ statuæ, quæ nudam Venerem repræsentabat, amore arsit. Hunc itaque Cyprium statuæ forma captum, cum ea coivisse, auctor est Philostephanus: alteram porro Cnidi fuisse Venerem eximia pulchritudine effictam e lapide, cujus incensum amore quemdam alium cum lapide consuetudinem habuisse, scribit Posidippus; ille quidem libro quem de Cypro, hic autem in eo quem de Cnido conscripsit. Tanta inerat arti decipiendi potentia, ut libidinosos homines ejus fraudibus captos in barathrum illiceret. Quascumque autem vires ostentet hujusmodi ars, minime tamen eos fallere valet qui sunt ratione præditi, ejusque ex præscripto vivunt. Utcumque enim pingendi

arte columbæ fuerint adeo ad vivum expressæ, ut ad eas aliæ columbæ advolarint, imaginum similitudine deceptæ; et ad equarum imagines adhinniverint equi: utcumque puella quædam imaginis, et formosus juvenis Cnidiæ statuæ amore capti fuisse memorentur: tamen soli oculi spectantium eo artificio decepti sunt; neque enim aliquis unquam sanæ mentis aut cum dea congressus est, aut una cum mortua sese inhumavit, aut in dæmonis lapidisve amorem incidit. Vos autem ars aliis præterea fallaciis et præstigiis capit, quosque in amorem inducere non valet, ad cultum atque venerationem statuarum et imaginum impellit. Atqui similis est pictura. Laudetur ergo artificium: ne vero homini imponat, aut pro veritate se ingerat. Quiete constitit equus: columba minime perturbata est, nec pennas movit. Dædali quoque vacca e ligno efficta taurum agrestem cepit, et belluam illam artificio deceptam coegit insanientem amore mulierem inire. Ac tantum quidem furorem artes improbis artificiis amantium et fatuorum animis concitaverunt. Simias vero habere solent in admiratione qui eas curant nutriuntque, quod eas nec cereæ nec luteæ imagines, licet ornatu puellarum instructæ, unquam fallant. Numquid igitur vos simiis ipsis deteriores eritis, dum lapideis, et ligneis, et aureis, et eburneis simulacris atque picturis adhæretis? Tot sane perniciosorum ludibriorum opifices sunt lapicidæ, et statuarii, præterea pictores et fabri, atque poëtæ, a quibus ingens hujusmodi colluvies inducitur: in montibus quidem Satyri, et Panes; in sylvis autem, Nymphæ Oreades, et Hamadryades: præterea in aquis, fluviis et fontibus, Naides; et in mari, Nereides: Magi etiam, qui dæmonum ministerio se venditant, quippe qui eos in numerum famulorum suorum ascripserint, et necessitate quadam adactos carminibus suis servos fecerint. Præterea deorum nuptiæ, et procreationes liberorum, et puerperia, et adul-

teria, et convivia, et risus inter pocula, quæ a vestris auctoribus nullibi non perstringuntur, impellunt me, licet invitum et tacere cupientem, ut exclamem : O impietatem! Cœlum convertistis in scenam, sanctum Dei numen fabula vobis est, idque impositis dæmoniorum personis ludificamini, verumque ejus cultum vestra superstitione deridendum ab omnibus exponitis.

Cæterum ille, cithara ludens, incœpit pulchre canere.

Cane nobis [1], Homere, pulchram illam cantilenam :

Martis amorem, pulchreque coronatæ Veneris,
Ut primum commixti sunt Vulcani in domo
Clam : plurima autem dedit, lectumque deturpavit et cubile
Vulcani regis. . . .

Desine, quæso, cantilenam, Homere. Minime quidem pulchra est : docet enim adulterium; quo vel aures nostras inquinare religio est. Sumus enim nos, sumus qui in hoc spirante et movente simulacro, humano videlicet corpore, contubernalem nobis, consultricem, sociam, et consortem vitæ, quæque participat nostros affectus, et pro nobis commovetur, imaginem Dei circumferimus. Christi gratia Deo consecrati sumus. Nos « genus electum, regale sacerdotium, » gens sancta, populus quem sibi Deus ut proprium vendicat, qui quondam non populus, nunc autem populus » Dei [2] » sumus : qui, ut ait Joannes, non sumus *ex inferis* [3], sed ab eo *qui superne venit* [4] *omnia* didicimus [5] : qui Dei dispensationem cognitam atque perspectam habemus : qui, denique, ad id sumus exerciti, ut *in novitate vitæ ambulemus* [6]. Haud tamen eodem animo sunt affecti magna pars hominum, sed, metu omni atque pudore depositis, turpes

[1] Vide D. Guillon, p. 380.
[2] 1 Pet. II. 9, 10. — [3] Joan. Evang. VIII, 23. — [4] *Ibid.* III, 31. — [5] *Ibid.* IV, 25. — [6] Rom. VI, 4.

dæmonum in venerem pruritus domi suæ depingunt. Adeo enim [1] dediti sunt lasciviæ, ut pictis quibusdam tabellis e sublimi suspensis thalamos suos ornent, et impudicitiam pro pietate habeant. Quo fit, ut in cubili jacentes nudam illam Venerem, quæ in adulterio vinculis constricta dicitur, suos inter complexus respiciant. Quinetiam libidinosam illam avem Ledam circumvolantem in annulorum palis depingunt, utunturque sigillis quæ Jovis impudicitiam repræsentant; nec aliam ob causam hujusmodi picturas recipiunt, quam quod effœminatæ sint atque impuræ. Hæc sunt voluptariæ vestræ ac delicatæ vitæ exemplaria : hi vestri sermones, quibus petulantiam divino honore afficitis : hæ, denique, deorum qui una vobiscum stupro se ac libidini dedunt, doctrinæ. Nam *quod quilibet vult, hoc etiam credit,* ut ait orator Atheniensis. Cæterum reliquæ vestræ imagines cujusmodi tandem sunt? Panisci quidam, et nudæ puellæ, et ebrii Satyri, et erecta pudenda; quæ quidem, licet ob libidinem reprehendi mereantur, tamen in tabellis nuda depingi solent. Quinetiam universas impudicitiæ figuras aperte descriptas publicitus intueri haud erubescitis, sed suspensas eo diligentius asservatis; quippe qui velut deorum imagines, has impudicitiæ columnas domi consecretis; nec minus sollicite Philænidis motus, quam Herculis labores curetis depingendos. Quarum rerum non modo usum, sed etiam aspectum et auditionem esse jam penitus oblitteranda, et memoriæ eximenda annuntiamus. Scortatæ sunt aures vestræ, oculi quoque stuprum fecerunt, et quod magis inauditum est, ipsi vultus ante concubitum commiserunt adulterium. O qui humanæ naturæ vim intulistis, et quod in illa creatura divinitatis inest dedecori atque probro, veluti primitias quasdam, obtulistis! Prorsus increduli estis, ut affectibus vestris obsequamini; et simu-

[1] Vide D. Guillon, p. 382.

lacris quidem fidem habetis, quod eorum intemperantiam sequi vobis propositum sit : eam vero Deo negatis, quia moderate atque continenter vivere haud sustineatis. Quo factum est, ut quæ sunt præstantiora, odio; quæ vero deteriora, honore prosequamini : et spectatores quidem virtutis, vitii autem pugiles sitis. Quocirca *soli felices sunt,* ut ita dicam, *illi omnes, unanimi consensu,* ut Sibyllæ verbis utar,

> Qui sibi visa licet divorum templa negabunt,
> Surdorum et lapidum quæ sunt altaria sedes :
> Ex lapide et manibus simulacra effecta virorum,
> Cæsorum quæ sunt animato infecta cruore,
> Quadrupedum, bipedum, volucrumque, et cæde ferarum.

Nos enim clare prohibemur fallacem hanc artem exercere: (1) « Non facies *enim, inquit Propheta,* cujusvis rei similitudinem, eorum quæ sunt in cœlo, et quæ sunt in terra infra [1]. » Utrumne vero Praxitelis Cererem, et Proserpinam, et Iacchum mysticum, an potius Lysippi artem, vel Apellis manus, quæ materiam ea forma ornarunt, quæ existimationem divinitatis ei præbuit, deos esse putemus? Sed vos quidem in id omnem vestnam curam atque studium impenditis, ut statua fiat quam pulcherrima; parum interea solliciti, ne vosmetipsi similes statuis per stuporem efficiamini. Verum hanc consuetudinem dilucide admodum atque breviter refellit hoc dicto Propheta, « quod omnes dii gentium sint dæmoniorum simulacra; Deus autem cœlos fecerit, et ea quæ sunt in cœlo [2]. » Hinc autem arrepta, nescio quo modo, occasione, nonnulli eo sunt erroris prolapsi, ut divinum artificium, solem, lunam, reliquumque astrorum chorum, potius quam ipsum Deum, colerent; ea scilicet perabsurde deos existimantes, quæ nil aliud sunt quam instrumenta quædam quibus tempora describuntur: « Verbo enim ejus firmata sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eo-

[1] Exod. xx, 4. — [2] Psal. xcvi, 5.

» rum[1]. » Etenim humana ars et domicilia, et naves, et urbes, et picturas conficit; Dei autem opera qua ratione enumerem? Aspice hunc mundum universum[2]. Ille cœlum et solem creavit. Angeli et homines sunt *opera digitorum ipsius*. Quanta est autem Dei potentia, cujus sola voluntas est mundi creatio? Solus enim Deus mundum creavit, ut qui solus sit vere Deus : is autem opera sua volendo conficit, ejusque velle sequitur fieri. Hic autem aberravit philosophorum chorus a veritate, qui perpulchre quidem fatentur ad contemplationem cœli factum fuisse hominem, tamen quæ in cœlo apparent visuque percipiuntur adorant. Licet enim ea quæ sunt in cœlo non sint hominum artificia, at hominum tamen gratia condita fuerunt. Ne quis igitur[3] solem adoret, verum solis effectorem desideret : ne quis mundum reponat inter deos, verum mundi conditorem requirat. Quam ob rem ei qui ad portas salutis evadere cupit, unicum, ut videtur, perfugium relinquitur divina sapientia. Hinc, velut e sacrosancto quodam asylo, eum qui ad salutem contendit, nulla vis dæmonum abducere unquam poterit.

V. Quin, si libitum tibi sit, philosophorum opiniones, quas de diis jactitant, nunc persequamur : si forte contingat nobis, ut ipsam quoque philosophiam inveniamus vana de se persuasione materiam in simulacra deorum vertisse : vel si dum dæmonia quædam deorum nomine dignata est, eam tanquam in somnio veritatem vidisse, ostendere in transcursu possimus. Hi itaque elementa nobis reliquerunt principia : quorum Thales Milesius aquam celebravit : Anaximenes autem, Milesius et ipse, aërem : quem postea Diogenes Apolloniates secutus est. Parmenides vero Eleates deos introduxit ignem et aquam : quorum alterum, ignem,

[1] Psal. XXXIII, 6.

[2] Vide D. Guillon, p. 381. — [3] Vide D. Guillon, p. 382.

Hippasus etiam Metapontinus et Heraclitus Ephesius deum esse putarunt. Empedocles autem Agrigentinus, in multitudinem incidens, præter quatuor elementa, Contentionem et Amicitiam in numerum deorum cooptavit. Et hi quidem athei sunt, qui insipienti quadam sapientia materiam coluerunt; qui lapidibus quidem et lignis honorem deferre noluerunt, sed tamen terram, eorum matrem, retulerunt inter deos; qui Neptunum quidem non effingebant, sed aquam tamen ipsam coluerunt. Quid enim est Neptunus, nisi humida quædam substantia, quæ ἀπὸ τῆς πόσεως, sive *a potu*, dicta est Ποσειδῶν? Quemadmodum Mars ille bellicus ἀπὸ τῆς ἄρσεως καὶ ἀναιρέσεως, sive *ab insurgendo et interficiendo*, dictus est Ἄρης. Quam præcipue ob causam mihi videntur plurimi, defixo ense, ei quasi Marti sacra facere. Quem sane morem inter Scythas obtinere, auctor est Eudoxus in secunda parte Periodi. Sauromatas autem, Scythiæ gentem, acinacem colere, refert Icesius in opere de Mysteriis. Idem præterea Heraclito ejusque sectatoribus usu venit, qui ignem, quasi rerum universarum principium, adorant. Etenim hunc ignem alii nominarunt Vulcanum. Persarum autem Magi, multique ex his qui Asiam incolunt, et præterea Macedones, prout Diogenes in primo Persicorum scribit, igni divinos honores tribuunt. Quid Sauromatas referam, quos Nymphodorus in Moribus barbarorum narrat ignem venerari? Quid Persas, et Medos, et Magos? Hos enim sub dio rem divinam facere, eo quod existiment ignem et aquam sola deorum esse simulacra, ex Dione cognoscimus. Neque enim horum ignorantiam celaverim qui, licet se maxime existiment errorem effugisse, in aliam tamen fraudem delapsi sunt; nam, etsi neque cum Græcis ligna et lapides, neque cum Ægyptiis ibidas et ichneumonas, tamen cum philosophis ignem et aquam esse deorum simulacra putaverunt. Quin et aliquot postea sæculis eos

coluisse simulacra humana specie prædita, ostendit in tertio Chaldaicorum Berosus; eumque morem ab Artaxerxe, Darii filio, Ochi vero patre, introductum fuisse : etenim is primus statuam Veneris Tanaidis, quam Babylone, et Susis, et Ecbatanis posuisset, Persis, et Bactris, et Damasco, et Sardis exemplo suo præmonstravit esse colendam. Fateantur igitur philosophi se Persas, vel Sauromatas, vel Magos magistros habuisse, a quibus didicerunt rerum principiis divinum cultum impie decernere : atque inde, Deum, qui princeps, omniumque effector, ipsorumque principiorum conditor est, ipse principii expers, ignorantes, *egena hæc et infirma elementa*[1], ut ea vocat Apostolus, quæ ad usum hominum ministeriumque facta sunt, coluerunt. E reliquis autem philosophis qui, elementis præteritis, excelsius aliquid et præstantius indagarunt, alii quidem infinitum celebraverunt : ex quibus fuit Anaximander Milesius, et Anaxagoras Clazomenius, et Archelaüs Atheniensis, qui quidem ambo infinitati mentem præfecere. Leucippus autem Milesius et Metrodorus Chius, ipsi quoque, ut videtur, duplex principium reliquere, plenum et inane. Quæ duo mutuatus Democritus Abderitanus, tertium adjecit simulacra. Alcmæon vero Crotoniates astra, cum ea animata esse putaret, in deos retulit (nec enim horum tacebo impudentiam) : et Xenocrates Chalcedonius septem quidem deos esse planetas, octavum vero, qui ex istis omnibus constat, mundum innuit. Nec Stoicos vero prætermittam, qui cum asseverent divinum numen omnem, quantumvis vilem et abjectam, materiam pervadere, insignem sane notam dedecoris philosophiæ impresserunt. Nec vero molestum erit, ut arbitror, cum ad hunc locum pervenerim, meminisse etiam Peripateticorum. Cujus sectæ pater rerum omnium patrem ignorans, eum, qui *supremus* dicitur, animam esse universi

[1] Galat. IV, 9.

existimat : adeoque animam hujus mundi pro deo habens, ipse a se confoditur. Etenim manifesti erroris arguitur, qui, cum providentiam intra lunæ orbem definiat, tamen mundum esse deum statuit; ac proinde eum qui dei expers est, deum esse existimat. Eresius autem ille Theophrastus, Aristotelis discipulus, modo quidem cœlum, modo vero spiritum esse deum affirmat. Equidem Epicuri solius lubens obliviscar, qui cum Deum nihil prorsus curare existimet, per omnia quidem est impius. Quid vero Heraclides Ponticus? Ubique quidem is ad simulacra Democriti abripitur.

VI. Ingens præterea hujusmodi turba se mihi ingerit, inauditorum dæmoniorum velut terricula quædam introducens, quæ nil aliud sunt quam absurdæ fictæque ab auctoribus fabularum imagines, et aniles nugæ. Cujusmodi sermones tantum abest ut audiri a viris permittamus, ut ne vagientes quidem, prout dici solet, pueros fabellis lenire soleamus, ne forte cum ipsis connutriamus impietatem, quam hi profitentur, qui cum vere sint rudiores infantibus, tamen sibi videntur sapientes. Quid enim, per ego te veritatem oro, eos qui tibi crediderunt, corruptioni ac interitui gravi sane atque parum honesto, reddis obnoxios? Cur autem vitam imples simulacris, cum vel ventos, vel aërem, vel ignem, vel terram, vel lapides, vel ligna, vel ferrum, vel hunc mundum esse deos fingis; aut astrologiæ hujus vulgo jactatæ, potius quam astronomiæ ope ad cœlestia corpora tuam orationem convertens, ad homines qui sane errant, errantia sidera deos esse mentiris? Ego vero dominum spirituum desidero, dominum ignis, opificem mundi, quique soli lucem suam dedit : Deum requiro, non autem opera Dei. Quem vestrum habebo disquisitionis hujus adjutorem? Platonem quidem[1], si tibi videatur, haud penitus repudiamus. Quibus igitur argumentis, o Plato,

[1] Vide D. Guillon, p. 383.

Deum exquiremus? « Universi enim hujus patrem et effec-
» torem, et invenire difficile est; et cum inveneris, ut eum
» verbis enunties, prorsus impossibile. » Cur vero? quæso te per ipsum. « Enuntiari enim non potest. » Euge, o Plato, attigisti veritatem, tamen ne pigeat te laboris, sed una mecum suscipe boni inquisitionem. Universo enim generi humano, præcipue vero illis qui in studiis litterarum versati sunt, divina quædam semina sunt instillata : a quibus fateri vel inviti et reluctantes coguntur, quod unus sit Deus, interitus ortusque expers, qui supra nos in aliqua cœlestis planitiei religione, velut in propria specula, semper versetur.

Dic autem, qualem deum concipere debeam :
Qui cuncta cernit, ipse se cerni veta,

aït Euripides. Adeoque errasse mihi quidem Menander videtur, cum dixit :

Sol, nam deorum colere te primum decet,
Cujus beneficio alios spectamus deos.

Neque enim sol unquam verum Deum ostendet, sed verum Verbum, quod est animæ sol, per quem solum mentis nostræ oculus illustratur, ubi primum interiorem ejus recessum irradiavit. Haud abs re itaque dixit Democritus, « paucos
» admodum e litteratis hominibus esse, qui manus ad eum
» locum sustulerunt quem nos Græci aërem nunc vocamus.
» Jovem omnia fari : idem etiam omnia novit, omnia dat
» aufertque, omniumque rex est. » Similiter sentiens Plato, quodam in loco de Deo sic loquitur : « Circa regem omnium
» omnia sunt, estque ille causa bonorum omnium. » Quisnam igitur est rex omnium? Deus, rerum veritatis norma ac mensura. Quemadmodum igitur mensura comprehendit res demensas; sic etiam qui Deum animo suo concepit,

ipsam quoque veritatem metitur et comprehendit. Unde sanctissimus Moses, « Non erit, *inquit,* in tuo marsupio » statera et statera, magna vel parva : sed statera vera et » æqua erit tibi[1] : » Deum esse stateram, et mensuram, et numerum universorum existimans. Injusta enim et iniqua simulacra domi in marsupio, sive squalente, ut ita dicam, anima sunt abscondita. Unicus autem verus Deus, quem per unicam justam mensuram significat, semper æqualis eodemque modo se habens, omnia justitia sua, quasi trutina, metitur et ponderat, universam naturam velut in æquilibrio continens et sustinens. « Deus itaque, ut veteri quoque » verbo dicitur, principium, finem, atque media rerum om» nium continens; recta peragit, secundum naturam circum» iens. Eum vero justitia perpetuo sequitur, quæ de his » qui a divinis legibus desciscunt pœnas sumit. » Undenam, o Plato, hanc veritatis significationem edis? Undenam tibi est affluens illa verborum copia, qua cultum Deo debitum exponis? *His,* inquit, *sunt sapientiores barbarorum gentes?* Tuos ego magistros novi, licet eos celare velis. Geometriam didicisti ab Ægyptiis, astronomiam a Babyloniis; sanas incantationes a Thracibus accepisti. Multa etiam Assyrii te docuerunt. Leges autem, quotquot sunt rationi consentaneæ, et illa de Deo sententia, suppeditata tibi sunt ab Hebræis :

Qui nusquam vanis erroribus inducti, hominum opera
Ex ebore argentoque, ex auro denique et ære,
E saxis lignoque hominum simulacra peremptorum,
Horrent, et quæcumque alii, vanissima turba.
At contra puras tollunt ad sidera palmas,
Mane ubi membra levant strato, quæ virgine lympha
Perfundunt : unumque colunt, qui cuncta gubernant,
Usque immortalem. . . .

Nec unum modo Platonem, o Philosophia, sed alios etiam

[1] Deuteron. xxv, 13, 15.

quamplures in medium adducendos cures, qui præter unicum verum Deum, neminem Dei nomine dignantur, ipsius quidem spiritu, sicubi veritatem apprehenderint, inflati. Antisthenes enim haud id quidem cynicum dogma excogitavit, sed a Socrate, cui operam dabat, edoctus, « Deum » dixit esse nemini similem : quare nec ex imagine cognosci » a quopiam posse. » Quinetiam Xenophon Atheniensis partem aliquam veritatis libere satis atque aperte litteris prodidit, idem plane quod Socrates dicturus testimonium, nisi venenum Socratis timuisset : id tamen nihilominus innuit : « Qui omnia concutit, idemque tranquillat, *inquit*, eum et » magnum et potentem esse constat : qua vero specie sit, non » liquet. Ac ne sol ipse quidem, ut lucem quoquo versum » diffundere videatur, impune tamen sese videri patitur : si » quis enim in eum impudenter intueri conetur, visum amit- » tit. » Undenam igitur hæc didicit Grylli filius? Numquid ab Hebræorum scilicet prophetissa, quæ sic vaticinatur?

Quæ caro cœlestem poterit verumque tueri,
Humanæ sortis qui expers in vertice cœli
Est Deus? Adversos radios neque cernere solis
Mortales possunt homines, lucemque micantem.

Cleanthes autem Pisadeus, Stoicus philosophus, qui non poëticam theogoniam, sed veram theologiam exhibet, quid sentiret de Deo minime nos celavit :

Quidnam bonum sit me rogas, jam accipe :
Quod ordinatum est, integrum, sanctum, pium,
Suique compos, utile, decens, commodum,
Grave ac severum, quodque semper conferat,
Metu ac dolore majus, et molestia,
Salubre, jucundum, tutum, amicum,
Honoratum, sibi consentiens, clarum,
Modestum, sedulum, lene, potens;
Perenne, labis nescium, ac semper manens.

Illiberalis, quisquis intentus stupet
Opinionem, vel bonum ex illa petit.

Quibus sane verbis luculenter mihi docere videtur, qualis sit Deus; quodque consuetudo et communis opinio, eos qui ipsas sequi quam Deum quærere malunt, in miseram servitutem abducant. Nec vero prætereundus est Pythagoras, cujus hæc sunt verba: « Deus quidem est unus: nec is extra hunc rerum ordinem, sed in eo, totus in toto orbe, præses omnis generationis, universorum temperatio, qui semper est, suarum compositionum operumque omnium auctor, luminare cœli, et pater omnium, mens et vita totius orbis, omnium motus. » Atque hæc quidem, quæ ab illis afflatu Dei scripta, a nobis autem selecta sunt, ad agnitionem Dei suffecerint iis omnibus qui ad perspiciendam veritatem non sunt prorsus hebetes atque indociles.

VII. Accedat insuper ad nos (nec enim erimus sola philosophia contenti) poëtica quoque ipsa, quæ penitus dedita mendaciis, vix tandem aliquando veritati testimonium præbebit, seu potius suam ad fabulas digressionem Deo confitebitur. Accedat autem e poëtis, quicumque velit, primus. *Aratus* igitur Dei potentiam omnia pervadere existimat:

.... Ut omnia firma sint,
Hunc semper primum, postremumque propitiant:
Salve pater, hominibus magnum miraculum, magnum emo-
[lumentum.

Pariter etiam Ascræus Hesiodus Deum significat:

Ipse enim omnium rex et princeps est,
Nec immortalium alius quispiam hoc imperium possidet.

Quinetiam in scena veritatem aperiunt. Ibi enim: « In æthera et cœlum cum suspexeris, hunc tu Deum existimes, » ait Euripides. Sophilli vero filius Sophocles:

Unus profecto est, unus est tantum Deus,
Cœli solique machinam qui condidit,
Vadumque ponti cærulum, et vim spiritus.
At ducta cæco spiritu gens mortalium
Commenta cladis in suæ solatium est
Simulacra divum, facta saxo aut arbore,
Vel pondere auri, dente vel lucæ bovis.
His victimarum sanguinem, his festos dies
Cum dedicamus, ea religio creditur.

Sic quidem ille non sine gravi suo periculo veritatem in scena spectatoribus exhibuit. Thracius autem ille sacrorum interpres juxta ac poëta, Orpheus Œagri filius, cum sacra mysteria, totumque simulacrorum cultum et religionem, exposuisset, verso in contrarium sermone veritatem inducit, vereque sacrum, licet serius quam par erat, carmen canit :

Fas quibus est, narrabo : fores claudunto, profani :
Quisquis es, illustri Musæe sed edite Luna,
Audi, vera loquar, nec quæ olim visa fuere
Pectoribus, caræ te privent lumine vitæ :
Verbum ast aspiciens divinum, assistere nunquam
Huic cessa, mentemque tuam et cor dirige, recta
Atque via ingredere, mundi autem respice regem,
Solum immortalem. . . . .

Dein ulterius pergens, clare subjicit :

Ex se unus genitus, genita et sunt omnia ab uno :
Versaturque in eis ipse : ex mortalibus ullus
Nec videt hunc, contra sed cunctos aspicit ipse.

Sic quidem Orpheus : inque errore se versatum fuisse tandem intellexit.

Tu vero, mortalis vario consilio prædite, ne cuncteris diutius,
Sed retro versus, Deum fac tibi propitium.

Jam si Græci, qui quasdam divini Verbi quasi scintillas acceperunt, exiguam aliquam veritatis partem elocuti sint; hi quidem ejus non occultam attestantur, una tamen suam imbecillitatem arguunt, quia finem non attigerint. Hinc existimo [1] cuivis esse manifestum, quod perinde faciant qui sine Verbo veritatis aut agunt aliquid aut loquuntur, ac si quis conetur ingredi absque pedibus. Vos vero, ut salutem amplectamini saltem impellant deorum vestrorum notæ ac reprehensiones, quos poëtæ vi veritatis coacti perstringunt et insectantur. Menander enim comicus, in fabula quæ *Auriga* dicitur,

Mihi, *inquit,* placere non potest anuis comes
Deus ambulator, nec qui irrepit in domos
Tabulæ præsidio.

Id quippe faciebant qui Matri deorum stipem emendicabant, quibus Antisthenes haud abs re fertur respondisse : *Non alo matrem deorum, quam dii alunt.* Idem quoque comicus, suorum hominum consuetudinem ægre ferens, in ea quam *Sacerdotem* inscripsit fabula, hæc verba, quibus impiam erroris eorum arrogantiam refellit, acute satis atque prudenter eloquitur :

. . . Namque si quo vult Deum
Homo perductat creperis tintinnabulis;
Tantum qui pollet, ipse jam major Deo est.
Sed ista sunt commenta confidentiæ,
Et impudentis ingenii molimina.

Neque vero solus Menander, sed etiam Homerus, et Euripides, aliique poëtæ permulti, deos vestros coarguunt, nec tantillum verentur maledictis eos proscindere. Etenim Minervam, *cynomyiam*, et Vulcanum *utroque pede claudum* appellant. Helena autem Venerem sic alloquitur :

[1] Vide D. Guillon, p. 384.

Neque tuis pedibus posthac revertaris ad Olympum.

De Baccho autem palam et aperte dicit Homerus :

Et qui nutrices Bacchi quandoque furentis
In dium immisit Dionysum, quæ simul omnes
Thyrsum jecerunt, sævo impellente Lycurgo.

Socratica sane schola dignum se præstat Euripides, qui respiciens ad veritatem, spectatores suos despicit ac contemnit. Modo enim Apollinem,

. . . . qui sedem media in terra
Inhabitans, tribuit hominibus certissima oracula,

coarguit :

Huic parens interfeci matrem;
Illum ducite pollutum, et interficite :
Ille peccavit, non ego,
Quid sit justum atque honestum minus callens.

Modo autem Herculem inducit *furiosum*, et *ebrium* alibi, et *inexplebilem*. Quidni enim? cum exceptus hospitio post carnem « comederet virides ficus, absurda *quædam* latrans, » quæ vel barbarus notabat. » Jam in fabula quæ *Ion* inscribitur, deos nudo capite in theatrum volvit :

At nonne iniquum est, vos, suas leges quibus
Gens debet hominum, nulla lege vivere?
Si, quod futurum non erit, dicam tamen,
Hominibus æquo stupra lueretis modo
Neptunus, et tu, rexque supremus poli,
Vacuarct omnes mulcta templorum deos.

VIII. Cæterum tempus jam est, cum cætera sint a nobis ordine suo prius percursa et tractata, ad Prophetarum scripturas procedere. Horum enim responsis, quæ rationem colendi Deum admodum manifeste nobis exhibent,

undata est veritas. Divinæ autem Scripturæ, sapientesque institutiones compendio ducunt ad salutem : expertesque omni fuco, et externis verborum ornamentis, blanditiis atque illecebris, hominem vitiis plane suffocatum suscitant, dum ancipites hujus vitæ casus contemnere docent, unaque et eadem voce diversos affectus curant, cohortantes quidem a periculosa fraude, clare autem ad consequendam illam, quæ nobis posita est ante oculos, salutem adhortantes. Propterea prima nobis Sibylla vates salutare canticum accinat :

Undique clarescit, nulloque errore vagatur :
Credite dum luci, tenebrasque relinquite noctis :
Solis adest jucunda dies, micat inclyta lampas :
Ergo agite, atque animis vigeat sapientia vestris :
Unicus est Deus, imbriferos qui decutit Euros,
Fulmina, pestes, atque fames, et tristia cuncta,
Et glaciem, atque nives. Quid opus, tibi singula dicam?
Est cœli princeps, dominus terræ, is quoque vere est.

Ubi divine admodum fraudem tenebris, Dei vero cognitionem soli atque luci assimilavit; et facta comparatione, utrum ex illis eligendum sit edocet. Nec enim falsum nuda propositione veri dissipatur, sed usu veritatis rejicitur atque fugatur. Cæterum sapientissimus propheta Jeremias, seu potius sanctus in eo Spiritus, Deum ostendit : « Deus appro» pinquans ego sum, *inquit*, et non Deus procul. Si fecerit » homo aliquid in occulto, et ego non videbo ipsum? An » non cœlum et terram ego impleo? dicit Dominus[1]. » Rursus autem per Esaiam, « Quis metietur, *ait*, cœlum palmo, » et terram omnem pugillo[2]? » Considera Dei magnitudinem, et obstupesce. Hunc nos veneremur de quo dicit propheta : « A facie tua montes liquescent, sicut a facie » ignis liquescit cera[3]. » Is, inquit, est Deus, cujus « cœ-

[1] Jerem. XXIII, 23, 24.—[2] Isai. XL, 12.—[3] *Ibid.* LXIV, 1, 2.

» lum est thronus, terra autem scabellum pedum ejus. » *Qui*, si cœlum aperuerit, terror te apprehendet[1]. » Quin, de simulacris etiam visne audire quid dicat hic propheta? « Traducentur coram sole, et erunt eorum morticinæ, » escæ volucribus cœli et bestiis terræ; et putrefient a sole » et luna, quæ ipsi amaverunt, et quibus ipsi servierunt; et » civitas eorum incendetur[2]. » Dicit autem fore ut etiam elementa et mundus cum ipsis pereant : « Terra, *inquit*, » veterascet, et cœlum præteribit, verbum autem Dei ma- » net in æternum: » Quid vero, cum Deus rursus se ostendere per Mosen velit? « Videte, videte, quod ego sum, et » non est alius Deus præter me. Ego occidam, et videre fa- » ciam, percutiam, et ego medebor; et non est qui eripiet » e meis manibus[3]. » Placetne vero alium quoque vatem audire? universum Prophetarum chorum cum Mose concinentem habes. Quid illis dicit sanctus Spiritus per Oseam (Amos) Prophetam, haud gravabor enuntiare : « Ecce ego » firmans tonitru, et creans spiritum : cujus manus cœli quo- » que fundarunt militiam[4]. » Atque iterum per Esaiam : nam et hoc quoque dictum commemorabo tibi : « Ego sum, ego » sum, inquit, Dominus, qui loquor justitiam, et annuntio » veritatem. Congregamini, et venite; simul consultate, » qui servamini e gentibus. Non cognoverunt, qui tollunt » lignum, sculpturam eorum; et deos orantes, qui eos non » servabunt[5]. » Deinde paulo inferius : « Ego, *inquit*, Deus, » et non est præter me justus, et servator : non est excepto » me. Convertimini ad me, et salvi eritis, qui estis ex fini- » bus terræ. Ego sum Deus, et non est alius, per meipsum » juro[6]. » Et simulacrorum cultoribus iratus, ait : « Cui as- » similastis Dominum, aut cui similitudini assimilastis ip- » sum? Num imaginem fecit faber, aut aurifex auro fuso

[1] Isai. LXVI, 1.—[2] Jerem. VIII, 2; XXXIV, 20; IV, 26.—[3] Deuterom. XXXII, 39.—[4] Amos IV, 13.—[5] Isaiæ XLV, 19, 20.—[6] *Ibid.* 21, 22, 23.

» ipsum auro illivit[1] ? » et quæ deinceps inde sequuntur. Quocirca ne vosmet posthac simulacrorum cultui addicatis, sed nunc saltem cavete has minas : « Ejulabunt enim » sculptilia, et quæ manu fácta sunt[2], » vel hi potius quibus in istis est fiducia; est enim materia sensus expers. Quinetiam Dominus, inquit, « concutiet urbes quæ habi» tantur, et manu comprehendet universum orbem terræ, » velut nidum[3]. » Quid vero mysteria tibi atque dicta sapientiæ e sapientissimo Hebræorum puero annuntiem? « Do» minus creavit me initium viarum suarum ad opera sua[4]. » Et : « Dominus dat sapientiam, et a facie ejus cognitio et » intelligentia[5]. Quousque, piger, jaces? quando autem ex » somno excitaberis[6] ? sin autem fueris impiger, veniet tan» quam fons messis tua[7], » Verbum paternum, « bonus lych» nus, Dominus qui inducit lucem, fidem omnibus, et sa» lutem[8]. Dominus *enim* qui fecit terram in virtute sua, *ut* » *ait Jeremias*, erexit orbem terræ in sapientia sua[9]. » Etenim[10] *nos*, qui ad simulacra procideramus, sapientia, quæ ejus est Verbum, erigit ad veritatem : quæ prima est a lapsu resurrectio. Hinc, ut nos a cultu simulacrorum penitus averteret, pulcherrime clamavit Moses : « Audi, Israel : Do» minus Deus tuus, Deus unus est[11]. » Et : « Dominum Deum » tuum adorabis, et ei soli servies[12]. » Quocirca tandem aliquando intelligite, homines, a Davide, beato illo psalmorum auctore, admoniti : « Apprehendite disciplinam, ne » aliquando irascatur Dominus, et pereatis de via justa, » quando exarserit velociter furor ejus. Beati omnes qui » confidunt in ipso[13]. » Jam vero singulari nos misericordia complectens Dominus, salutare nobis canticum, quasi modos ad quos prælia ineuntur, dedit : « Filii hominum, us-

[1] Isai. XL, 18, 19. — [2] *Ibid.* X, 10, 11. — [3] *Ibid.* 14. — [4] Proverb. VIII, 22. — [5] *Ibid.* II, 6. — [6] *Ibid.* VI, 9. — [7] *Ibid.* 10. — [8] *Ibid.* 20, 22, 23. — [9] Jer. X, 12.
[10] Vide D. Guillon, p. 384.
[11] Deuteron. VI, 4. — [12] *Ibid.* VI, 13; X, 20. — [13] Psal. II, 12.

» quequo gravi eritis corde? Quare diligitis vanitatem, et quæ-
» ritis mendacium[1]?» Quænam igitur ea *vanitas*, quodnam est *mendacium?* Id tibi exponet sanctus Domini Apostolus, quo loco Græcos reprehendit, « quod, cum Deum cogno-
» vissent, non sicut Deum glorificaverunt, neque gratias ei
» egerunt : sed vani facti sunt in cogitationibus suis, et mu-
» taverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem
» imaginis corruptibilis hominis, et servierunt creaturæ po-
» tius quam creatori[2].» Quandoquidem igitur hic *Deus* est is qui *in principio fecit cœlum et terram*[3], tu autem Deum non habens cognitum, divino cultu et honore cœlum dignaris, quæ te excusatio ab impietatis crimine defendet? Attende iterum prophetam dicentem : « Deficiet quidem
» sol, et cœlum obscurabitur, splendebit autem omnipotens
» in æternum, et concutientur cœlorum virtutes, et cœli
» convolventur ut pellis extensi et contracti (etenim hæc
» sunt prophetarum verba), et terra fugiet a facie Domini.»

IX. Possem etiam alias tibi Scripturas afferre pene innumerabiles, quarum ne *apex quidem unus præteribit*[4], qui non perficiatur. Spiritus enim sanctus, qui Domini quasi os est, ea est elocutus. « Noli ergo amplius, *inquit*, fili, ne-
» gligere castigationem Domini, neque deficias, cum ab eo
» argueris[5].» O admirabilem erga homines amorem[6]! Non se quemadmodum magister adversus discipulos gerit, nec quemadmodum dominus adversus servos, nec quemadmodum Deus adversus homines sed *tanquam pater* filios *mitissime* admonet. Deinde fatetur quidem Moses se *exterritum ac tremebundum fuisse*[7], cum de Verbo audiret. Tu autem ipsum Verbum audiens, nihil times? nihil admodum commoveris? Nonne simul et ipsum revereris, et ex

[1] Psal. IV, 2.— [2] Rom. I, 21, 23, 25.— [3] Gen. I, 1.— [4] Matth. V, 18. Luc. XVI, 17. — [5] Proverb. III, 13. Hebr. XII, 5.

[6] Vide D. Guillon, p. 384.

[7] Hebr. XII, 21.

eo discere festinas; hoc est festinas ad salutem, iram quidem timens, gratiam diligens, spem vero propositam sequens, ut declines judicium? Venite, venite, mei juvenes, nisi enim *efficiamini rursus pueri* et *regeneremini*[1], ut ait Scriptura, neque verum patrem recipere, « neque in regnum cœlorum ingredi » unquam poteritis. Peregrino enim ingredi qua tandem ratione permitti potest? Is tamen, ut ego quidem existimo, cum fuerit inscriptus, et civitate donatus, patremque acceperit, tunc in sui patris domo manebit, tunc hæres instituetur, tunc ingenuo ejus *dilectoque filio*[2] paterni regni socius atque particeps erit. Hæc enim est *primogenita Ecclesia*[3], quæ ex multis bonis *pueris* constat. Hi sunt *primogeniti, qui conscripti sunt in cœlis*, et una cum tot *angelorum myriadibus dies festos concelebrant*. Primogeniti autem nos filii, qui sumus Dei alumni, et primogeniti ejus germani amici; qui primi ex omnibus hominibus Deum agnovimus, primi a peccatis liberati, primi a consortio diaboli separati sumus. Jam vero tanto magis impii sunt nonnulli, quanto benignior est Deus ac humanior. Etenim cum Deus[4] nos ex servis filios fieri voluit, hi in numerum ejus filiorum assumi fastidiunt. O incredibilem amentiam! pudetne vos Domini? Is quidem libertatem pollicetur, vos autem aufugitis in servitutem. Is salutem largitur, vosque in perniciem vestram ruitis. Is æternam salutem donat, et vos *supplicium* expectatis, et eum præstolamini *ignem quem paravit* Dominus *diabolo et angelis ejus*[5]. Propterea beatus Apostolus, « Obtestor, » *inquit*, per Dominum, ne amplius ambuletis sicut et gen» tes ambulant in vanitate mentis suæ, obtenebratum ha» bentes intellectum, et abalienati a vita Dei propter igno-

[1] Matth. XVIII, 3. Luc. XVIII, 17. Joan. III, 5. — [2] Matth. III, 17. — [3] Hebr. XII, 22, 23.
[4] Vide D. Guillon, p. 384.
[5] Matth. XXV, 41, 46.

» rantiam, quæ est in ipsis ex obduratione cordis ipsorum. » Qui, cum dedoluerant, semetipsos dediderunt protervia » ad operandam omnem impuritatem et avaritiam[1]. » Cum autem ejusmodi testis hominum amentiam, invocato Dei nomine, arguerit, num quid aliud restat incredulis, quam judicium et condemnatio? Nec vero curam eorum deponit Dominus, sed instat ipsis assidue hortando, perterrefaciendo, impellendo, excitando, admonendo : et hos quidem qui erroribus fuerunt impliciti, expergefactos e mediis tenebris excitat. « Expergiscere, inquit, qui dormis, et surge a » mortuis, et illucescet tibi Christus Dominus[2], » ille sol resurrectionis, « qui ante Luciferum genitus est[3], » suisque radiis vitam præbuit. Ne quis itaque spernat Verbum ac nihili faciat, ne forte semetipsum imprudens contempsisse reperiatur. Dicit enim alicubi Scriptura : « Hodie si vocem » ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in » exacerbatione in die tentationis in deserto, ubi tentave» runt me patres vestri in probatione[4]. » Quænam autem est illa *probatio?* Si cupis discere, sanctus tibi Spiritus explicabit : « Et viderunt, inquit, opera mea quadraginta annis. » Quare infensus fui generationi huic, et dixi, Semper er» rant corde; ipsi vero non cognoverunt vias meas. Itaque » juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam[5]. » En minas! en exhortationem! en pœnam! Cur igitur etiamnum iratum nobis Deum ex clementi et benefico facimus? cur non aures nostras Verbo patefacimus, Deumque hospitem puris et intaminatis animabus excipimus? Ejus enim promissio immensæ sane gratiæ ac beneficii loco erit, « si hodie » vocem ejus audierimus : » cæterum illud hodie in dies augetur, quamdiu hodie nominatur. Usque enim ad consummationem rerum ultimam et *hodiernus* dies, et discendi

[1] Ephes. IV, 17, 18, 19. — [2] *Ibid.* V, 14. — [3] Psal. CIX, 4. — [4] Psal. XCV, 7, 8, 9. — [5] *Ibid.* 9, 10, 11.

tempus permanet. Exinde verum illud hodie, Dei scilicet dies nunquam defecturus, in omnia usque sæcula extenditur. Quocirca *voci* divini Verbi semper *pareamus*[1] *:* nam *hodie* illud significat æternitatem : dies vero lucem notat : *lux* autem *hominum*[2] est Verbum, cujus ope Deum videmus. Merito igitur his qui crediderunt, et morigeri fuerunt, *superabundabit gratia*[3] *:* incredulis autem et contumacibus, qui « errant corde, et non cognoverunt vias[4] » *Domini, quas Joannes* rectas facere[5] *jussit, infensus est,* » *et* minatur *Deus.* » Cujus quidem minationis finis veteribus illis Hebræis, qui errabant in deserto, ænigmate quodam erat significatus : dicuntur enim « non fuisse » in requiem ingressi propter incredulitatem[6], » antequam Mosis successorem secuti, sero tandem ipso usu forent edocti, se non posse aliter salvos fieri, quam si Jesu crediderint. *Dominus* autem, cum sit humani generis amantissimus, *Paracletum* mittit, qui *omnes homines hortetur ad agnoscendam veritatem*[7]. Quænam est igitur ea agnitio? *pietas* erga Deum. *At pietas ad omnia utilis est,* dicente Paulo, *ut quæ promissionem habeat vitæ præsentis ac futuræ*[8]. Si æterna vita venum exponeretur, quanti vos, o homines, eam empturos promitteretis? Ne si Pactolum quidem, qui totus aureo, ut est in fabulis, decurrit flumine, quis dederit, pro salute justum pretium numeraverit. Quamobrem ne vos animus deficiat. Licet vobis, si videtur, hanc pretiosissimam salutem propriis vestris thesauris, charitate, vivaque fide, quæ merces haud injusta reputatur, emere. Hoc pretium Deus lubenter accipit : « Speravimus enim in Deo vivo, qui est servator omnium » hominum, præcipue *vero* fidelium[9]. » Cæteri autem mundo,

[1] Joan. x, 3, 16. — [2] *Ibid.* I, 9. — [3] I Tim. I, 14. — [4] Psal. xcv, 10. — [5] Matth. III, 3. — [6] Hebr. III, 18, 19. — [7] I Tim. II, 4. — [8] *Ibid.* IV, 8. — [9] *Ibid.* IV, 10.

velut alga marinis rupibus, circumnati, immortalitatem spernunt : quemadmodum Ithacensis ille senex, haud quidem veræ cœlestisque patriæ, aut veræ lucis, sed *fumi desiderio* flagrabat. Pietas autem, ut hominem Deo, quoad potest, assimilet, idoneum ipsi magistrum Deum ascribit, qui solus hominem, prout est dignum, Deo similem efficere valet. Quam doctrinam cum Apostolus vere divinam esse sciat : « Tu autem, *inquit*, o Timothæe, a puero sacras litteras novisti, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem, per fidem quæ est in Christo[1] : » fieri enim nequit, ut illæ *litteræ* non sint *sacræ*, quæ non modo sanctos, sed etiam divinos faciunt. Unde *Scripturas* etiam illas, seu volumina quæ ex his *litteris* syllabisque *sacris* constant, Apostolus appellat « divinitus inspiratas, *ut quæ essent* utiles » ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne » opus bonum instructus[2]. » Neminem certe aliorum sanctorum hortationes perinde commovebunt ac ipse Dominus, qui genus humanum tantopere dilexit. Is enim aliud nihil agitat, nihil molitur, nisi ut homines sint salvi ac incolumes. Quocirca urget eos ac impellit ad salutem, clamans : *Appropinquavit regnum cœlorum*[3]. Qua voce attentos sibi homines eos facit qui paulo timidiores erant. Apostolus itidem Domini cohortans Macedonas, divinam vocem interpretatur : « Appropinquavit Dominus, *inquit ;* cavete » ne deprehendamur vacui[4]. » Vos autem adeone estis metu vacui, adeone potius increduli, ut nec ipsi Domino, nedum Paulo, ne quidem cum *pro Christo obsecrat*[5], fidem habentes, *gustetis ac videatis*[6] Christum esse Deum? Fides vos introducet, experientia docebit, Scriptura instituet, « Venite, *dicens*, o filii, audite me, timorem Domini do-

[1] 2 Tim. III, 14, 15. — [2] *Ibid.* 16, 17. — [3] Matth. IV, 17. — [4] Philip. IV, 5. — [5] 2 Cor. V, 20. — [6] Psal. XXXIV, 8.

» cebo vos [1]. » Deinde quasi jam fide imbutis breviter subjicit : « Quis est homo qui vult vitam, qui diligit videre » dies bonos [2] ? » Nos, inquiemus, tales sumus, qui bonum colimus, bonosque sectamur. Audite igitur, qui *procul*; audite, qui *prope* estis [3]. Verbum a nemine unquam celatum fuit, sed, quasi publica lux, illucet *omnibus hominibus* [4], et quod ad ipsum nemo est Cimmerius. Properemus consequi salutem renascendo. Properemus, ad exemplum unitatis unicæ naturæ, uno multi amore conjungi et coalescere : bonæque monadis videndæ studio incensi, qui ejus bonitatis participes sumus, unitatem pariter sequamur. Multorum enim in unum concursus, in divinam quamdam concordiam a variis ac discordibus vocibus redacta, unum concentum efficit, eumdemque chori ducem et magistrum sequitur, et in eadem requiescens veritate, *dicit, Abba pater* [5]. Hanc Deus germanum filiorum suorum vocem, quam primam ei offerre solent, amplectitur.

X. At vero, inquitis [6], evertere consuetudines a majoribus nobis traditas, rationi minime consentaneum est. Proinde cur non lacte etiam utimur, tanquam primo alimento cui nutrices nostræ, statim ac fuimus in lucem editi, nos assuefecerunt? cur augemus patrum facultates, vel minuimus; nec eumdem eum modum quem illi nobis reliquere, deinceps perpetuo servamus? cur nec in sinus patrum cibos nostros regerimus, nec etiam alia adhuc facimus quibus olim, cum parvuli essemus et a matribus aleremur, risum commovimus; sed nosmetipsos, etiam nullo præcipiente magistro, corrigimus et emendamus? Quod si in affectibus excessus, etsi sint admodum periculosi et exitiales, tamen aliqua nos voluptate afficiunt : cur non etiam in vita, ex hac

[1] Psal. XXXIV, 11. — [2] *Ibid.* 12. — [3] Esther. IX, 20. Dan. IX, 7. Ephes. II, 17. — [4] Joan. I, 9. — [5] Marc. XIV, 36. Rom. VIII, 15.
[6] Vide D. Guillon, p. 385 et seq.

flagitiosa, perturbata affectibus atque impia consuetudine, ad veritatem, patribus licet ringentibus, deflectemus; et rejecta, tanquam mortifero veneno, consuetudine, verum patrem quæremus? Nam a nobis quidem nihil pulchrius aut præclarius suscipi potest, quam si vobis ostenderimus hanc insanam ac plane miserrimam consuetudinem esse veræ pietati inimicissimam. Nec enim aut odio haberi, aut omnino repudiari potuit tam eximium beneficium, quo Deus nihil unquam majus humano generi tribuit, nisi consuetudine abrepti, obturatis deinde auribus, tanquam contumaces equi detrectantes habenas et frænos mordentes, rationes fugeretis, vitæ vestræ nos magistros et aurigas excutere cupientes; et amentia vestra præcipites in exitium acti, sanctum Dei Verbum existimaretis execrandum esse ac detestabile. Quamobrem vos electionis vestræ præmia sequuntur, ut ait Sophocles,

Mens vana, aures inutiles, cogitationes irritæ.

Et nescitis veris omnibus hoc esse verius, quod boni piique homines, eo quod bonum coluerunt, bonam mercedem consequentur; qui autem contra sunt mali, meritam pœnam. Quinetiam ipsi sceleris principi imminet supplicium: proinde ei minatur Zacharias: « Increpabit te, qui elegit Hie» rusalem. Nonne ecce hoc est ut torris evulsus ex igne[1]? » Quænam igitur insita est in animis hominum voluntariæ mortis appetitio? Cur ad hunc mortiferum *torrem*, quocum necesse est eos una comburi, confugerunt, cum integrum ipsis fuerit, honeste ex Dei præcepto, non autem ex consuetudine vivere? Nam Deus quidem vitam largitur: prava autem consuetudo, postquam excesserint hac vita, seram illis affert inter supplicia pœnitentiam. « Passus autem vel » stultus didicit, » quod superstitio quidem exitium et in-

[1] Zachar. III, 2.

teritum, pietas vero salutem afferat. Conspiciuntur sæpenumero, qui simulacris se addixerunt, coma quidem sordida et inculta, vestibus laceratis et squalore obsitis deformati, lavationibus prorsus abstinentes, unguibus in immanem longitudinem excrescentibus plane efferati, quamplurimi etiam virilitatem execti, qui re quidem ipsa satis ostendunt, sepulcra quædam mortuorum aut carceres fuisse simulacrorum templa. Hi sane mihi lugere deos, non colere videntur : ut qui ea patiantur quæ misericordia potius digna sunt, quam pietate. Vos autem etiamne estis cæci, nec ad omnium rerum Herum et totius universitatis Dominum oculos attollere curatis? An non ex his carceribus elabi, et ad misericordiam e cœlo demissam confugere vobis in animo est? Deus enim hominem, perinde ac mater ad pullum e nido excidentem advolans, pro sua singulari in eum benevolentia sustentat : quod si serpens aliquis pullo inhiet, *mater circumvolat carissimos natos deflens :* Deus vero pater figmentum suum quærit, et lapsum curat, et feram abigit, et pullum recuperans, ut subvolet in nidum hortatur. Cæterum canes, cum aberraverunt, sagaci nare dominum persequi et indagare solent. Quinetiam equi excusso insessore, vel uno sibilo edito, domino suo paruerunt. « Novit autem, *inquit*, bos possessorem suum, et asini præ» sepe domini sui : Israel autem me non novit[1]. » Quid ergo Dominus? Obliviscitur tantæ injuriæ, etiamnum miseretur, etiamnum exposcit pœnitentiam. Jam vero quærere ex vobis velim, ecquidnam vobis videatur absurdius, quam ut vos, qui a Deo facti estis, qui animas vestras illi debetis acceptas, et toti, denique, quanticumque forte estis, ejus estis, alii cuipiam domino serviatis; præterea ut pro rege tyrannum, pro bono pessimum colatis? Quis enim, o per veritatem, cui sana mens inest, bono derelicto, malitiæ

[1] Isai. 1, 3.

adhæret? quis Deum fugiet, ut dæmoniorum convictu fruatur? quis, cum Dei filiis annumerari liceat, servitutem ducit potiorem? aut quis in Erebum recipi contendit, cum cœli civis esse possit; cum ei liceat paradisum colere, et cœlos circuire, vitalisque et perennis esse fontis particeps, *lucidam* illam *nubem* per aera sequenti, et salutarem pluviam, velut olim Elias, contemplanti? Cæteri autem, instar vermium, in paludibus ac cœno, voluptatis nempe fluentis, volutantes, stultis ac inutilibus pascuntur deliciis, porcini plane homines. « Solent enim porci, ut aiunt, cœno potius » quam puriore aqua delectari, » et, quod a Democrito dictum accepimus, « fœdas colluviones insane concupiscunt. » Nequaquam igitur nos mancipari sinamus, aut porcis effici similes, sed tanquam germani *lucis filii*[1], sursum oculos attollamus adversus lucem, ne quemadmodum sol aquilas, ita nos Dominus adulterinos arguat. Agamus ergo pœnitentiam et ab ignoratione transeamus ad scientiam, ab imprudentia ad prudentiam, ab intemperantia ad temperantiam, ab injustitia ad justitiam, ab impietate ad Deum. Pulchrum est periculum ad Deum transfugere[2]. Nam cum alia bona permulta proposita nobis sint, qui justitiam colimus, vitamque æternam persequimur; tum ea vero præcipue, quæ Deus ipse per Esaiam significavit: *Constat cultoribus Domini hæreditas*[3]: perpulchra sane et amabilis hæreditas, non aurum, non argentum, non vestis, quam « tinea[4]; nec res terrenæ, quas » latro » subit, humilium abjectarumque divitiarum amore captus : verum *thesaurus* ille salutis, ad quem nos oportet contendere, Verbi amatores factos. Hinc autem una migrant bona ac præclara opera, pennisque veritatis nobiscum simul evolant. Hanc nobis hæreditatem, æternum sane do-

[1] Ephes. v, 8.
[2] Vide D. Guillon, p. 386.
[3] Isaiæ LIV, 17. — [4] Matth. VI, 19, 20.

num, æternum Dei fœdus in manus tradit. Pater autem ille noster, qui vere est pater, nosque impensius amat, hortari, monere, emendare, diligere nunquam desinit : nec enim desinit servare, verum optimum dat consilium : « Justi » efficiamini, inquit Dominus. Qui sititis, ite ad aquam : et » quicumque non habetis pecuniam, ite, et emite, et bibite, » absque pecunia [1]. » Ad lavationem, ad salutem, ad illuminationem hortatur, aperte propemodum clamans : Do tibi, o fili, terram, et mare, atque cœlum ; quæque in eis sunt, omnia tibi largior animantia. Tu modo, o fili, patrem *sitias*, Deus tibi gratis ostendetur : veritas enim non *venditur* [2]. Tibi volatilia, tibi aquatilia, tibi denique dat quæcumque terram habitant. Hæc eo sunt a Patre condita, ut vos iis grato memorique animo fruamini : quæ pecunia quidem emet nothus, qui *filius* est *perditionis* [3], cuique *mammonæ servire* [4] constitutum est : tibi vero tanquam tua permittit, legitimo scilicet filio, qui Patrem diligis, cujus gratia *adhuc operatur* [5], cuique soli hoc promissum facit : « Et terra ex» tendetur in firmitatem [6] : » nec enim destinata est corruptioni : *mea est enim universa terra*, tua vero erit, si Deum receperis. Hinc iis qui crediderunt, hoc lætissimum nuntium defert Scriptura : « Sancti autem Domini erunt hæ» redes gloriæ Dei, et potentiæ ejus. » Quænam est ea, dic mihi, o beate, *gloria?* quam « oculus non vidit, nec auris » audivit, nec in cor hominis ascendit : et lætabuntur in » regno Domini sui in æternum. Amen [7]. » Jam igitur accepistis, o homines, qualem quantamque Deus gratiam polliceatur : ex altera quoque parte, quæ supplicia minatus fuerit, audivistis. His Dominus ad salutem ducit, et metu et gratia hominem instituens. Quid cunctamur? cur non effu-

[1] Isaiæ LIV, 17; LV, 1. — [2] 2 Cor. II, 17. — [3] Joan. XVII, 12. 2 Thess. II, 3. — [4] Matth. VI, 24. Luc. XVI, 13. — [5] Joan. V, 17. — [6] Levit. XXV, 23. — [7] 1 Cor. II, 9.

gimus supplicium? cur non recipimus donum? cur autem et quæ præstantiora sunt, Deum scilicet præ malo, non eligimus, et simulacrorum cultui sapientiam præferimus, et præ morte vitam comparamus? « Ecce, *inquit*, ante faciem vestram posui mortem et vitam[1]. » Tentat te Dominus, ut *vitam eligas*. Hortatur, tanquam pater, et suadet, ut Deo obedias. « Si enim me, *inquit*, audieritis et volueritis, bona terræ » comedetis[2] : » hanc constituit obedientiæ gratiam. « Si » autem mihi non obedieritis, neque volueritis, gladius vos » et ignis devorabit[3] : » hoc adversus contumaciam judicium pronuntiat. *Hæc enim locutum est os Domini*, veritatis lex, Domini Verbum. Placetne, ut, quod maxime vobis expediat, consilium exponam? Vos igitur attendite : ego autem clare, pro meis viribus, exhibebo. Oportebat quidem vos, o homines, cum de bono cogitaretis, testem adhibuisse insitum ac idoneum, fidem, quæ ex se statim ac sua natura eligit quod est præstantissimum; nec an ea sit persequenda, tam diu quærere aut laborare. Nemo enim vestrum dubitat, verbi causa, an oporteat inebriari; verum, priusquam consideretis, inebriamini. Nec valde solliciti estis an liceat injuriam facere; sed eam, quam potestis celerrime, facitis. In hoc solum hæretis, an Deus sit colendus? et an hic sapiens, Deus nempe et Christus, sit sequendus? Hæc digna consultatione ac deliberatione vestra existimatis; quid sit Deo aptum ac decens, minime cogitantes. Credite saltem nobis, quemadmodum soletis ebrietati, ut sobrii evadatis. Credite saltem, quemadmodum injuriæ, ut vitam consequamini. Quod si, agnita virtutum manifesta fide, obtemperare volueritis, ex abundanti vobis afferam quæ ad eliciendum vestrum consensum a Verbo suppeditata sunt. Vos autem (patrii enim mores sic vos præoccupaverunt, ut a veritatis studio huc usque penitus averterint) jam, tandem ad ea

[1] Deuter. xxx, 15, 19. — [2] Isai. I, 19. — [3] *Ibid.* I, 20; xxxiii, 11.

quæ consequuntur animos attendite. Nec hujusce nominis pudor aliquis præceptos deterreat, *qui* a salute homines abducere *maximumque* illis *damnum afferre* solet. Quapropter palam exuentes nos vestibus, in stadio veritatis legitime certemus, judice quidem sancto Verbo, Domino autem totius rerum universitatis certaminis instructore. Nobis enim haud leve præmium, immortalitas proposita est. Ne sit igitur curæ si contemptius de vobis loquantur quidam de fæce populi, qui impios superstitionis choros exercent, amentia sua ac insania præcipites in ipsum barathrum acti, simulacrorum fabricatores, lapidumque cultores. Hi sunt enim qui homines ausi fuerunt in deos referre : qui Alexandrum Macedonem, quem Babylon ostendit mortuum, deum decimum tertium numerabant. Proinde divinum illum Sophistam, cui nomen erat Theocrito, non possum non suspicere ac admirari. Nam is, Alexandro mortuo, vanas de diis opiniones quæ in animis hominum insederant, irridens, ad suos cives, « Bono, *inquit,* o viri, estote animo, » quamdiu deos ante homines mori videtis. » Sane autem qui deos sibi corporeos et aspectabiles, horumque, qui procreati ac geniti sunt colluviem asciscit et veneratur, longe est illis ipsis dæmonibus infelicior. Deus enim nequaquam est, sicut dæmones, injustus; sed, quam fieri potest, justissimus : nec est illi quidquam similius, quam qui ex nobis quam justissimus fuerit :

Venite e viis tota gens operariorum,
Qui Jovis filiam visu terribilem, operariam deam,
Appositis vannis colitis, stolidi,

qui lapidibus a vobismetipsis elaboratis divinos honores tribuitis. Huc etiam accedant Phidias vester et Polycletus, Praxiteles etiam et Apelles, et cæteri, denique, omnes, qui mechanicas artes exercent, terreni terræ opifices : « Tunc » enim, *ut quadam prophetia dicitur,* infeliciter hic eve-

» nient res, cum statuis crediderint. » Accedant, inquam (nec enim desinam vocare), viles illi ac sordidi artifices. Horum sane nemo vivam unquam et spirantem imaginem effinxit, aut ex terra teneram carnem emollivit. Quis medullam liquefecit? quis ossa induravit? quis nervos distendit? quis venas inflavit? quis in eas sanguinem infudit? quis cutem circumduxit? quis eorum unquam oculis a se formatis visum est largitus? quis animam inspiravit? quis imbuit justitia? quis pollicitus est immortalitatem? Solus, qui hæc universa condidit, nobilissimus artifex pater hujusmodi nos animatam imaginem, hominem, formavit. Olympius autem vester, imaginis hujus imago, longissime discrepans a veritate, stupidum est Atticarum manuum artificium. Est enim imago Dei, ejus Verbum; mentis nempe germanus filius, divinum Verbum, lucis archetypa lux. Verbi autem imago est homo. Est enim in homine vera mens, qui *ad imaginem et similitudinem*[1] Dei propterea *factus* esse dicitur; cordis nempe atque animi sui sensu divino Verbo seu Rationi assimilatus, eoque particeps rationis. Aspectabilis autem hujus ac terrigenæ hominis terrenas imagines, statuas scilicet humanam exprimentes figuram, caduca et fragilia simulacra, eaque a veritate alienissima esse, manifestum est. Unde non potuit mihi vita hominum non videri plena furoris, quæ tanto in materia studio ac ardore versata est. Vana porro opinio hanc consuetudinem, quæ servituti vos, curisque inutilibus ac rationi parum consentaneis subjecit, alit atque sustentat. Rituum enim impiorum, harumque fallacium imitationum ignoratio, execranda simulacra fabricandi, unaque tristissimarum cladium causa humano generi extitit, varias dæmonum formas commenta, et iis qui ipsam sequuntur, omnibus diuturnæ mortis notam impressit. Rationabilem igitur

[1] Gen. I, 26.

aquam accipite : lavamini, qui polluti estis; verisque vosmet guttis a consuetudine purgate : puros enim oportet esse, qui cœlum ascendunt. Homo cum sis [1], require quod est maxime commune, eum a quo creatus es. Filius cum sis, agnosce quod est maxime proprium, tuum scilicet patrem. Tu autem voluptatibus addictus et quasi illiquescens, etiamnum in peccatis permanes? Cui dicet Dominus, « Vestrum est regnum cœlorum [2]? » Vestrum est, quibus Deo parere propositum est, si velitis : vestrum, inquam, si modo velitis credere, et compendiariam prædicationis viam sequi : cui obtemperantes Ninivitæ, acta sincère pœnitentia expectatum excidium pulcherrima salute commutaverunt. Qua igitur, inquit [3], ratione patebit mihi ad cœlum aditus? *Via* est Dominus [4] : *angusta* quidem [5], sed quæ *e cælo* venit [6] : angusta quidem, sed quæ ad cœlum remittit : angusta, et qua nihil est in terris contemptius : lata tamen eadem, et in cœlis divino cultu dignata. Interea qui de Verbo nil unquam audivit, is propter ignorantiam erroris veniam consequitur : qui vero auribus accepit, et consulto tamen incredulam mentem gerit, quo videbitur esse prudentior, eo magis ipsi sua cognitio nocebit; cum ipsa eum prudentia condemnet, quod optimum non elegerit. Est enim alioqui a natura homini insitum, ut ei quædam sit cum Deo conjunctio. Ac proinde quemadmodum equum non cogimus arare, neque taurum venari; ad id autem ad quod natura aptum est, animal unumquodque trahimus : sic sane hominem, qui ad contemplationem cœli natus, et plane cœlestis planta est, id quod in ipso inest præ cæteris animantibus peculiare atque eximium sumentes, ut Deum cognoscat, et viaticum sibi in omnia sæcula suffecturum comparet, hortamur, ac

[1] Vide D. Guillon, p. 386.
[2] Matth. v, 3, 10.
[3] Vide D. Guillon, p. 386.
[4] Joan. xiv, 6. — [5] Matth. vii, 13, 14. — [6] Joan. iii, 13, 31.

suademus. Da, inquam, agriculturæ operam, si agricola es; interim dum agros colis, Deum cognosce. Naviga, qui rei nauticæ deditus es; non ante tamen quam cœlestem gubernatorem invocaveris. Militantem te deprehendit cognitio? audi imperatorem, qui nil tibi nisi quod justum est imperat. Proinde tanquam vino ac sopore gravati, redite tandem ad vosmetipsos : apertisque aliquantulum oculis, dispicite lapides qui a vobis coluntur, et sumptus quos in materiam frustra impenditis, quidnam sibi velint. Opes vestras, ac facultates in ignorantiam, quemadmodum ipsam quoque vitam in mortem effunditis, atque in hac sola vanæ vestræ spei finem reperitis. Interim adeo mancipati pravæ consuetudini estis, ut nec vestrum ipsi misereri, neque his quos misertum est vestri erroris, morem gerere possitis : verum ea suspensi, ad extremum usque spiritum ultro in perniciem vestram ruitis. « Lux enim venit in mundum, sed » dilexerunt homines potius tenebras quam lucem[1] : » cum ea quæ saluti obstant, fastum, et divitias, et timorem, hoc dicto poëtico abstergere licuisset :

Quo jam has ingentes opes fero? quo autem et ipse
Erro? . . .

Proinde si constitutum vobis sit, his inanibus commentis repudiatis, ipsi consuetudini renuntiare, dicite vanæ opinioni :

Valete mendacia somnia, nil enim fuistis.

Cur enim, o homines, existimatis Typhonem esse Mercurium, Andocidam, et Amyetum? annon cuilibet utique manifestum est lapides eos esse, sicut etiam ipsum Mercurium? Ut vero nec halo Deus est, nec iris; sed quædam aëris ac nubium affectiones : quemadmodum etiam nec dies est inter deos recensendus, nec mensis, nec annus, nec, quod his completur, tempus : sic neque sol, neque luna,

1. Joan. III, 19.

quibus ea quorum jam facta mentio est omnia definiuntur. Quisnam itaque sanus judicium, et supplicium, et justitiam, et vindictam, deos esse putaverit? Neque enim Furiæ, neque Parcæ, neque Fatum; quoniam nec respublica, nec gloria, nec Plutus, quem pictores cæcum exhibent, deorum in numero habendi sunt. Sinautem verecundiam, et amorem, et Venerem in deos refertis, hos consequantur infamia, et libido, et pulchritudo, et coitus. Haud igitur jure gemelli a vobis dii posthac habebuntur somnus et mors, cum ea sint affectiones quæ natura animalibus accidunt. Nec par est ut vel Fortunam, vel Fatum, vel Parcas, deas appelletis. Sin autem lis et pugna non sunt dii; nec Mars eo nomine, nec Enyo dignandi fuerint. Quinetiam si fulgura, et fulmina, et imbres, esse deos negatis; cur in eorum numero ignem et aquam reponitis? cur item stellas discurrentes, aut cometas, quæ ex affectione quadam aëris nascuntur? Qui vero deam appellat Fortunam, deam quoque appellet actionem. Quamobrem si neque ex his, neque ex istis simulacris, quæ humanis manibus fabricata, sensusque prorsus expertia sunt, quidquam Deus habetur; sed inesse nobis constat quamdam divinæ virtutis præsensionem: nil aliud restat, quam ut hoc fateamur, quod qui solus vere existit Deus, vere solus et sit, et fuerit. Qui vero id non sentiunt, persimiles sunt istis qui mandragoram aliudve istiusmodi pharmacum biberunt. Deus autem vobis concedat, ut ex hoc somno tandem experrecti, ipsum percipiatis; nec vobis aurum, nec lapis, nec arbor, nec actio, nec affectio, nec morbus, nec metus, Deo similis videatur. *Nam* haud dubie

Ter decies mille sunt in terra multos pascente

dæmones, haud quidem *immortales*, sed neque mortales: nec enim sensus, ac proinde mortis, participes sunt;

sed cum e lapide ac ligno constent, dominorum loco ab hominibus habiti, eorum vitam ope consuetudinis gravissimo dedecore atque injuria afficiunt. « Domini *autem*, *in*» *quit*, est terra, et plenitudo ejus[1]. » Cur igitur, cum Dei bonis frueris, eorum dominum ignorare sustines? Relinque meam terram, inquiet Deus : ne tu aquam, quæ per me scatet, attingas : fructus, quos ego colo, ne percipias. Nutritia, o homo, Deo repende. Dominum tuum agnosce. Tu proprium es Dei figmentum. Quod autem est ejus proprium, quo jure fiat alienum? Nam quod abalienatum est, cum privetur proprietate, privatur etiam veritate. Annon enim quodammodo ut Niobe; vel, ut magis mystice vos alloquar, instar Hebrææ cujusdam mulieris, quam veteres Lothi uxorem dicebant, sensu penitus estis orbati? Eam enim, quod Sodomorum amore capta esset, in lapidem conversam fuisse accepimus. Sunt porro Sodomitæ, homines athei, et impietati addicti, duri cordis, ac stupidi. Deum credas hisce te verbis alloquentem audire : Ne lapides, et ligna, et aves, et serpentes, potius quam homines, sacras esse res existimes : e contra, homines vere sacros, feras autem id quod sunt habete. Nam homines quidam miseri ac infelices per corvum aut graculum clarissimam edere vocem, per hominem vero nil prorsus loqui Deum putant : ac proinde corvum, velut Dei nuntium et interpretem, honore afficiunt; Dei vero hominem persequuntur, eumque, preh nefas! qui, licet nec crocitet nec clocitet, tamen e ratione loquitur, eosque perhumaniter erudit, et ad colendam justitiam impellit, inhumaniter occidere conantur, nec spe cœlestis gratiæ, nec supplicii metu præpediti. Nec enim Deo fidem adhibent, aut ejus potentiam intelligunt. Cujus porro amor erga homines verbis exprimi non potest; is quanto odio scelera prosequatur, mente concipi nequit.

[1] Psal. XXIV, 1. 1 Cor. X, 26.

Quemadmodum autem ira peccantibus alit supplicium; sic pœnitentiam agentes humanitas ornat beneficiis. Dei vero auxilio privari, longe miserrimum est. Hinc ab artibus maligni dæmonis nil tam grave atque acerbum patimur, quam oculorum orbitatem, ac aurium surditatem : quarum nos altera quidem cœlorum contemplationi, altera vero divinarum disciplinarum auditioni penitus ineptos reddit. Proinde vos, qui veritate quasi mutili, mente cæci, surdique intellectu estis, non doletis, nec omnino graviter fertis, nec ullo cœlum aut cœli conditorem videndi desiderio estis incensi; neque universorum opificem ac patrem audire atque cognoscere studium vobis fuit, animos ad salutem applicantibus. Nam ad cognitionem Dei contendentibus nihil est quod moram et impedimentum inferre possit : non sane orbitas liberorum, non paupertas, non obscuritas nominis, non egestas. Neque quispiam veram sapientiam « ære ferrove excisam » optat commutare : hanc enim rebus universis longe præfert. Christus est ubique salutaris. Nam qui justi æmulus ac imitator est, cum sit ejus amicus qui nulla re indiget, paucis eget ipse : ut qui non alibi felicitatis suæ *thesaurum reposuerit*, quam in se ipso et Deo, ubi non est *tinea*, nec *fur* [1], nec pirata, sed æternus bonorum largitor. Merito igitur istis serpentibus assimilati estis, qui adversus incantatores aures suas obstruunt. « Animus enim eis, *ait* » *Scriptura*, ad similitudinem serpentis; tanquam aspidis » surdæ, et aures suas obturantis, quæ non exaudiet vocem » incantantium [2]. » Quin vos sinite a sanctitate incantari, miteque nostrum Verbum recipite, et lethale virus expuite; ut vobis interitum, sicut illis senium, exuere concedatur. Audite me, neque aures obstruite, neque auditum obturate; sed animis vestris quæ dicentur imprimite. Immortalitas egregium est medicamentum. Nolite amplius, velut ser-

[1] Matth. VI, 20, 21. — [2] Psal. LVIII, 4, 5.

pentes, reptare : nam *inimici Domini pulverem lingent* [1], ait Scriptura. A terra ad ætherem oculos attollite, suspicite in cœlum, admiremini, desinite insidiari calcaneo justorum, et *viam veritatis* [2] impedire. *Estote prudentes* et innoxii : fortasse Dominus utique vobis dabit pennam simplicitatis (is enim terrigenas pennis instruere constituit), ut ex his latibulis evadentes, cœlos habitetis. Nos tantummodo toto corde pœnitentiam agamus, ut totum nostrum cor Dominum recipere valeat. « Sperate in ipsum, *inquit,* tota » populi congregatio : effundite coram ipso omnia corda » vestra [3], » ad recentes ab impietate ait : miseretur, et implet justitia. Crede, homo, homini et Deo. Crede, homo, *Deo viventi,* qui passus est, et adoratur. Credite, servi, mortuo. Credite ei, universi homines, qui solus est Deus ex universis hominibus. Credite, et mercedem accipite salutem. *Quærite Deum, et vivet anima vestra* [4]. Qui Deum quærit, de propria salute sollicitus est. Invenisti Deum? habes vitam. Quæramus igitur, ut vivamus. Inventionis merces est vita apud Deum. « Exultent et lætentur in te » omnes qui te quærunt, et dicant perpetuo : Magnificetur » Deus [5]. » Optimus Dei hymnus est immortalis homo, qui justitia instructus est, et in animo suo oracula veritatis habet insculpta. Ubi enim, præterquam in sapiente anima, inscribenda est justitia? ubi charitas? ubi pudor? ubi mansuetudo? Quorum autem animæ his divinis characteribus signatæ fuerint, eos, ut ego quidem existimo, oportet putare se nactos esse optimos sapientiæ carceres, unde in quosvis vitæ casus emittantur; eamdemque tutissimum salutis portum existimare : per quam quidem liberis contingunt boni patres, qui ad Patrem confugerunt; patribus autem boni filii, qui Filium cognoverunt; uxoribus etiam boni

[1] Psal. LXXII, 9. — [2] 2 Pet. II, 2. — [3] Psal. LXII, 8. — [4] Psal. LXIX, 32. — [5] Psal. LXX, 4.

mariti, qui Sponsi meminerunt; servis denique boni domini, qui sunt ab extrema servitute liberati. O bestias hominibus qui hoc errore ducuntur, beatiores! Quæ quidem perinde ac vos in ignoratione versantur; nequaquam autem mentiuntur veritatem. Inter eas nulla est adulatorum gens: pisces dæmonas non colunt: aves non venerantur simulacra: unum solummodo cœlum admirantur, cum Deum percipere per defectum rationis omnino nequeant. Vos igitur tandem non erubescitis, quod vosmetipsos feceritis animalibus ratione carentibus magis irrationabiles, qui tot ætates in impietate contrivistis? Fuistis enim pueri, deinde adolescentes, deinde juvenes, deinde viri; boni autem hactenus neutiquam. Senectutem saltem, cum jam ad occasum vitæ provecti estis, reveremini. Saltem in hoc extremo vitæ fine resipiscite, Deumque agnoscite; ut vobis vitæ finis initium salutis recuperet. Consenuistis in cultu dæmonum, venite juvenes ad cultum Dei: in numerum innocentium puerorum vos referet Deus. Atheniensis igitur Solonis, Argivus Phoronei, et Spartanus Lycurgi leges sequatur: sin te Deo ascribis, cœlum quidem tibi patria est, Deus autem legislator. Jam vero quæ sunt leges? « Non occides, » Non mœchaberis, » Puero stuprum non inferes, « Non » furaberis, Non dices falsum testimonium[1]; Diliges Domi- » num Deum tuum [2]. » Has porro explent atque perficiunt leges illæ rationi consentaneæ, et sancta verba, quæ in ipsis hominum cordibus inscripta sunt: « Diliges proximum » tuum, sicut teipsum[3]. *Et:* Qui tibi verberaverit maxillam, » præbe et alteram [4]. *Et:* Non concupisces: nam licet nil » ultra quam concupiveris, mœchatus es[5]. » Quanto igitur melius hominibus est, ab initio quæ non oportet nolle concupiscere, quam assequi quæ concupiverint? Cæterum vos

[1] Exod. xx, 13, 14, 15, 16.— [2] Deut. vi, 5. Matth. xxii, 37, etc.— [3] *Ibid.* 39, etc. — [4] Luc. vi, 29. — [5] Matth. v, 28.

salutis austeritatem ferre non sustinetis : sed quemadmodum dulcioribus quidem cibis delectamur, eosque propter insitæ voluptatis illecebras pluris facimus; curant vero nos, et in bonam valetudinem restituunt amari, qui sensum stringunt et exasperant, quinetiam imbecillo stomacho laborantes corroborat atque confirmat medicamentorum austeritas : sic delectat ac titillat consuetudo. Atqui ea in barathrum præcipites agit, veritas autem in cœlum sustollit : quæ primo quidem asperior, at certe *optima juvenum est nutrix* : hæc grave ac honestum est gynecæum, prudens vero senatus. Nec vero difficilis est accessu, aut ejusmodi, ut eam homines assequi haud possint : sed *proxime* est, in domibus nostris, et, quemadmodum innuit Moses, vir omni sapientia ornatus, tribus nostris residet membris, « manibus, et ore, et corde. » Quod germanum est veritatis symbolum, ad quam complendam universa hæc tria sunt requisita, consilium, et actio, et oratio. Nec vero metuas ne te voluptatum turba, quæ animo tuo subinde sese ingerit, a sapientia abducat : haud enim invitus consuetudinis nugas præteribis; sicut pueri, cum ad virilem ætatem pervenerint, ludicra abjiciunt. Cæterum potentia Dei incredibili celeritate, et benevolentia, ad quam omnibus facilis patebat aditus, orbi terrarum illucens, salutari semine universum complevit. Nec enim tam exiguo temporis spatio tantum opus absque divina Providentia perfecit Dominus, qui specie tenus despectus, reipsa adoratus est; expiator, servator, mansuetus, divinum Verbum; verus sine controversia Deus, cum Domino totius universitatis adæquatus, quoniam ejus filius erat, et *Verbum erat in Deo;* neque cum primum prædicatus nullam impetravit fidem, neque cum hominis personam inductus, et e carne formatus, salutarem egit humanitatis actum, ignoratus : is enim legitime decertavit, et suam creaturam in certamine socius adjuvit. Cum

autem sole celerius, ex ipsa Patris voluntate ortus esset, maxima celeritate ad universos homines delatus, facillime fecit ut Deus nobis illucesceret; undenam ipse, et quis esset, doctrina atque editis a se miraculis ostendens, fœderis conciliator, et pacificator, et servator noster, Verbum, fons vitalis, pacificus, per universam terræ faciem diffusus; per quem, ut ita dicam, rerum universitas effecta est *pelagus bonorum.*

XI. Jam vero, nisi molestum fuerit, ab ipso capite repetens, intuere divinum beneficium. Primus homo olim Paradisum incolens, ludebat solutus, quia puerulus erat Dei: cum vero sese subjecerat voluptati (voluptatem enim innuit serpens, eo quod ventre gradiatur, terrestre vitium, igni pascendo destinatum), a pravis libidinibus seductus, contumacia adolevit; Deumque patrem suum, ipsi non parendo, ignominia affecit. Quanta vis erat voluptatis! Homo, qui ob simplicitatem fuerat solutus, inventus est peccatis ligatus. Eum cum vinculis liberare vellet Dominus, carnem induit, (o divinum mysterium!) serpentem hunc devicit, tyrannum, hoc est mortem, in servitutem redegit: et, quod maxime præter opinionem contigit, illum hominem, qui seductus ab illecebris voluptatis, et corruptioni illigatus fuerat, explicatis manibus solutum ostendit. O mirabile mysterium! Succubuit quidem Dominus, homo autem surrexit: et qui cecidit ex Paradiso, majus obedientiæ præmium, cœlum accipit. Quamobrem, ut mihi videtur, cum ipsum Verbum ad nos venit cœlitus, non sunt nobis amplius frequentandæ hominum scholæ, nec Athenæ, reliquave Græcia, aut etiam Ionia studiorum causa adeundæ. Nam si hoc utamur magistro, qui sanctis virtutibus, opificio, salute, beneficio, legislatione, vaticinio, doctrina, complevit omnia; nulla est doctrina quam is non tradit, ipsique, hoc est Verbo, universus jam orbis terrarum Athenæ atque

Græcia factus est. Vobis enim, qui poëticæ fabulæ credidistis, Minoem Cretensem familiari Jovis consuetudine usum fuisse, difficile non erit credere nos, Dei factos discipulos, veram sapientiam suscepisse; eam nempe, quam philosophorum principes tantum obscure innuerunt, sed Christi discipuli tum comprehenderunt, tum etiam prædicarunt. Atque adeo in toto, ut ita dicam, Christo nulla jam partitio, nullum est discrimen : non enim ille barbarus est, « nec Judæus, nec Græcus : non mas, nec fœmina : sed » novus homo [1], » sancto Dei Spiritu transformatus. Porro autem cætera consilia ac præcepta, sunt quidem exilia, et de rebus singularibus agunt : veluti, an ducenda uxor? an gerenda respublica? an liberi sint procreandi? sola autem ea quæ ad pietatem suadet, exhortatio generalis est, sola ad universam vitæ rationem pertinet, et nullo non tempore atque casu ad supremum finem, vitam nempe, dirigit. Ex hac norma si vivamus, nihil nobis ad æternam vitam deerit. Ac « philosophia *quidem, ut veteres dicunt, est* diuturna » admonitio, quæ perpetuum sapientiæ amorem conciliat : « præceptum *vero* Domini lucidum est, illuminans ocu» los [2]. » Recipe Christum, recipe visum, recipe lucem,

Ut bene cognoscas Deum simul atque hominem.

« Dulcius *est Verbum, a quo illuminati sumus,* quam au» rum et lapis pretiosus : magis idem desiderabile, quam » mel et favus [3]. » Quidni enim desiderabile sit, quod defossam tenebris mentem in lucem produxit, et *luciferos* animæ *oculos* exacuit? Quemadmodum enim [4] absente sole per cætera quidem astra nox esset ubique diffusa : sic nisi Verbum cognovissemus, et ab eo essemus illuminati, nihil sane differremus ab altilibus gallinis, in tenebris saginati,

[1] Galat. III, 28; VI, 15. Ephes. IV, 25. — [2] Psal. XIX, 9. — [3] *Ibid.* 10.
[4] Vide D. Guillon, p. 387 et 388.

ut postea mortem patiamur. Capiamus igitur lucem, ut Deum quoque capiamus. Capiamus lucem, et Domini discipuli fiamus. Is enim Patri hoc pollicitus est : Enarr« rabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ » celebrabo te [1]. » Celebra, quæso, et enarra mihi patrem tuum Deum. Salutem præbent tuæ enarrationes. Docebit me tuum canticum, quod Deum quærens, hactenus erraverim. Cum vero tu me, Domine, deducis in lucem, et Deum invenio per te, et Patrem accipio abs te; fio tuus *cohæres* [2], quoniam te *non puduit fratris* [3] me loco habere. Auferamus igitur, auferamus veritatis oblivionem, ignorantiam; et tenebris quæ nos impediunt, velut ab oculis nube, remotis, verum Deum contemplemur, hanc ipsi vocem primum acclamantes : Salve lux : quia *lux* nobis e cœlo, qui *tenebris* defossi et *in umbra mortis* [4] inclusi fuimus, exorta est, sole quidem purior, et hac vita jucundior. Lux illa, vita est æterna; et vivunt, quæcumque eam participant. Nox autem fugit lucem, et præ timore sese condens, diei Domini cedit. Ubique diffusa est lux, quæ sopiri non potest; et occidens orienti credidit. Quod quidem a *nova creatione* significatum est : *Sol* enim *justitiæ* [5], a quo universa obequitantur, totum genus humanum æqualiter lustrat Patris sui exemplo, qui *facit, ut sol suus exoriatur super* [6] omnes homines, eosque rore veritatis aspergit. Is occasum traduxit ad orientem, et mortem quodammodo crucifixam in vitam sustulit : hominem autem exitio ereptum ætheri suspendit divinus agricola, corruptionem in immunitatem interitus, terramque in cœlum transferens : « Prospera significans, populos autem ad opus *bonum* exci» *tans, verum* victum revocans in memoriam; » hæreditatem nobis largiens vere magnam ac divinam, et quæ eripi

[1] Psal. XXII, 22. — [2] Rom. VIII, 17. — [3] Hebr. II, 11. — [4] Matth. IV, 16. Isai. IX, 2. — [5] Malach. IV, 2. — [6] Matth. V, 45.

non potest; per cœlestem doctrinam ex homine Deum faciens, « leges indens menti eorum, et cordi eorum *eas* in» scribens [1]. » Quas leges intelligit? « Quod omnes cognos» cent *Deum*, a parvo usque ad magnum : *et* propitius, » *inquit Deus*, ero *ipsis*, et peccatorum eorum non recor» dabor. » Suscipiamus leges vitæ : pareamus hortanti Deo. Percipiamus ipsum, ut sit propitius. Reddamus ipsi, licet minime indigenti, animum bene compositum, gratam habitationis nostræ mercedem : Deo nempe, cujus beneficio hic habitamus, cultum ac pietatem.

Aurum pro ære, centum boum pretium pro pretio novem [boum,

exigua nempe fide hanc tantam terram tibi colendam concedit : aquam præterea, quam bibas, et aliam in qua naviges; aërem, quem respires; ignem, cujus vi exerceas artificia; mundum, quem habites, præbet : hinc demum tibi concessit in cœlos coloniam deducere : hæc tibi tot tantaque opera ac beneficia exigua fide locavit. Illi porro qui præstigiatoribus credunt, amuleta corporibus suis alliganda, et incantationes salutares, ut putant, recipiunt : vos autem ne ipsum quidem cœleste Verbum, ac servatorem nostrum, alligare vobis vultis : nec Dei credentes incantationi, perturbationibus, quæ sunt animi morbi, liberari, et a peccato, quod æterna mors est, avelli. Estis plane hebetes atque cæci, perinde ac talpæ vitam in tenebris agitis, nihil aliud quam edentes, corruptione circumfusi. At veritas est, quæ clamat: *Ex tenebris lux lucebit* [2]. Luceat ergo lux in occulta parte hominis, scilicet corde ejus : et exoriantur scientiæ radii, qui interiorem hominem splendore suo patefaciant, lucis discipulum, *Christi* familiarem, atque *cohæredem* [3] : præcipue cum pio ac bono filio, boni patris, ac lenia, et quæ

[1] Hebr. VIII, 10, 11, 12. Jerem. XXXI, 33, 34. — [2] 2 Cor. IV, 6. — [3] Rom. VIII, 17.

filio suo salutaria sunt, imperantis, augustum ac venerabile nomen in cognitionem venerit. Ille qui ei paret omnibus sane rebus præcellit, sequitur Deum, paret Patri, illum errans cognovit, dilexit Deum, dilexit proximum, implevit mandatum, præmium requirit, promissum exigit. Deo autem semper propositum est, servare gregem hominum : et ideo bonum pastorem bonus misit Deus. Verbum autem, explicata veritate, salutis altitudinem hominibus ostendit, ut vel ducti pœnitentia, salutem consequerentur; vel si parere nollent, judicio forent obnoxii. Hæc est justitiæ prædicatio, quæ parentibus bonum est nuntium; cæteros, qui parere detrectaverint, judicio arcessit. Atqui bellica sane tuba clangore suo milites congregaverit, et bellum indixerit : Christo autem pacificum carmen ad limites usque terræ afflanti, pacificos suos milites congregare non licebit? Congregavit quidem, o homo, sanguine et verbo incruentum exercitum, cui regnum cœlorum tradidit. Tuba autem Christi est ejus Evangelium. Et is quidem tuba cecinit, nos autem audivimus. Pacificis igitur armis instruamur; « indati thoracem justitiæ, et assumpto clypeo fidei, *et* galea » salutis *imposita*, gladium *etiam* spiritus, hoc est verbum » Dei[1], » exacuamus. Ita nos Apostolus pacifice ordinat. Hæc nostra sunt arma, vulneribus prorsus impervia. His instructi adversus malum illum in acie stemus, *ignita Mali jacula extinguamus* aqueis cuspidibus a Verbo tinctis, beneficia gratis laudibus remunerantes, et Deum per divinum Verbum honorantes. *Adhuc* enim *loquente te, dicet*, inquit, *Ecce adsum*[2]. O sanctam et beatam hanc potentiam, per quam Deus cum hominibus versatur! Præstat igitur optimæ ac præstantissimæ naturæ imitatorem simul et cultorem fieri. Nullo enim alio modo imitari Deum licet, nisi sancte eum colendo; nec colere ac venerari, nisi imitando. Cœlestis

[1] Ephes. VI, 14, 16, 17. 1 Thess. V, 8. Isai. LIX, 17. — [2] Isai. LVIII, 9.

itaque ac vere divinus amor tum conciliatur hominibus, cum in ipsa anima vera pulchritudo a Verbo divino excitata effulserit. Quod vero maximum est, cum sincera voluntate pari gressu currit salus; et vita cum libera electione eodem, ut ita dicam, jugo pendet. Proinde sola hæc veritatis cohortatio est, quæ, perinde ac fidelissimi amicorum, ad extremum usque halitum nobiscum permanet; et si quis ad cœlum tendit, integro perfectoque animæ spiritui optima dux est. Ad quid autem te hortor[1]? Sane ut salvus fias. Hoc vult Christus : et, ut uno dicam verbo, vitam tibi largitur. Ille vero quis est? paucis accipe : Verbum veritatis, Verbum immunitatis ab interitu, quod hominem regenerat, eum reducendo ad veritatem; salutis stimulus, qui abigit interitum, qui mortem expellit, qui in hominibus templum ædificavit, ut Deum in ipsis statueret. Fac ut templum hoc sit purum, et voluptates ac mollitiem, tanquam caducum florem, vento atque igni relinque. Temperantiæ autem fructus prudenter colito, teque ipsum Deo, veluti primitias, consecra; ut ejus sit non solum opus, sed etiam operis gratia. Utrumque autem decet, ut qui Christi discipulus est, regno dignus videatur, et regno dignatus sit.

XII. Fugiamus igitur consuetudinem, fugiamus veluti periculosum promontorium, aut Charybdis minas, aut fabulosas Sirenes : consuetudo hominem suffocat, avertit a veritate, abducit a vita, laqueus est, barathrum est, fovea est, cribrum est malum ;

> Hunc quidem fumum et fluctum extra dirige
> Navem. . . . .

Fugiamus, fugiamus, o socii, hunc fluctum, ignem eructat; periculosa est insula, ossibus et cadaveribus plena : In ea autem cantat formosa meretricula, voluptas, quæ publica vulgarique musica delectat :

[1] Vide D. Guillon, p. 388.

Hæc age profectus, illustris Ulysses, ingens gloria Græcorum,
Navem siste, ut diviniorem vocem audias.

Laudat te, o nauta, et celebrem vocat, Græcorumque gloriam suam facere conatur meretrix. Sine ipsam cadavera depascere, tibi cœlestis Spiritus opem fert : prætergredere voluptatem, seducit :

Ne vero mulier te animo clunes ornata decipiat,
Blande garriens, tuum inquirens tugurium.

Præternaviga cantum : morte afficit. Si velis modo, vicisti interitum : et ligno alligatus, ab omni corruptione solutus eris. Gubernabit te Verbum Dei, et ad portum cœlorum appellet Spiritus sanctus. Tum Deum meum intueberis [1], et sacris illis mysteriis initiaberis, et iis rebus frueris quæ in cœlis recondita, quæ mihi asservata sunt, *quæ nec auris audivit, nec in mentem* alicujus *venerunt* [2].

Atqui mihi videor videre duos soles,
Geminasque Thebas,

dicebat quidam per simulacra in furorem actus, meraque ebrius ignorantia. Me vero ejus debacchantis misereret, nec possem committere, quin sic mente alienatum ad sobriam salutem hortarer. Dominus enim pœnitentiam peccatoris, haudquaquam autem ejus mortem amplectitur. Veni, o insane, non innixus thyrso, neque hedera redimitus. Abjice mitram, abjice nebridem, redi ad sanam mentem. Ostendam tibi Verbum, et Verbi mysteria, ea juxta tuarum imaginem rerum enarrans. Hic est mons Deo dilectus : qui haudquaquam, veluti Cithæron, tragœdiis materiam præbuit; sed veritatis actibus consecratus est. Mons sobrius, castis umbrosus sylvis. In eo autem bacchantur, haud quidem fulmine ictæ Semeles sorores, Mænades, impura visceratione

[1] Vide D. Guillon, p. 389.
[2] 1 Corinth. II, 9.

initiatæ; sed Dei filiæ, pulcherrimæ agnæ, quæ veneranda Verbi orgia concelebrant, sobrium instaurantes chorum. Chorum agunt viri justitia præcellentes. Canticum est hymnus Regi totius rerum universitatis sacer. Psallunt puellæ, collaudant angeli, prophetæ loquuntur : editur musicæ sonus, cursu thyasum persequuntur : qui vocati sunt, desiderio recipiendi Patrem festinant. Veni, tu quoque, o senex, relictis Thebis, abjectaque divinatione et bacchica insania, deduci te ad veritatem patere. Ecce tibi, quo innitaris, lignum præbeo. Festina, Tiresia, fidem habe, visum recipies. Christus, per quem cæcorum visus restituitur, sole splendidius illucet. Nox te fugiet, ignis extimescet, mors abibit. Qui Thebas, o senex, contueri non potes, cœlos videbis. O vere sancta mysteria! o puram lucem! Prælatis mihi facibus, cœlos ac Deum conspicio. Dum initior, sanctus fio. Dominus autem est interpres sacrorum, qui mystam illuminatum obsignat, et eum qui crediderit, Patri commendat in sæcula servandum. Hæc sunt meorum mysteriorum bacchanalia. Tu quoque, si videatur, initiare. Tum circa eum qui ortus et interitus immunis, solusque verus Deus est, una cum angelis, hymnum nobiscum canente Deo Verbo, chorum duces. Æternus hic Jesus, unus magnus pontifex unius Dei, qui est idem Pater, orat pro hominibus, idemque homines hortatur. *Attendite, gentes innumerabiles* : seu potius quotquot estis inter homines ratione præditi, tam barbari quam Græci. Universum hominum genus voco[1], quorum ego voluntate Patris opifex sum. Venite ad me, sub uno Deo, et uno Dei Verbo ordinandi. Nec sufficiat vobis animalia rationis expertia sola ratione superasse, cum vobis ex universo genere mortalium solis liceat meo munere immortalitatem consequi. Volo enim, volo hanc vobis impertire gratiam : integrum bene-

[1] Vide D. Guillon, p. 389.

ficium, immunitatem corruptionis, tribuens. Sed et Verbum vobis largior, Dei scilicet cognitionem, memetipsum integrum largior. Hoc sum ego, hoc vult Deus, hoc symphonia est, hoc concentus Patris, hoc Filius, hoc Christus, hoc Verbum Dei, brachium Domini, potestas rerum omnium, voluntas Patris. Quarum quidem rerum olim exhibitæ sunt imagines, verum illæ nequaquam omnes similes. Proinde volo vos ad exemplar primigenium corrigere, ut similes etiam mihi efficiamini. Fidei vos unguento, per quod corruptionem exuetis, ungam : et nudam justitiæ figuram, per quam ad Deum ascendetis, repræsentabo. « Venite ad me, » omnes qui fatigati estis, et onerati; et ego reficiam vos. » Tollite jugum meum super vos, et discite a me quod mitis sim, et humilis corde : et invenietis requiem animabus » vestris. Jugum enim meum facile, et onus meum leve est[1]. » Festinemus, curramus, o homines, Dei amantia, Deo vere similia, simulacra. Festinemus, curramus, *tollamus jugum ejus*, suscipiamus bonum aurigam, a quo homines ad immunitatem corruptionis aguntur. Christum diligamus. Is pullum ac vetulum asinum sub idem jugum duxit; et juncta nunc hominum biga, ad immortalitatem dirigit currum : id evidenter implere festinans, quod olim obscure significaverat, tunc quidem ad Jerusalem, nunc vero ad cœlos contendens. Pulcherrimum sane Patri spectaculum, æternus ipsius Filius victoriam reportans. Fiamus igitur in bona ambitiosi, Deique amantes homines; et earum rerum quæ nihil a quoquam pati possunt maximas, Deum ac vitam, consequamur. Est autem Verbum adjutor : in eo sit nobis fiducia. Nec nos unquam tantum argenti ac auri, vel gloriæ subeat desiderium, quantum ipsius Verbi veritatis. Nequaquam enim Deo gratum erit, si nos ea quidem quæ maximi sunt pretii minimi facimus, amentiæ autem, et ignorantiæ,

[1] Matth. XI, 28, 29, 30.

et socordiæ, et cultus simulacrorum apertissima probra et extremam impietatem plurimi habemus. Etenim haud abs re philosophorum filii, quæcumque faciunt stulti, nefarie ac impie eos gerere existimant. Quinetiam dum ignorantiam annumerant in speciebus insaniæ, nil aliud quam insanire vulgus hominum fatentur. Non est ergo dubitandum, inquiet Verbum, utrum sit melius, sobrium esse, vel insanire. Oportet autem veritatem mordicus tenentes, et sobriam gerentes mentem, Deum totis viribus sequi; et, sicuti sunt, res universas existimare ejus esse. Præterea, advertentes nos possessionum Dei omnium esse pulcherrimam, nosmetipsos in illius tutelam committamus, diligentes Dominum Deum, et id nobis negotii per totum vitæ spatium incumbere putantes. Quod si communia sunt amicorum omnia [1], et homo Dei amicus est (Verbi quippe interventu is Dei factus est amicus), igitur homini jus in omnia competit, quod ad Deum omnia jure pertineant : et sunt omnia utriusque amici, Dei et hominis, communia. Restat igitur, ut solum pium christianum appellemus divitem, et sobrium, et generosum; et ideo imaginem Dei, effictam ad ipsius similitudinem, dicamus ipsum ac credamus : ut qui justus sanctusque et prudens a Christo sit factus, et proinde Deo similis. Hanc itaque gratiam his verbis expressit propheta, ubi dicit : *Ego dixi, quod dii estis, et filii Altissimi, omnes* [2]. Nos enim, nos adoptavit filios : et noster solummodo pater haberi vult, non autem eorum qui ei non obtemperant. Res ergo nostræ, qui Christi nos asseclas profitemur, ita se quodammodo habent : « Qualia consilia, tales sermones nostri sunt; » quales autem sermones, tales etiam actiones; et qualia » opera, talis demum vita : » bona est universa hominum vita qui Christum cognoverunt. Satis jam, opinor, verborum

[1] Vide D. Guillon, p. 390.
[2] Psal. LXXXII, 6.

est; quinimo id quod mihi a Deo concessum est effundens, amore hominum longius processi, eo quod ad salutem, bonorum omnium extremum, hortarer. Sermones enim quibus vita nullum finem habitura declaratur, ægre tandem finiri solent. Hoc demum vobis reliquum est, ut quod utilius fuerit, sive judicium, sive gratiam, eligatis. Nam mihi ne dubitandum quidem videtur, utrum eorum sit melius; sed neque fas est vitam cum exitio comparare.

CLEMENTIS ALEXANDRINI

PÆDAGOGUS.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Quid profiteatur Pædagogus.

Cum hæc tria sint in homine, mores, actiones, et affectus, mores sermo sibi vindicat *cohortatorius,* pietatis dux ac religionis, qui instar carinæ subjectus est ad fidei ædificationem : quo quidem nos valde exultantes, et opiniones veteres abjurantes, ad salutem capessendam juvenes alacresque reddimur, cum psallente prophetia concinentes : *Quam bonus Israel Deus, iis qui recto sunt corde*[1] *?* Omnibus vero actionibus præest sermo qui versatur in tradendis præceptis : animi autem affectibus medetur sermo ad suadendum comparatus; cum interea unus sit omnis hic sermo, a mundana, in qua educatus est, consuetudine hominem abripiens, et in simplici uniusque modi fidei in Deum salute instituens. Dux itaque cœlestis, Verbum, ad salutem quidem quando cohortabatur hominem, *cohortatorius* vocatus est : et hic sermo proprie ad incitandum aptus, ex parte scilicet totum, appellatus est. Est enim cohortatoria universa religio, ut quæ et vitæ hic recte degendæ, et futuræ desiderium menti cognatæ ingeneret. Nunc autem, cum in medendo et præcipiendo versetur, et ad utrumque

[1] Psal. LXXIII, 1.

simul eum quem admonet, ipse seipsum sequens, adhortetur, affectuum nostrorum curationem in summa promittens, hic a nobis apposite uno appelletur nomine, Pædagogus. Is autem Pædagogus[1] in actione, non in tradenda disciplinæ ratione, versatur : ejusque finis est animam meliorem reddere, non doctrina imbuere ; et in vita honesta et prudenti, non quæ sit scientia prædita, instituere. Quanquam hic ipse quoque ad docendum aptus sit sermo, licet nunc aliter sumatur. Qui enim quæ ad dogmata pertinent declarat et revelat, is sermo est qui in docendo versatur. Cum autem in actione versetur Pædagogus, postquam ad componendos mores prius cohortatus sit, jam ad ea quæ oportet agenda incitat, pura incorruptaque præcepta tradens, et eorum qui erraverunt imagines posteris ostendens. Sunt autem ambo utilissima : præceptivum quidem genus, ad parendum; alterum autem imaginis instar assumptum, quod ipsum quoque est duplex, sicut prior conjugatio, ac partim quidem in eo consistit ut bonum eligentes imitemur, partim autem ut malum repudiantes aversemur. Affectuum itaque hinc sequitur curatio, cum, adhibitis imaginum suasionibus, animos confirmat Pædagogus, benignis præceptis, tanquam lenibus medicamentis, ad perfectam veritatis cognitionem eos qui morbo laborant deducens. Inter sanitatem autem et cognitionem permultum interest : nam hæc quidem disciplina, illa vero curatione comparatur. Qui itaque laborat, non prius aliquid eorum quæ ad doctrinam pertinent discat, quam perfecte sanus fuerit. Neque enim discentibus ac laborantibus unumquodque præceptum similiter traditur : sed illis quidem id quod ad cognitionem; his vero, quod ad medelam confert. Quemadmodum ergo, quorum corpus ægrotat, iis medico opus est : ita quorum æger est animus, ii pædagogo opus habent, qui nimirum af-

[1] Vide D. Guillon, p. 420.

fectibus nostris medeatur; deinde vero doctore, qui puram deducat animam ad cognitionis aptitudinem, ut possit revelationem sermonis percipere. Porro autem dum salutari gradu, efficaci disciplinæ convenienti, nos studet perfectos et consummatos reddere, pulchra utitur œconomia semper benignum et hominum amans Verbum, primum *cohortans*, deinde fungens *Pædagogi* officio, tandem *docens*.

CAPUT II.

Quod propter peccata nostra nos moderetur Pædagogus.

Pædagogus autem noster[1], o vos pueri, Deo Patri suo est similis, cujus est filius, in quem nullum omnino cadit peccatum, estque nulli reprehensioni affinis, et animo impatibilis : Deus in figura hominis impollutus, paternæ voluntati serviens, Verbum Deus, qui est in Patre, qui est a dextris Patris, et cum figura Deus est. Hic nobis est imago, in qua nulla est macula. Ei omnibus viribus tentandum est animam similem efficere. Et ille quidem ab omnibus humanis animi perturbationibus est liber. Propterea enim vel solus est judex, quod solus sit in quem peccatum non cadit. Nos autem, quoad fieri poterit, ut quam minimum peccemus, videamus. Nihil enim majori curæ ac studio esse debet, quam ut ab affectibus morbisque primum liberemur; deinde vero, ut prohibeamus ne in peccatorum consuetudinem facile prolabamur. Atque optimum quidem est nullo modo peccare penitus; quod Dei esse dicimus : secundum autem, nullum ex voluntariis attingere maleficiis; quod est proprium sapientis. Tertium est, in involuntariorum non adeo multa incidere; quod est proprium eorum qui a Pædagogo præclare instituti fuere. Peccatis autem non diu

[1] Vide D. Guillon, p. 421.

immorari, loco ultimo ponatur. Sed hoc iis qui ad pœnitentiam revocantur salutare est, pugnam instaurare. Atque mihi quidem per Mosem videtur pulcherrime dicere Pædagogus : « Si quis in eo fuerit repente mortuus, statim polluetur caput voti ejus, et radetur[1] : » peccatum involuntarium, *mortem repentinam* appellans. Eam autem dicit polluere, ut quæ animam macula aspergat : et ideo quam citissime ei adhibet medicinam, consulens ut statim ei *caput radatur*, nempe ignorantiæ comas, quæ umbram rationi offendunt, amovere et abstergere suadens, ut a densa vitii materia nuda relicta ratio (ea autem sedem suam collocat in cerebro) quam ocissime redeat ad pœnitentiam. Deinde cum pauca adjecisset, subjungit : « Priores autem » dies, irrationales[2]. » Per quæ clarum est significari peccata, quæ facta non sunt secundum rationem. Et involuntarium quidem appellavit *repentinum;* peccare autem, *irrationale.* Quamobrem Sermo Pædagogus sortitus est moderamen, quo prohibeat irrationale peccatum. Id autem hinc ex Scriptura considera : *Propterea hæc dicit Dominus :* quod prius fuerit peccatum, arguendo ostenditur per sequentem dictionem, *propterea,* eo quod justum judicium sequitur. Idque per Prophetas aperte ostenditur, dum dicunt : « Si non » peccasses, non hæc esset minatus. » Et : « Propterea sic » dicit Dominus. Propterea quod hos sermones non audiis» tis, ideo hæc dicit Dominus. » Et : « Ecce propterea dicit » Dominus. » Propterea enim est prophetia, propter obedientiam scilicet et inobedientiam : propter illam quidem, ut servemur ; propter hanc autem, ut castigemur. Pædagogus igitur noster, Verbum, præternaturales animæ affectiones curat per admonitiones. Morborum enim corporis auxilium proprie vocatur medicina, quæ docetur humana sapientia. Verbum autem paternum, solus est humanarum ægritudi-

[1] Num. VI, 9. — [2] *Ibid.* 12.

num Pæonius medicus, et sanctus ægrotantis animæ incantator. « Salvum fac servum tuum, *inquit*, Deus meus, sperantem in te. Miserere mei, Domine, quia ad te clamabo » toto die[1]. » « Medicina *enim*[2], *ut ait Democritus*, medetur » morbis corporis; sapientia autem liberat animam a per» turbationibus : » bonus autem Pædagogus, qui Sapientia, qui Verbum est Patris, qui fabricatus est hominem, totius creaturæ curam gerit, ejusque corpori et animæ medetur, qui est omni ex parte sufficiens medicus humanæ naturæ, Servator. « Surge, inquit paralytico, et sublato in quo jaces » grabato, vade domum[3] : » et qui prius erat infirmus, extemplo sanus et firmus evasit. Et mortuo, *Lazare*, dixit, *egredere*[4]. Ille vero mortuus, ex sepulcro exiit, qualis erat antequam moreretur, meditatus resurrectionem. Quinetiam per se quoque medetur animæ præceptis et donis. Sed præceptis quidem id facere utique differt : donis autem dives, *dimittuntur tibi peccata tua*, nobis dicit peccatoribus. Nos autem, simul ac ipse cogitavit, facti sumus infantes, optimum ac stabilissimum locum ab optima et præclare ordinata ejus gubernatione adepti : quæ primum quidem in mundi et cœli solisque ambitibus circumagitur, inque cæterorum astrorum motibus versatur, propter hominem : deinde vero in ipso homine, in quem omne ejus studium confertur: eumque maximum ac pulcherrimum esse opus existimans, prudentia quidem ac moderatione et temperantia animam ejus direxit : corpus vero pulchritudine justaque membrorum proportione temperavit: in humanis denique actionibus, quodque in eis recte et ex virtute geritur, pulchrumque qui est in eis ordinem, ex suo eis inspiravit.

[1] Psal. LXXXVI, 2, 3.
[2] Vide D. Guillon, p. 421.
[3] Marc. II, 11. — [4] Joan. XI, 43.

CAPUT III.

Quod sit benignus et hominum amans Pædagogus.

In omnibus prodest et in omnibus juvat Dominus, et tanquam homo, et tanquam Deus : peccata quidem remittens, ut Deus; ne peccemus autem, Pædagogi ritu instituens, ut homo. Jure ergo homo est Deo carus[1]; quoniam ejus figmentum homo est. Et alia quidem solo jussu fecit : hominem autem per se manu fabricatus est, et quid sibi proprium inspiravit. Quod ergo ab ipso et ad ejus imaginem factum est, vel tanquam propter se Deo eligendum, ab ipso Deo fabricatum est, vel tanquam propter aliud eligendum, effictum est. Si ergo homo est propter se res eligenda, tum qui bonus est, bonum amavit : et intus est in homine id philtrum, quod Dei *inspiratio* dicitur. Si autem res propter alias eligenda factus est, non alia fuit Deo causa cur hunc faceret, quam quod absque eo neque Deus poterat esse bonus opifex, neque homo pervenire ad Dei cognitionem. Non enim aliter id cujus causa homo factus est Deus fecisset, si non homo factus esset : et quam habuit reconditam volendo potentiam, per externam implevit faciendi potestatem Deus, ab homine accipiens quod fecit hominem. Et vidit quem habuit, et factum est quod voluit. Nihil est autem quod Deus non possit. Homo ergo, quem fecit Deus, res est per se eligenda. Res autem quæ per se est eligenda, ei est conjuncta cui per se est eligenda. Ea autem res est expetenda et diligenda. Sed et si quid est diligendum, non potest id ab ipso non diligi : diligendum autem esse hominem ostensum est : homo ergo a Deo diligitur. Qui enim fieri potest ut non diligatur, propter quem Unigenitus ex

[1] Vide D. Guillon, p. 422.

sinu Patris demittitur, Verbum fidei, fides ex superabundantia, ipse Dominus, qui aperte confitetur et dicit : « Ipse » enim Pater vos diligit, quia vos me dilexistis[1] ? » Et ipse rursus : « Et dilexisti ipsos, quemadmodum me dilexisti[2]. » Quidnam ergo vult Pædagogus, et quid profitetur, et quomodo factis et dictis affectus sit, et in iis quæ sunt agenda præcipiendis, et prohibendis iis quæ sunt contraria, jam utique clarum est. Manifestum est autem, esse alterum genus sermonis, cujus est institutum docere, quod quidem est subtile et spiritale, et accuratam tractandi rationem sequitur, et in arcanis contemplandis mysteriis versatur. Id autem in præsentia differatur. Par est autem eum nos redamare qui pro suo in nos amore dux est nobis vitæ optime degendæ : ex ejus autem voluntatis jussis vivere, non ea solum quæ jubentur exequendo, vel quæ prohibentur cavendo; sed etiam has quidem imagines aversando, illas vero, quoad fieri poterit, imitando, Pædagogi factorum similitudinem operando referre : ut quod « secundum imaginem et » similitudinem est » impleat. In vita enim tanquam in profundis errantes tenebris, optimo et qui nunquam aberret ac offendat duce habemus opus. Optimus autem dux est, non *cæcus*, ut dicit Scriptura, *cæcos in foveas ducens*[3], sed Verbum, cujus est visus perspicacissimus, et qui cordis intima pervidet. Quemadmodum ergo non est lux, quæ non illuminat; neque movens, quod non movet; nec diligens, quod non diligit : ita nec bonum, quod non prodest, et ad salutem deducit. Faciamus ergo præcepta per opera et facta Domini. *Verbum* enim ipsum aperte *caro factum*[4], eamdem simul virtutem activam et contemplativam esse ostendit. Quare legem existimantes Verbum, præcepta ejus atque monita, breves et directas ad æternitatem vias, agnoscamus. Persuasione enim sunt plena præcepta, non timore.

[1] Joan. XVI, 27. — [2] *Id.* XVII, 23. — [3] Matth. XV, 14. — [4] Joan. I, 14.

CAPUT IV.

Quod Verbum ex æquo virorum et mulierum pædagogus sit.

Hanc ergo bonam obedientiam magis magisque amplectentes, nos ipsos Domino tradamus, firmissimum ejus fidei rudentem appendentes, cogitantes eamdem esse virtutem viri et mulieris. Si enim utrisque unus Deus est, utrisque etiam unus est Pædagogus, una Ecclesia, una moderatio ac temperantia, una verecundia, alimentum commune, conjugales nuptiæ, respiratio, visus, auditus, cognitio, spes, obedientia, charitas, omnia similia. Quorum autem est vita quidem communis, communis autem gratia, et salus communis : eorum quoque communis est dilectio, et educatio. « In hoc enim, *inquit*, sæculo uxores » ducunt et nubunt [1], » in quo solo fœmininum a masculo discernitur : « in illo autem, non amplius, » ubi socialis et sanctæ hujus vitæ, quæ ex conjunctione proficiscitur, præmia non masculo ac fœminæ, sed homini proponuntur, cum eum, quamdiu est separatus, sejungat cupido. Viris itaque et mulieribus commune nomen homo est. Ea ratione mihi videntur Attici παιδάριον, epicœno genere, non solum masculum, sed etiam fœminam vocassse; si cui fide dignus videtur esse omicus Menander in Rhapizomena, qui sic dicit:

> Filiola mea : admodum enim natura
> Benevolum est παιδάριον, puella.

Jam vero ἄρνες quoque, quod *agnos* significat, est epicœnum simplicitatis nomen, animali mari et fœminæ conveniens. Ipse autem Dominus nos pascit in sæcula sæculorum, Amen. Sine pastore autem, nec oves, nec quidquam potest

[1] Luc. xx, 34.

aliud vivere : neque pueri sine pædagogo, nec ministri sine domino.

CAPUT V.

Quod omnes qui circa veritatem versantur, sint apud Deum pueri.

Quod itaque pædagogia quidem sit *puerorum eductio*, ex ipso nomine clarum est[1]. Restat autem, ut pueros quos Scriptura significat consideremus, deinde pædagogum eis præficiamus. Nos, pueri sumus. Multifariam autem nos celebrat, multisque modis ac variis nominibus allegorice utitur Scriptura, simplicitatem fidei diversis rationibus immutans. In Evangelio itaque : « Cum in littore, *inquit*, stetisset » Dominus, discipulos (*piscabantur autem*) allocutus est: » Puelli, numquid obsonium habetis[2] ? » eos pueros appellans, quos loco discipulorum habebat. « Et adduxerunt ei, » *inquit*, pueros ad impositionem manuum benedictionis. » Cum autem ejus discipuli prohiberent, dixit Jesus : Sinite » puellos, et ne prohibete eos venire ad me : talium enim » est regnum cœlorum[3]. » Quid autem sibi vult quod dictum est, ipse declarabit Dominus, dicens : « Nisi conversi » fueritis, et efficiamini sicut hi puelli, non intrabitis in » regnum cœlorum[4]; » non regenerationem allegorice hic significans, sed eam quæ in pueris inest simplicitatem, ut ejus similitudinem referamus, commendans. Pueros quoque nos eligit Spiritus propheticus : « Cum carpsissent, *inquit*, pueri ramos oleæ vel palmarum, exierunt » obviam Domino, et clamaverunt, dicentes : Hosanna filio » David : Benedictus qui venit in nomine Domini : Lux » et gloria et laus cum supplicatione Domino[5] : » hoc enim significat *Hosanna*, si latine explicetur. Mihi autem

[1] Vide D. Guillon, p. 422.
[2] Joan. XXI, 4, 5. — [3] Matth. XIX, 14. — [4] *Id.* XVIII, 3. — [5] *Id.* XXI, 9.

videtur Scriptura, hanc prophetiam innuens quæ modo dicta est, probri loco ignavis objicere: « Nunquam legistis: » Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem[1]? » Hac itidem ratione Dominus suos discipulos stimulat, ut ipsum diligenter attenderent incitans, ut qui jam ad Patrem properaret: auditores, ut majore desiderio eum audirent, præparans, fore ut paulo post abesset præsignificans: oportere eos ex veritate uberius quam unquam antea fructum colligere innuens, quia Verbum mox se in cœlum reciperet. Rursus ergo eos vocat puellos. Ait enim: « Puelli, adhuc » modicum sum vobiscum[2]. » Et rursus assimilat regnum cœlorum « puellis in foro sedentibus, et dicentibus: Tibia » vobis cecinimus, et non saltastis: lamentati sumus, et non » planxistis[3]: » et quæcumque alia subjunxit his consentanea. Neque vero ita solum sentit Evangelium, sed prophetia quoque est ejusdem sententiæ. Dicit itaque David: *Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini*[4]. Porro autem dicit etiam per Esaiam: « Ecce ego, et pueri » quos dedit mihi Deus[5]. » Miraris, dum audis viros qui sunt in gentibus, a Domino vocari pueros? Non mihi dialectum videris intelligere Atticam, a qua discere poteris elegantes et speciosas adolescentulas, et præterea ingenuas, appellari παιδίσκας, ancillas autem παιδισκάρια; et has etiam, adolescentulæ cum sint, propter ætatis puerilis florem assentatorie *puellarum* nomine honorari. Jam vero, cum dicit: *Agnelli stent a dextris*[6], simplices pueros significat, tanquam agni et oves sint genere, non viri. Agnellos autem privilegio dignos censuit, in hominibus facilitatem ac teneritudinem, et simplicitatem animi, innocentiam nempe, præferens. Et rursus quando dicit, « tanquam vituli lac» tentes, » nos rursus allegorice significat. Et quando,

[1] Matth. xxi, 16. Psal. viii, 3. — [2] Joan. xiii, 33. — [3] Matth. xi, 16, 17. — [4] Psal. cxiii, 1. — [5] Isai. viii, 18. — [6] Matth. xxv, 33.

tanquam columbam simplicem et felle carentem, rursus nos intelligit : jubet etiam per Mosem, « duos pullos co-» lumbarum vel par turturum pro peccato offerre [1] ; » eorum quæ sunt tenera, nempe pullorum, immunitatem a peccato, innocentiam, et acceptarum injuriarum oblivionem dicens esse Deo acceptam, et simile simili expiari exponens. Quinetiam turturum timiditas, eam quæ ne peccetur adhibenda est, cautionem significat. Quod autem nos pullos dicat, testis est Scriptura : « Quemadmodum gallina con-» gregat pullos sub alis suis [2] : » ita nos sumus pulli Domini, sane quam admirabiliter et mystice animæ simplicitatem ex puerili ætate describente Verbo. Alicubi enim nos vocat *pueros*, alicubi vero *pullos*, nonnunquam autem *infantes*, alicubi autem *filiolos*, et sæpe *filios*, et *populum recentem*, et *populum novum*. « Servis autem meis, *inquit*, » imponetur nomen novum » (nomen *novum* dicit, quod est recens et æternum, impollutum et simplex, et infantile, et verum) « quod benedicetur in terra [3]. » Per allegoriam autem nos rursus pullos vocat, qui vitii jugum non subimus, qui ab improbitate minime domiti sumus ; sed sumus simplices, et ad ipsum solum patrem exilimus : non equos subjugales, qui « ad propinquorum uxores hin-» niunt, et fœminarum insano amore tenentur [4], » sed liberos, et recenter genitos : qui propter fidem exultant : qui celeriter currunt ad veritatem : qui sunt veloces ad salutem : qui mundana proterunt et conculcant. « Lætare » valde, filia Sion : annuntia, filia Hierusalem : Ecce rex » tuus venit tibi justus, mansuetus, et servans : et ipse mi-» tis, et qui ascendit subjugalem et pullum novum [5]. » Non satis habuit solum dixisse *pullum*, sed etiam *novum* ei adjecit, humanitatis, quæ in Christo est, novitatem, et

[1] Levit. XV, 29 ; XII, 16. Luc II, 24. — [2] Matth. XXIII, 37. — [3] Isai. LXV, 15, 16. — [4] Jerem. V, 8. — [5] Zach. IX, 9.

senii expertem cum simplicitate æternitatem ostendens. Tales autem nos novos pullos, qui infantes sumus, divinus noster alit pullorum domitor. Quod si asinus quoque novus est in Scriptura, pullus tamen est hic quoque asinus. *Et pullum*, inquit, *alligavit vineæ*[1]; hunc simplicem et infantem populum Verbo alligans, quod vocat allegorice vitem. Fert enim vinum vitis, sicut Verbum sanguinem. Est autem utrumque poculentum hominibus ad salutem: vinum quidem corpori, sanguis vero spiritui. Quod autem nos quoque *agnos* dicit, fide dignus testis est Spiritus, loquens per Esaiam: « Sicut pastor pascet gregem suum, » et brachio suo colliget agnos[2]: » ubi ovium tenerrimas agnos vocat, simplicitatem allegorice significans. Atque adeo nos quidem certe earum quæ sunt in vita longe pulcherrimas et perfectissimas possessiones appellatione puerili honorantes, doctrinam et disciplinam, Græce παιδείαν et παιδαγωγίαν vocavimus. Pædagogiam autem esse confitemur bonam a pueris in virtute institutionem. Nobis itaque Dominus apertius ac evidentius revelans quid ex appellatione puerorum significetur, cum orta esset quæstio inter Apostolos, « quisnam ex eis major esset, statuit Je» sus puellum in medio dicens : Qui se humiliaverit ut » hic puellus, is major est in regno cœlorum[3]. » Non ergo puerorum appellatione usus est, tanquam hi per ætatem essent inconsiderati, et ratione minime uti possent, quemadmodum nonnulli sensere : neque si dixerit, « Nisi fue» ritis sicut hi puelli, non intrabitis in regnum Dei[4], » id inerudite accipiendum est. Qui enim infantes sumus, humi non adhuc volutamur; neque ut antea, serpentum more, in terra serpimus, toto corpore in stultis cupiditatibus provoluti : sed mente sursum erecti, mundoque et peccatis renuntiantes, suspenso pede eatenus solum terram

[1] Genes. XLIX, 11.—[2] Isai. XL, 11.—[3] Matth. XVIII, 1 et seq.—[4] *Ibid.*

tangentes ut in mundo esse videamur, sanctam persequimur sapientiam. Hæc autem videtur esse stultitia iis qui se ad calliditatem et versutiam exacuerunt. Jure ergo sunt pueri, qui Deum solum patrem noverunt, simplices et infantes, integri ac innocentes, qui sunt unicornium cornuum amatores. Iis itaque, qui in Verbo processerunt, hanc vocem annuntiavit, rerum ac negotiorum quæ hic sunt jubens curam abjicere, et suadens solum Patrem attendere, puellos imitantes. Et ideo dicit, in iis quæ consequuntur: « Ne sitis solliciti de crastino, sufficit enim diei malitia » sua[1]. » Ita, curis hujus vitæ depositis, soli Patri adhærere præcipit. Qui autem hoc implet præceptum, revera infans ac puer Deo est, et mundo : huic quidem, tanquam seductus ac errabundus; illi vero, tanquam dilectus. Jam vero, si *unus est*, ut dicit Scriptura, *magister in cœlis*[2]; in confesso est, qui in terra sunt, omnes appellari discipulos. Ita enim habet veritas : id quidem quod est perfectum, esse apud Dominum, qui semper docet; quod puerile autem est et infantile, apud nos, qui semper discimus. Porro autem itidem prophetia id quod perfectum est honoravit *viri* appellatione. Et per David quidem, de diabolo : *Virum*, inquit, *sanguinum abominatur Dominus*[3]. Virum vocat, ut qui sit perfectus in vitio. Dicitur *vir* quoque Dominus, ut qui sit perfectus in justitia. Ecce enim Apostolus ad Corinthios scribens, dicit : « Despondi enim vos uni viro » virginem castam exhibere Christo[4], » sive tanquam infantes et sanctos, verumtamen soli Domino. Ad Ephesios autem scribens, apertissime revelavit quod quæritur, dicens hoc modo : « Donec occurramus omnes in unitatem » fidei et agnitionis Dei in virum perfectum, in mensuram » ætatis plenitudinis Christi, ut non simus amplius infantes, » qui fluctibus agitemur, et circumferamur omni vento doc-

[1] Matth. vi, 34. — [2] *Id.* xxiii, 8 et seq. — [3] Psal. v, 6. — [4] 2 Cor. xi, 2.

» trinæ, in præstigiis hominum, in versutia ad insidias er-» roris; vera autem dicentes in dilectione, augeamus in » ipsum omnia[1]. » Hæc dicens ad ædificationem corporis Christi, *qui est caput et vir*, qui solus in justitia perfectus: nos autem infantes, qui ad inflationem nos sufflant, hæresium ventos vitantes, et iis qui nos aliter docent quam patres, fidem non habentes, tunc perfecti efficimur, quando sumus Ecclesia, capite, Christo scilicet, recepto. Hic autem par est attendere, appellationem hujus vocabuli, νήπιος, quod infantem significat, ut intelligatur τὸ νήπιον non dici de insipientibus. Qui est enim insipiens, dicitur νηπύτιος: νήπιος autem, qui est νεήπιος; nam ἤπιος dicitur, qui est leni ac molli animo. Quo fit, ut is dicatur νήπιος qui *lenis* ac mansuetus *recenter* evasit. Hoc autem manifestissime significavit beatus Paulus, dicens : « Cum possemus oneri » esse sicut Christi Apostoli, fuimus mites in medio vestri, » sicut nutrix fovet filios suos[2]. » Mitis ergo est infans, et ea ratione magis mollis, et tener ac simplex, doli ac fraudis expers, et remotus a simulatione, rectoque et integro animo. Hoc autem simplicitatis ac veritatis est fundamentum. « Super quem enim, *inquit*, respiciam, nisi super mansue-» tum et quietum[3] ? » Talis enim est sermo virginalis, mollis et minime fictus. Unde etiam virginem *mollem sponsam*, et puerum *mollis animi*, vocare consuevimus. Sumus autem nos molles, qui persuasioni non reluctamur, et a bonitate non difficulter colimur, bileque vacui, et malitia ac perversitate minime permixti sumus. Vetus enim *generatio perversa* est et *duro corde*. Chorus autem infantium, nos, inquam, qui sumus *novus populus*, mollis est, et delicatus ut puer. Propter innocentum autem corda, fatetur se gaudere Apostolus in Epistola ad Romanos, et quamdam, ut ita dicam, infantium definitionem tradit, dicens : « Volo au-

[1] Eph. IV, 13, 14, 15. — [2] 1 Thess. II, 6, 7. — [3] Isai. LXVI, 2.

» tem vos sapientes quidem esse ad bonum, simplices au- » tem ad malum[1]. » Neque enim nomen τοῦ νηπίου a nobis intelligitur per privationem, quamvis a grammaticis statuitur νὴ esse privativam particulam. Si qui enim infantiam insectantes, nos vocant insipientes, videte quomodo Dominum blasphemiis et maledictis impetunt, dum eos existimant insipientes qui ad Deum confugerunt. Sin autem, quod magis quoque intelligendum est, ipsi de simplicibus infantes acceperint, gaudemus appellatione. Infantes enim sunt mentes novæ in veteri insipientia, quæ nuper evaserunt prudentes, quæ secundum Novum Testamentum exortæ sunt. Quippe cum Deus per Christi adventum nuper cognitus sit; « Deum enim nemo novit nisi Filius, et cui Filius » revelaverit[2]. » Juvenes ergo *populus novus*, ut distinguantur a veteri populo, ii sunt qui nova bona didicerunt: et est nobis uber ætatis ipsa juventus expers senii[3], in qua semper vigemus ad intelligentiam et mentis agitationem, semper juvenes, et semper mansueti, et semper recentes ac novi. Oportet enim novos esse, qui novi Verbi fuerunt participes. Quod autem æternitatis est particeps, ei quod est incorruptum solet assimilari : ut puerilis ætatis appellatio sit nobis ver totius vitæ, propterea quod sit senii expers quæ est in nobis veritas, et mores nostri, qui sunt veritate perfusi. Sapientia autem semper germinans, quæ semper similiter et eodem modo se habet, et nunquam mutatur, » Puelli, *inquit*, eorum super humeros tollentur, et super » genua consolationem accipient : perinde ac si mater ali- » quem consoletur, ita ego quoque vos consolabor[4]. » Mater quidem ad se pueros adducit : et nos matrem quærimus Ecclesiam. Quidquid itaque est imbecillum et tenerum, ut

[1] Rom. xvi, 19. — [2] Matth. xi, 27. Luc. x, 22.
[3] Vide D. Guillon, . 422.
[4] Isai. lxvi, 12, 13.

quod propter imbecillitatem auxilio egeat, gratum est, jucundum, et delectabile, animosa animæ parte ei, quod est tantillum, auxilium ferente. Quemadmodum enim patres et matres lubentius vident, equorum quidem, pullos; boum vero, parvos vitulos; et leonum, leonculum; et cervi, hinnulum; et hominis, puellum : ita etiam universorum Pater eos qui ad ipsum confugiunt recipit, et in filiorum adoptionem Spiritu regeneratos novit mansuetos, et eos solos diligit, eisque fert auxilium, et pro eis pugnat, eosque defendit : et ideo *puellum* nominat[1]. Ego vero Isaac quoque ad puerum refero. Isaac, *risus* exponitur. Eum vidit ludentem cum uxore et auxiliatrice Rebecca rex curiosus. Rex autem, cui nomen erat Abimelech, mihi videtur esse quædam supramundana sapientia, quæ ludi considerabat mysterium. Interpretantur autem Rebeccam, tolerantiam. O prudentem ludum! Risus et a tolerantia adjuvatus; et rex spectator est : gaudet vero et exultat spiritus eorum qui sunt puelli in Christo, qui in tolerantia vitam agunt. Et hic est divinus ludus. Talem ludum ludere suum Jovem dicit Heraclitus. Quid enim aliud viro sapienti et perfecto magis convenit, quam ludere et collætari cum honestarum rerum tolerantia, et bonorum administratione, dies festos cum Deo celebrantem? Potest etiam aliter accipi, quod a prophetia significatur, nos scilicet lætari et ridere propter salutem, quemadmodum Isaac. Risit autem ille quoque a morte solutus, ludens et exultans cum sponsa, quæ nostra est ad salutem auxiliatrix, scilicet Ecclesia, cui firmum ac solidum nomen impositum est, *Tolerantia :* vel quoniam ea manet in sæcula, semper gaudens; vel quod constet ex tolerantia credentium, qui sumus membra Christi, et eorum sit qui ad finem sustinuerunt testimonium, et quæ fit propterea gratiarum actio. Hic est ludus mysticus, et salus, quæ

[1] Genes. XXVI, 7.

cum honesto solatio fert auxilium. Rex itaque Christus e superis risum nostrum speculatur, et *e fenestra,* ut dicit Scriptura, *prospiciens*[1], gratiarum actionem, et benedictionem, et exultationem, et lætitiam, et simul etiam iis auxiliantem tolerantiam, et eorum conjunctionem, solam suam respicit Ecclesiam : ostendens faciem suam, quæ deerat Ecclesiæ, quæ regali capite perfecta efficitur. Ubi erat autem fenestra, per quam ostendebatur Dominus? Caro, per quam fuit manifestatus. Ipse est Isaac (aliter enim accipere possumus), qui est typus ac figura Domini. Puer quidem, ut filius; erat enim filius Abrahæ, quemadmodum Christus Dei : hostia autem, sicut Dominus : sed non oblatus est, ut Dominus. Ligna solum sacrificii portavit Isaac, ut lignum Dominus. Mystice autem risit, prædicens fore ut Dominus nos risu impleret, qui sanguine Domini ab interitu et corruptione redempti sumus. Solummodo autem jure Isaac non passus est, qui primas passionis partes Verbo cesserit. Quinetiam significat Domini divinitatem, dum non fuit occisus. Surrexit enim post justa facta funeris Jesus non passus, quemadmodum Isaac dimissus est e sacrificio. Porro autem ad ejus quod propositum est defensionem, maximum quoque aliud afferam. Ipsum Dominum *puellum* nominat, id per Esaiam prædicens Spiritus : « Ecce puellus natus est » nobis, et filius datus est nobis, cujus principatus super » humerum ejus, et vocatum est nomen ejus, magni consilii » Angelus[2]. » Quid est ergo puellus infans? Is ad cujus imaginem nos infantes sumus. Per eumdem prophetam narrat ejus magnitudinem : « Admirabilis consiliarius, Deus » potens, pater æternus, princeps pacis : eo quod disciplinam impleat : et pacis ejus non est finis[3]. » O magnum Deum! o perfectum puerum! Filius in Patre, et Pater in Filio. Et quomodo non est perfecta hujus pueri puerilis

[1] Genes. xxvi, 8. — [2] Isai. ix, 6. — [3] *Ibid.*

disciplina et institutio, quæ omnes pervadit, pædagogi ritu nos pueros instituens, qui sumus ejus infantes? Is manus in nos expandit, quæ aperte et evidenter fuere creditæ. De hoc puello fert quoque testimonium Joannes, « qui est ma- » jor propheta inter natos mulierum[1] : Ecce agnus Dei[2]. » Quoniam enim Scriptura pueros infantes agnos nominat, Deum Verbum, qui propter nos homo factus est, qui nobis in omnibus assimilari volebat, vocavit agnum Dei, filium nempe Dei, infantem Patris.

CAPUT VI.

Adversus eos qui existimant puerorum et infantium appellationem significare primarum disciplinarum doctrinam.

Licet autem nobis veluti ex abundanti eos aggredi qui in reprehendendis aliis delectantur. Non enim nos pueri et infantes appellati sumus, quod sit puerilis et contemnenda nostra disciplina, ut nos calumniati sunt qui sunt inflati scientia. Statim itaque regenerati recepimus perfectionem, cujus causa festinabamus. Fuimus enim illuminati : id autem est, Deum agnoscere. Non est ergo imperfectus qui quod perfectum est cognovit. Nec me reprehenderitis, quod fatear me Deum nosse. Ipsi enim Verbo ita dicere visum est : *Is vero, liber* est. Jam enim dum tingeretur Dominus, vox e cœlis testis dilecti resonuit : « Tu es filius » meus dilectus, ego hodie genui te[1]. » Sapientes ergo hos rogemus : Christus hodie regeneratus, jam est perfectus, vel, quod est absurdissimum, ei aliquid deest? Si posterius ita est, ut aliquid disceret opus fuit : jam vero Deus cum esset, nihil didicisse fuit consentaneum. Neque enim quis Verbo major fuerit. Sed neque magister est ejus, qui solus est magister. An non ergo vel inviti fatebuntur, Verbum

[1]Luc. VII, 28.—[2]Joan. I, 29, 36.—[1]Luc. III, 22. Matth. III, 17. Marc. I, 11.

perfectum ex perfecto Patre natum, ex œconomica præordinatione esse perfecte regeneratum? Et si erat perfectus, cur qui erat perfectus tingebatur? Oportebat, inquiunt, implere humanam professionem. Optime. Concedo hoc enim. Simul ac ergo a Joanne tingitur, fit perfectus. Recte. Nihil ergo ab eo amplius didicit? Nequaquam. Solo autem lavacro perficitur, et Spiritus adventu sanctificatur? Ita habet. Hoc ipsum nobis quoque evenit, quorum fuit exemplar Dominus. Tincti, illuminamur : illuminati, in filios adoptamur : adoptati, perficimur : perfecti, immortales reddimur. « Ego, *inquit*, dixi, Dii estis, et filii Excelsi » omnes [1]. » Multis autem modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum, et lavacrum : lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus : gratia autem, qua remittuntur pœnæ quæ peccatis debentur : illuminatio autem, per quam sanctam illam et salutarem lucem intuemur, hoc est, per quam Deum perspicimus. Perfectum autem dicimus, cui nihil deest. Quid enim ei desit qui Deum novit? Est enim revera absurdum, Dei vocari gratiam quæ non sit perfecta, et undequaque plena. Nam qui est perfectus, perfecta utique largietur. Quemadmodum autem simul ac ipse jussit, fiunt omnia : ita sequitur, ut, eo quod solum gratificari voluerit, plena fuerit gratia. Quod enim futurum est temporis, id per voluntatis potentiam anticipatur. His accedit, quod liberatio a malis est initium salutis. Soli ergo, qui primum vitæ fines attigimus, jam perfecti sumus. Jam autem vivimus, qui sumus a morte separati. Christum ergo sequi, salus est. « Quod enim factum est, in ipso vita » est [2]. Amen, amen dico vobis, *inquit*, qui sermones meos » audit, et credit ei qui me misit, habet vitam æternam, » et in judicium non venit, sed transiit a morte ad vitam [3]. » Ita solum credidisse et regeneratum esse, est in vita per-

[1] Psal. LXXXII, 6. — [2] Joan. I, 4. — [3] *Id.* V, 24.

fectio. Nunquam est enim Deus imbecillus. Quemadmodum enim ejus voluntas est opus, et id Mundus nominatur: ita etiam ejus propositum est hominum salus, et ea vocata est Ecclesia. Novit ergo quos vocavit, quos servavit: simul autem vocavit, et servavit. *Ipsi* enim *vos*, inquit Apostolus, *a Deo docti estis* [1]. Nefas est ergo imperfectum judicare quod ab ipso docetur. Quod autem ab eo discitur, est æterni Servatoris æterna salus: « cui gratia in sæcula sæ» culorum, amen. » Et qui est solummodo regeneratus, et illuminatus, quemadmodum ipsum nomen indicat, et protinus a tenebris liberatur, et ab eo tempore lucem accipit. Quemadmodum ergo, qui somnum excusserunt, ab eo tempore protinus intus vigilant; vel potius, quemadmodum qui oculorum suffusionem conantur amovere, non extrinsecus eis lucem suppeditant, quam non habent, sed quod oculis impedimentum afferebat depellentes, liberam efficiunt pupillam: ita etiam qui tingimur, abstersis peccatis, quæ divino Spiritui quodammodo tenebras offundebant, liberum, ab omnique impedimento vacuum, et lucidum habemus Spiritus oculum: quo quidem solo quod divinum est intuemur, cœlitus influente nobis sancto Spiritu. Hæc est æterna aciei temperatura, quæ videre potest æternam lucem: quandoquidem quod simile est, est amicum simili: quod sanctum est autem, amicum est ei ex quo sanctum est, quod lux proprie appellatum est. « Eratis enim ali» quando tenebræ, nunc autem lux in Domino [2]. » Hinc puto ab antiquis Græcis hominem vocatum esse φῶτα, id est, lucem. At nondum, inquiunt, perfectum donum accepit. Ego quoque assentior: sed est in luce, et tenebræ ipsum non comprehendunt. Inter lucem autem et tenebras, nihil est intermedium. In resurrectione autem credentium, finis est repositus. Is autem non est aliquid aliud adipisci,

[1] 1 Thess. IV, 9.—[2] Ephes. V, 8.

quam id quod promissum erat prius assequi. Non enim eodem tempore ambo simul consistere dicimus, nempe et accessum ad finem, et accessus anticipationem. Non est enim idem, ævum et tempus : sed neque idem est appetitio et finis. Non certe. Circa unum autem ambo, et unus circa ambo versatur. Est autem, ut ita dicam, appetitio, fides quæ in tempore generatur : finis autem, promissi assecutio firma ac stabilis in sæcula. Ipse autem Dominus salutis æqualitatem apertissime revelavit, cum dixit : « Hæc » est enim voluntas Patris mei, ut omnis qui contemplatur » Filium, et credit in ipsum, habeat vitam æternam ; et re» suscitabo ipsum in novissimo die [1]. » Quatenus ergo fieri potest in hoc mundo, quem per *novissimum diem* significavit, qui eousque servatur, dum cessaverit, nos perfectos factos esse credimus. Fides enim est doctrinæ perfectio. Et ideo dicit : « Qui credit in Filium, habet vitam æternam [2]. » Si ergo qui credidimus, habemus vitam, quid reliqui est ultra vitæ æternæ possessionem ? Fidei autem, cum ex se perfecta et plena sit, nihil deest. Sin autem ei aliquid deest, non est undequaque perfecta. Neque fides in ulla re claudicat : neque postquam ex hoc loco excesserint, expectat eos qui crediderunt, cum absque ullo discrimine hic arrham acceperint. Sed cum illud quod futurum est post resurrectionem præceperimus credere, quod factum est recipimus, ut illud impleatur quod dictum est : « Fiat se» cundum fidem tuam [3]. » Ubi autem fides, hic promissio : promissionis autem perfectio est requies. Quapropter cognitio quidem est in illuminatione : finis autem cognitionis, requies. Quod quidem extremum expetendum intelligitur. Quemadmodum ergo imperitia, peritia solvitur, et inventa certa via, dubitatio : ita illuminatione tenebras deleri necesse est. Tenebræ autem sunt ignoratio, per quam in pec-

[1] Joan. VI, 40. — [2] *Id.* III, 36. — [3] Matth. IX, 29.

ntæ incidimus, circa veritatem allucinantes. Cognitio ergo st illuminatio, quæ delet ignorationem, et perspicacem videndi facultatem inserit. Quinetiam eorum quæ sunt deteriora rejectio, est meliorum revelatio. Quæ enim male colligavit ignoratio, ea pulchre resolvit agnitio. Hæc autem vincula quam celerrime remittuntur, humana quidem fide, divina vero gratia : cum nimirum remittuntur peccata uno medicamento Pæonio, nempe baptismo secundum Verbum. Omnia ergo peccata eluimus, et e vestigio mali non sumus amplius. Una enim est hæc gratia illuminationis, quod non sunt iidem mores qui erant antequam lavaremur. Quoniam autem cognitio una oritur cum illuminatione, circa mentem refulgens, et qui rudes et ignari eramus, protinus vocamur discipuli : utrumne id factum est, cum aliquando adventasset disciplina? non enim poteris tempus dicere. Catechesis enim ad fidem deducit. Fides autem simul cum baptismo docetur a divino Spiritu. Quod enim fides una sit generalis salus humanæ naturæ, eadem sit autem justi et benigni Dei erga omnes æqualitas et communicatio, Paulus manifestissime exposuit, sic dicens : « Priusquam autem » veniret fides, custodiebamur sub Lege, conclusi sub fide, » quæ erat revelanda. Quare Lex fuit noster pædagogus in » Christo, ut ex fide justificemur. Postquam autem venit » fides, non sumus amplius sub pædagogo [1]. » Non auditis nos non esse amplius sub illa lege quæ erat cum timore, sed sub Verbo, qui est pædagogus liberi arbitrii? Deinde subjunxit vocem quæ est remota ab omni personarum acceptione : « Omnes enim filii estis per fidem Dei in Christo » Jesu. Quicumque enim in Christum baptizati estis, Chris» tum induistis. Non est Judæus nec Græcus, non est ser» vus nec liber, non est masculus et fœmina. Omnes enim » vos unus estis in Christo Jesu [2]. ». Non ergo alii quidem

[1] Galat. III, 23, 24, 25. — [2] *Ibid.* 26, 27, 28.

sunt cognitione præditi, alii autem animales, in eodem Verbo : sed omnes qui concupiscentias carnales deposuerunt, sunt æquales et spiritales apud Dominum. Et rursus alibi scribit : « Etenim uno spiritu omnes nos in unum cor» pus baptizati sumus, sive Judæi, sive Græci, sive servi, » sive liberi : et omnes ex uno poculo bibimus [1]. » Neque vero absurdum fuerit illorum quoque ipsorum verbis uti qui meliorum recordationem, percolationem esse dicunt Spiritus. Percolationem autem dicunt, pejorum, quæ meliorum recordatione fit, separationem. Eum itaque qui meliora revocavit in memoriam, necessario sequitur pœnitentia propter deteriora. Ipsum ergo Spiritum pœnitentia adductum recurrisse fatentur. Eodem modo nos quoque nostrorum peccatorum moti pœnitentia, delictis renuntiantes, baptismo percolati, ad æternam quoque lucem recurrimus, filii ad patrem. « Exultans itaque in Spiritu Jesus, » Confiteor tibi, Pater, *inquit*, Deus cœli et terræ, quod » abscondisti hæc a sapientibus et intelligentibus, et revelasti ea parvulis [2]. » Infantes nos ac *parvulos* Pædagogus et magister appellans, qui sapientibus qui sunt in mundo sumus aptiores ad salutem, qui sapientes seipsos existimantes superbia inflati sunt; exclamat exultans, et mirandum in modum lætus, tanquam una cum infantibus balbutiens: « Recte, o Pater, quia sic complacuit ante te [3]. » Propterea quæ absconsa sunt a sapientibus et intelligentibus hujus quod nunc est sæculi, revelata sunt infantibus. Merito ergo Dei sumus pueri, qui veterem quidem hominem deposuimus, et vitii tunicam exuimus, Dei autem incorruptionem induimus, ut novus facti populus sanctus, regenerati, impollutum hominem custodiamus. Et infans quidem, tanquam Dei puellus, a fornicatione et improbitate est expurgatus. Manifestissime itaque beatus Paulus nos ab hac quæ-

[1] 1 Cor. xii, 13. — [2] Luc. x, 21. — [3] *Ibid.*

tione expedivit, in priore epistola ad Corinthios sic scribens : « Fratres, ne pueri efficiamini mentibus, sed sitis vitio in» fantes, mentibus autem estote perfecti [1]. » Illud autem : « Quando eram parvulus, cogitabam ut parvulus, loquebar » ut parvulus [2], » quam sub lege egit vitam significat, in qua non ut jam simplex, sed ut adhuc insipiens, stulta quidem animo agitans, persequebatur : stulta autem loquens, blasphemiis Verbum incessebat. Duo enim significat τὸ νήπιον, *infantem* videlicet, et *stultum*. « Postquam factus sum, » *inquit*, vir (*rursus dicit Paulus*) feci ut cessarent ea » quæ erant infantis [3]. » Non ætatis imperfectam magnitudinem, sed nec temporis præfinitam mensuram, neque virilium et perfectiorum disciplinarum arcanas significat doctrinas, cum infantiam relegat, qui se eam annuntiare profitetur Apostolus. Sed infantes quidem dicit eos qui sunt in lege, qui, non secus ac larvis pueri, timore perturbantur : viros autem, qui Verbo paremus, nostrique sumus juris et arbitrii, vocavit nos qui credidimus, spontanea electione servati, sapienter, non insipienter metu territi. De hac re testimonium feret ipse Apostolus, Judæos secundum prius testamentum dicens hæredes, nos autem secundum promissionem. « Dico autem, *inquit*, quamdiu hæres est » infans, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium, » sed est sub tutoribus et curatoribus usque ad patris præ» finitum tempus : ita et nos, quando eramus sub elementis » mundi, in servitute eramus : quando autem venit plenit» udo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, » factum sub Lege, ut eos qui erant sub Lege redimeret, » ut adoptionem filiorum per ipsum reciperemus [4]. » Vide, quomodo confessus est esse infantes qui timori et peccatis subjecti sunt : eos autem qui sub fide sunt filios vocans, viros effecit, ut eos distingueret ab infantibus qui sunt in

[1] 1 Cor. xiv, 22. — [2] *Ibid.* xiii, 11. — [3] *Ibid.* — [4] Gal. iv, 1, 2, 3, 4, 5.

Lege. « Non es enim, *inquit*, amplius servus, sed filius. » Sin autem filius, et hæres per Deum [1]. » Quid ergo filio deest post hæreditatem? Eleganter ergo sic exponi potest illud : *Quando eram infans* [2] *:* hoc est, quando eram Judæus (erat enim origine Hebræus), *cogitabam ut infans*, quoniam sequebar Legem : « postquam autem factus sum » vir, non amplius quæ sunt infantis, » hoc est, quæ sunt Legis, sed quæ sunt viri, *cogito;* hoc est, quæ sunt Christi, quem solum virum Scriptura vocat, ut ante diximus, « cessare feci quæ sunt infantis. » Quæ est autem in Christo infantia, est perfectio. Itaque hac in parte contra Legem patrocinari nostræ infantiæ debemus. Est præterea interpretandum id quoque, quod ab Apostolo dictum est: « Lac vobis potum dedi, tanquam infantibus in Christo, » non cibum : nondum enim poteratis, sed neque adhuc » nunc potestis [3]. » Non enim mihi videtur judaice accipiendum quod dicit. Nam illam Scripturam ei ex adverso opponam : « Inducam vos in terram bonam, lacte et melle » fluentem [4]. » Exoritur itaque maxima dubitatio harum Scripturarum collationem attendentibus. Si enim fidei in Christum principium est, quæ per lac designatur infantia; ea autem, tanquam puerilis et imperfecta, vilipenditur: quomodo ejus qui est perfectus et scientia præditus, post cibum requies, infantili rursus lacte honorata est? Numquid ergo hoc, ut quod quamdam parabolam declarat, tale quid significat; et est utique hoc dictum ita legendum: *Lac vobis potum dedi in Christo :* et parvo interjecto spatio subjungamus, *tanquam infantibus?* ut per lectionis distinctionem, talem sensum accipiamus : Catechizavi vos in Christo, simplici et vero et per se naturali alimento spiritali : talis est enim lactis, quæ est altrix animalium,

[1] Gal. IV, 7. — [2] I Cor. XIII, 11. — [3] *Ibid.* III, 2. — [4] Exod. III, 8, 17, et sæpe alibi.

substantia, ex amantibus uberibus scaturiens: ita ut universum sic intelligatur: Quemadmodum nutrices recenter natos infantes lacte nutriunt: ita ego Christi lacte, nempe Verbo, vobis spirituale nutrimentum instillans. Ita ergo perfectum est alimentum lac perfectum, et ad finem qui nunquam cessaturus est deducit. Quocirca in requie quoque idem ipsum lac et mel promittitur. Jure enim rursus justis lac Dominus pollicetur, ut aperte Verbum esse utrumque ostendatur, A et Ω, *principium et finis* [1]: Verbum, inquam, quod lac allegorice dicitur. Tale quid Homerus vel invitus divinat, justos homines γαλακτοφάγους, hoc est, qui lacte vescuntur, appellans. Potest etiam ita Scriptura accipi: « Et ego, fratres, non potui loqui vobis tanquam spiritua» libus, sed tanquam carnalibus, tanquam infantibus in » Christo [2]. » Ut possint *carnales* intelligi, qui recenter fuerunt instituti, et catechumeni facti, et adhuc infantes in Christo. Spirituales enim eos qui sancto Spiritui jam crediderunt, appellavit: carnales autem, eos qui nuper catechizati sunt, nec adhuc sunt expurgati: quos merito *adhuc carnales* [3] dicit, ut qui æque ac Gentes ea quæ erant carnis cogitabant. « Ubi enim inter vos æmulatio et lis, an non » carnales estis, et secundum hominem ambulatis? » Quocirca etiam, *Lac vobis*, inquit, *potum dedi* [4]: cognitionem, dicens, vobis infudi, quæ ex catechesi data est, quæ nutrit in vitam æternam. Quinetiam hoc verbum, *Potum dedi*, est symbolum ac signum perfectæ participationis. Qui enim perfecti sunt, dicuntur bibere; infantes autem, sugere. « Sanguis enim meus, *inquit Dominus*, verus est » potus [5]. » Numquid ergo, cum dixit, *Lac potum dedi*, significavit perfectam in Verbo, lacte, lætitiam, veritatis scilicet cognitionem? Quod autem deinceps subjungitur,

[1] Apoc. I, 8; XXI, 6; XXII, 13.—[2] I Cor. III, 1. — [3] *Ibid.* 3. — [4] *Ibid.* 2.— [5] Joan. VI, 55.

Non cibum, nondum enim poteràtis, evidentem quæ erit in futuro sæculo revelationem, instar cibi, *facie ad faciem*[1], potest significare. « Videmus enim nunc tanquam per speculum, *dicit idem Apostolus*, tunc autem facie ad faciem. » Quocirca illud quoque subjunxit : « Sed neque nunc potestis, adhuc enim carnales estis, » quæ sunt carnis cogitantes, concupiscentes, amantes, æmulantes, irascentes, invidentes : *Non enim in carne amplius sumus*[2], ut quidam existimarunt : cum ea enim faciem Angelis æqualem habentes, promissum facie ad faciem videbimus. Quomodo autem, si vere est illud promissum, postquam hinc excesserimus, « quod oculus non vidit, neque in mentem hominis ascendit[3], » se id novisse dicunt, cum spiritu non intellexerint, sed ex disciplina acceperint, quod auris nunquam audivit, præterquam illa sola quæ *in tertium cœlum rapta est*[4], et illa quoque silentio obtegere jubebatur? Sin autem humana sapientia, quod quidem restat intelligendum, sit cognitionis gloriatio, audi legem Scripturæ: « Ne glorietur sapiens in sapientia sua : et non glorietur fortis in fortitudine sua : sed qui gloriatur, in Domino glorietur[5]. » Nos autem a Deo docti sumus, et in Christi nomine gloriamur. Quomodo ergo non est existimandum, Apostolum hoc modo intelligere *lac infantium?* siquidem pastores sumus, qui ecclesiis præsumus ad imaginem boni *Pastoris*, vos autem oves; an non eum, qui lac quoque gregis dicit Dominum, servare consequentiam in allegoria? Jam vero dictum rursus huic sensui applicare debemus, « Lac vobis potum dedi, non cibum, nondum enim poteratis : » non aliquid aliud quam lac cibum existimantes, sed idem substantia. Similiter enim idem ipsum quoque Verbum vel est laxum et mite, ut lac; vel concretum et

[1] 1 Cor. xiii, 12. — [2] Rom. viii, 9. — [3] 1 Cor. ii, 9. — [4] 2 Cor. xii, 2, 3, 4. — [5] Jerem. ix, 23, 1 Cor. i, 31. 2 Cor. x, 17.

coactum, ut cibus. Verum enim vero si sic acceperimus, potest a nobis lac intelligi prædicatio, quæ plurimum diffusa est; cibus autem, fides, quæ a catechesi in fundamentum coacta et conversa est: quæ cum sit auditione solidior, cibo assimilatur in ipsa anima, tale alimentum in substantiam convertens. Alibi quoque Dominus in Evangelio secundum Joannem aliter hoc per symbola ac signa exposuit, cum dixit: « Comedite carnes meas, et bibite meum sanguinem [1]: » evidens fidei et promissionis symbolum innuens id esse, quod est poculentum; per quæ Ecclesia, tanquam homo, ex multis constans membris, irrigatur et augetur, et ex utrisque conflatur et coalescit: corpore quidem, fide; anima vero, spe: quemadmodum Dominus quoque ex carne et sanguine. Revera enim sanguis fidei est spes, qua continetur fides tanquam ab anima: cum autem spes expiraverit, perinde ac si sanguis effluxerit, vitalis fidei facultas dissolvitur. Quod si velint nonnulli contendere, dicentes *lac* primas significare disciplinas, tanquam prima nutrimenta; cibum autem, spirituales cognitiones, ad quas seipsos propter scientiam erigunt: sciant, quod cum utique cibum dicant *nutrimentum solidum*, et carnem et sanguinem Jesu, gloriabunda sua sapientia ad veram simplicitatem deferantur. Sanguis enim invenitur primum genitus in homine, quem nonnulli dicere ausi sunt substantiam animæ. Hic autem sanguis naturali conversus concoctione, postquam mater concepit, et uterum gerit, per naturalem quamdam sympathiam deflorescit, et senescit, ut sit infans absque metu: et carne quidem humidior est sanguis, ut qui sit veluti quædam caro humida: sanguine autem lac est jucundius et subtilius. Sive enim est sanguis qui fœtui, qui est in utero, suppeditatur, et per maternum prius umbilicum mittitur; sive ipsa menstrua a proprio motu exclusa,

[1] Joan. VI, 53, 54.

naturali diffusione ab almo et generationis auctore Deo ad ubera jam turgentia se conferre jubentur, et a calore convertuntur spirituum, atque ita efficitur jucundum et suave nutrimentum: id quod mutatur sanguis est; ex omnibus enim membris maximum habent consensum ubera cum matrice. Ubi enim in partu vas abscissum fuerit per quod sanguis ad fœtum deferebatur, obstruitur quidem meatus, sanguis autem ad ubera impellitur, et cum illuc permultum defluxerit, extenduntur, et sanguis in lac mutatur, non secus ac mutatur sanguis in pus in ulceratione: sive a venis quæ sitæ sunt in mamillis, per fœturæ distensiones apertis, in naturales mamillarum cavernas sanguis transfunditur, ei autem commixtus qui ex vicinis arteriis emittitur, spiritus, manente integra quæ subjicitur sanguinis substantia, undæ instar agitatus albescit, et tali interruptione ritu spumæ mutatur, affectione quadam ei qui mari evenit non absimili, quod quidem poëtæ dicunt ventorum concitum insultibus, *salis asperginem expuere;* verumtamen adhuc habet sanguinis substantiam. Eodem modo fluvii quoque, dum magno feruntur impetu, circumfusi aëris interceptione lancinati, spumam cum murmure exprimunt: et quod in ore nostro est humidum, spiritu exalbescit. Quam est ergo absurdum non fateri, sanguinem in eum fulgorem eamque albedinem a spiritu converti! Hanc autem mutationem suscipit in qualitate, non autem in substantia? Nihil certe quod melius nutriat, neque quod sit dulcius nec candidius lacte, inveneris. Est id itaque omni ex parte spirituali nutrimento simile, quod est quidem dulce propter gratiam, nutriens autem tanquam vita, candidum autem ut dies Christi. Sed et sanguinem Verbi ostensum est esse tanquam lac. Ea ergo ratione in puerperio dispensatum lac infanti subministratur, et ubera, quæ interim recta virum respiciebant, jam ad puellum inclinantur, quod a natura ela-

boratum est nutrimentum, ut facile capiendum exhibeant edocta, ad salutis refectionem. Non enim tanquam fontes ubera parato lacte influente plena sunt, sed, alimentum mutantia, lac in se ipsis efficiunt et exhalant. Alimentum autem, quod est ipsum conveniens ac utile puello recenter compacto et nato, a Deo altore et patre eorum qui generantur et regenerantur, elaboratur, quemadmodum veteribus Hebræis manna cœlitus defluebat, cœleste Angelorum nutrimentum. Unde et nunc quoque nutrices, eam quæ primum funditur lactis potionem, eodem quo illud nutrimentum nomine, *manna* appellaverunt. Cæterum mulieres quidem prægnantes, cum matres factæ fuerint, lac emittunt. Dominus autem Christus, fructus Virginis, non beata duxit ubera fœminea, nec ea ad nutrimentum delegit : sed cum amans et benignus Pater Verbum impluisset, ipsum jam spirituale alimentum factum est bonis hominibus. O miraculum mysticum ! Unus quidem est universorum Pater. Unum est etiam Verbum universorum, et Spiritus sanctus unus, et ipse est ubique. Una autem sola est mater virgo : mihi autem placet eam vocare Ecclesiam. Lac non habuit mater hæc sola, quoniam sola non fuit mulier. Virgo est autem simul, et mater : integra quidem et inviolata, ut virgo : amans autem, ut mater : quæ suos accersens infantulos, sancto lacte, nempe Verbo infantili, enutrit. Ideo autem lac non habuit, quod lac esset hic infantulus pulcher et conjunctus, scilicet corpus Christi, novum cœtum Verbo nutriens : quem ipse Dominus carnali dolore peperit : quem ipse fasciis alligavit Dominus, pretioso sanguine. O sanctum partum ! o sanctas fascias ! Verbum est omnia infanti, et pater, et mater, et pædagogus, et altor : « Comedite, » *inquit*[1], meam carnem, et bibite meum sanguinem[2]. » Hæc

[1] Vide D. Guillon, p. 422.
[2] Joan. VI, 53, 54.

convenientia alimenta nobis suppeditat Dominus, et carnem præbet, et effundit sanguinem : et ad incrementum nihil deest infantulis. O admirabile mysterium ! Veterem et carnalem nos jubet exuere corruptionem, quemadmodum et vetus nutrimentum ; alterius autem novæ Christi diætæ effectos participes, illum, si fieri possit, recipientes, in nobis ipsis reponere ; et Servatorem intra pectus condere, ut carnis nostræ affectus componamus. At non vis sic intelligere, sed fortasse communius. Hoc quoque modo audias. Carnem nobis allegorice sanctus significat Spiritus : ab ipso enim caro fabricata est. Sanguis Verbum nobis designat : tanquam enim dives sanguis, Verbum vitæ infusum est. Amborum autem temperatura est Dominus, alimentum infantium : Dominus, qui est Spiritus et Verbum. Alimentum, id est Dominus Jesus, hoc est, Verbum Dei Spiritus incarnatus ; caro cœlestis sanctificata. Alimentum est lac Patris, quo solo aluntur infantuli. Ipse itaque, qui est dilectus et altor noster, Verbum, effudit pro nobis suum sanguinem, salutem humanæ naturæ afferens, per quem, qui in Deum credidimus, ad mamillam Patris, quæ curarum oblivionem inducit, nempe Verbum, confugimus. Ille autem solus, ut est consentaneum, nobis lac dilectionis infantibus suppeditat. Iique sunt vere beati, qui hanc lactant mamillam. Et ideo Petrus quoque dicit : « Deposito » ergo omni vitio, et omni dolo, et simulatione, et invidia, » et detrectatione, tanquam nuper nati infantes verbale lac » concupiistis, ut in ipso crescatis in salutem, si gustastis » quod Christus Dominus[1]. » Quod si quispiam etiam eis concesserit, cibum aliquid aliud esse præter lac, tum quomodo non a seipsis configentur, ut qui naturam non consideraverint ? Etenim alimentum, cum hiems continens obstruat, et intus concluso calido non præbeat exitum,

[1] 1 Petr. II, 1, 2, 3.

concoctum et in sanguinem versum fluit in venas. Illæ autem, cum eis non detur perspiratio, impletæ maxime intenduntur, et micant. Quocirca nutrices quoque lacte tunc maxime plenæ sunt. A nobis autem paulo ante ostensum est, sanguinem prægnantibus in lac deduci, mutatum quidem, sed nequaquam conversa substantia, quemadmodum scilicet senescentibus pili flavi mutantur in canos. Æstate autem rursus corpus, cum sit rarius, ut alimentum facilius differatur efficit : et lac minime abundat, quoniam neque sanguis; neque enim universum continetur nutrimentum. Si ergo cibi quidem confectio in sanguinem mutatur, sanguis vero lactescit, sanguis est lactis præparatio, sicut sanguis hominis, et acinus vineæ. Lacte ergo, dominico scilicet nutrimento, statim quidem postquam editi sumus alimur : simul ac autem regenerati fuimus, honore affecti sumus, dum spes quietis annuntiatur, superna Hierusalem, in qua et mel et lac pluere scriptum est; dum per materiale, sanctum nobis alimentum despondetur. *Cibi enim*, sicut ait Apostolus, *abolentur*[1] *:* quod per lac autem est nutrimentum, deducit in cœlos, cives cœlorum, et cum Angelis chororum ductores enutriens. Quoniam autem Verbum est fons vitæ scaturiens, et flumen olei dictum est, merito Paulus allegorice loquens, et ipsum *lac* nominans, subjungit : *Potum dedi*[2]. Verbum enim bibitur, alimentum veritatis. Certe potus quoque vocatur humidum nutrimentum. Potest autem res eadem esse et cibus, certo modo se habens, et potus, si alio et alio modo consideretur : quemadmodum caseus quoque est lactis concretio, vel lac concretum : neque enim dictiones aucupari mihi in præsentia curæ est, præterquam quod utrumque nutrimentum una subministrat substantia. Cæterum pueris quoque lactentibus lac solum sufficit, ut sit et potus et alimentum. « Ego,

[1] I Cor. VI, 13. — [2] Ibid. III, 2.

» *inquit Dominus,* habeo manducare cibum quem vos » nescitis. Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus qui » misit me[1]. » Videte alium cibum, qui, quemadmodum lac, allegorice sumitur pro voluntate Dei. Quinetiam propriæ passionis complementum abusive *poculum*[2] appellavit, quando eam ebibere ac exhaurire et perficere ipsum solum oportebat. Ita Christo quidem nutrimentum erat paternæ voluntatis adimpletio. Nobis autem ipse Christus infantibus est alimentum, qui Verbum cœlorum exugimus. Hinc quærere Græce dicitur μαστεῦσαι, quod infantibus, qui Verbum quærunt, paterna benignitatis ubera lac suppeditent. Præterea autem seipsum quoque panem cœlorum Verbum fatetur : « Non *enim* Moses, *inquit,* dedit vobis » panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo » verum : panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, et » vitam dat mundo. Et panis quem ego dabo, caro mea » est, quam ego dabo pro mundi vita [3]. » Hic panis notandum est mysterium, quod ipsum dicat carnem, ut quæ per ignem resurgat, quemadmodum ex corruptione et satione frumentum resurgit; atque adeo quæ etiam per ignem consistat, in gaudium Ecclesiæ, ut panis qui pinsitur. Sed hoc rursus a nobis dicetur apertius in libro de Resurrectione. Quoniam autem dixit, « Et panis quem ego dabo, caro » mea est; » caro autem sanguine irrigatur, sanguis autem vinum allegorice dicitur; sciendum est quod panis in vinum temperatum minutatim conjectus, vinum arripit, quod est aqueum autem relinquit : ita etiam caro Domini, quæ est panis cœlorum, ebibit sanguinem : eos qui ex hominibus sunt cœlestes, ad incorruptionem enutriens, solas autem illas carnales cupiditates ad corruptionem relinquens. Ita Verbum multis modis allegorice dicitur, et cibus, et

[1] Joan. IV, 32, 34. — [2] Matth. XX, 22. Marc. X, 38. Joan. XVIII, 11. — [3] Joan. VI, 32, 33, 51.

caro, et nutrimentum, et panis, et sanguis, et lac. Omnia est Dominus, ut nos eo fruamur, qui in ipsum credidimus. Ne quis igitur miretur, quod nos sanguinem Domini *lac* allegorice dicamus : annon enim vinum quoque allegorice dicitur? « Qui lavat, *inquit*, in vino vestem suam, et in » sanguine uvæ indumentum suum[1]. » In Spiritu suo dicit se ornaturum corpus Verbi, quemadmodum scilicet suo Spiritu enutriet eos qui Verbum esuriunt. Quod autem sanguis sit Verbum, Abel *justi*[2] sanguis fert testimonium, qui Deum interpellat. Sanguis enim vocem nunquam emittet, nisi sanguis Verbum intelligatur. Vetus enim justus typus est novi justi : et sanguis vetus, qui interpellat, pro novo sanguine interpellat. Deum autem alloquitur sanguis, qui est Verbum, quoniam significavit Verbum, quod erat passurum. Cæterum caro quoque ipsa, et sanguis, qui est in ipsa, veluti per quamdam remunerationem, lacte irrigatur et augetur. Porro autem ejus quod conceptum est formatio fit semine commixto ac contemperato cum puro, quod relictum est, excremento menstruæ purgationis. Quæ est enim in eo facultas, sanguinis naturam conglobans, quemadmodum coagulum facit lac concrescere, formaturæ efficit substantiam. Facile enim generat bona temperatura : quæ autem sunt extrema, propensa sunt ad filiorum sterilitatem. Nam in ipsa etiam terra, quod nimiis imbribus inundatur, semen abstrahitur, propter humoris autem siccitatem desiccatur : qui est autem viscosus succus, semen continet et producit. Jam vero nonnulli quoque animalis semen statuunt esse spumam sanguinis quoad substantiam, qui innato masculi calore in conjunctione turbatus, ejectus spumescit, et deponitur in venis seminariis. Hinc Diogenes Apolloniates vult res venereas Græce esse dictas ἀφροδίσια. Ex his omnibus clarum est, sanguinem esse humani corpo-

[1] Genes. XLIX, 11. — [2] Ibid. IV, 10. Hebr. XII, 24.

ris substantiam. Quinetiam quod est in utero, primum quidem est lactea humidi coagulatio: deinde hæc coagulatio, in sanguinem conversa, caro efficitur : concreta autem in utero a naturali et calido spiritu, a quo effingitur fœtus, vivificatur. Quinetiam postquam est in lucem editus puellus, eodem sanguine alitur. Natura enim sanguinis est fluxus lactis, et fons nutrimenti lac est, quo etiam mulier ostenditur et vere peperisse, et esse mater : per quod etiam benevolentiæ stimulum accipit. Propterea ergo qui in Apostolo erat sanctus Spiritus, Domini voce utens, dicit mystice : *Lac vobis potum dedi* [1]. Si enim in Christo regenerati sumus, qui nos regeneravit, proprio lacte nutrit, nempe Verbo. Quidquid enim generavit, ei quod generatur protinus alimentum præbere est consentaneum. Quemadmodum autem regeneratio convenienter, ita etiam nutrimentum fuit homini spirituale. Omni ergo ratione nos in omnibus Christo conjungimur: et in cognatione, per sanguinem ejus, quo redimimur : et in sympathia, per nutritionem, quæ ex Verbo efficitur : et in incorruptione, per ejus ipsius institutionem, et vitæ agendæ rationem:

> Aluisse autem inter homines sæpe affert
> Plura amoris incitamenta, quam procreasse liberos.

Idem ergo sanguis et lac, passionis et doctrinæ Domini est symbolum. Unicuique ergo nostrum, qui infantes sumus, licet de Domino gloriari, et eloqui:

> Patre bono, talique ex sanguine glorior esse.

Quod autem lac ex sanguine fiat per mutationem, jam quidem clarum est : verum id etiam et ex pecoribus et ex bobus licet cognoscere. Hæc enim animalia tempore anni quod ver vocamus, cum humidior sit aër, herbæque et pascua sint melioris succi et magis roscida, sanguine prius

[1] 1 Cor. III, 2.

implentur, ut ex venarum distensione, vasibus rotundioribus factis, licet cognoscere; ex sanguine autem lac funditur uberius: contra autem æstate, ab æstu adustus et arefactus sistit sanguis mutationem, et ideo minus mulgentur. Quinetiam lac quoque habet maxime naturalem cum aqua cognationem, quemadmodum scilicet cum nutrimento spirituali lavacrum spirituale. Qui itaque in prædicto lacte frigidæ aquæ parum exorbent, statim juvantur: non sinit enim lac acescere, quæ est illi cum aqua societas, non propter repugnantiam aliquam, sed dum per conjunctam illi affectionem maturatur. Et quam habet Verbum cum baptismo societatem, eamdem habet lac cum aqua convenientiam: hoc enim solum ex humidis suscipit cum aqua mixtionem, receptum propter purgationem, quemadmodum baptismus propter remissionem peccatorum. Apte etiam et apposite melle miscetur, idque rursus propter purgationem, cum dulci nutrimento. Verbum enim benignitate commixtum, simul et animi medetur affectionibus, et expurgat peccata, illudque,

. . . . Melle dulcior emanat sermo,

mihi videtur dictum esse de Verbo, quod est mel. Multis autem in locis Prophetia eum extollit *super mel et favum*[1]. Porro autem miscetur quoque lac vino dulci: est autem utilis mixtio, veluti contemperata passione ad incorruptionem. Lac enim a vino serescit, et finditur, et quidquid est ejus adulterinum, id tanquam per aquæductum educitur. Eodem autem modo spiritualis fidei societas se habet in hominem patibilem. Serescere enim faciens carnales concupiscentias, hominem ad æternitatem una cum divinis mittit, immortalem efficiens. Sed et multi adipe lactis, quod butyrum vocant, utuntur ad lucernam; multiplicem Verbi misericordiam

[1] Psal. XIX, 10; CXIX, 103.

per hoc ænigma aperte significantes, ut quod solum justa nutriat, et augeat, et illuminet infantes. Propterea enim Scriptura quoque dicit de Domino : « Cibavit eos germina » agrorum : suxerunt mel de petra, et oleum ex petra so» lida : butyrum boum, et lac ovium, cum adipe agno» rum[1], » et quæ sequuntur, dedit eis. Quinetiam prædicens Propheta pueri generationem : « Butyrum, *inquit*, et » mel comedet[2]. » Mihi autem subit nonnunquam admirari, quomodo audent quidam seipsos vocare perfectos et Gnosticos, plus de se quam Apostolus sentientes, inflati, et exultantes, cum ipse Paulus de se fateatur : « Non quod jam » accepi, vel jam perfectus sum : persequor autem, si etiam » comprehendam, propter quod et comprehensus sum a » Christo. Fratres, ego meipsum nondum existimo com» prehendisse. Unum autem eorum quæ retro sunt obli» viscens, ad ea autem quæ ante sunt me extendens, se» cundum scopum persequor brabium supernæ vocationis » in Christo Jesu[3]. » Et seipsum quidem perfectum existimat, quod a priore vita liberatus sit : meliorem autem persequitur, non tanquam in cognitione perfectus, sed tanquam id quod est perfectum desiderans. Et ideo subjungit : « Qui» cumque ergo perfecti, hoc sentimus[4] : » perfectionem scilicet dicens renuntiasse peccatis, et in fidem ejus qui est perfectus esse regeneratos, posteriorum peccatorum, quæ pone sunt, oblitos.

CAPUT VII.

Quis sit Pædagogus : et de ejus pædagogia.

Quoniam ergo ostendimus, *pueros* nos omnes a Scriptura vocari, nec id solum, sed etiam qui Christum secuti sumus,

[1] Deut. XXXII, 13, 14. — [2] Isai. VII, 15. — [3] Philip. III, 12, 13, 14. — [4] Ibid. 15.

os infantes dictos esse allegorice; solum autem esse perfectum Patrem universorum (in ipso enim Filius, et in Filio Pater); restat ut nos, ordinem secuti, dicamus quis sit noster Pædagogus. Vocatur autem Jesus. Nonnunquam ergo seipsum pastorem vocat, et dicit: « Ego sum pastor bonus [1]: » metaphora sumpta a pastoribus, qui ducunt oves, intelligitur, qui pueros ducit, pædagogus, qui est pastor curam gerens infantium. Infantes enim simplices, oves dicuntur allegorice. « Et erunt, *inquit*, omnes unus grex, et unus pastor [2]. » Pædagogus ergo jure Verbum dicitur, qui pueros nos ducit ad salutem. Evidentissime ergo Verbum dicit de seipso per Oseam: « Ego autem sum præceptor vester [3]. » Pædagogia autem est divina religio, ut quæ sit doctrina divini cultus, et eruditio ad assequendam veritatis cognitionem et recta institutio quæ in cœlum deducit. Pædagogia autem multis modis appellatur. Est enim pædagogia ejus qui ducitur et discit; et pædagogia ejus qui ducit et docet: et tertio pædagogia est ipsa deductio et institutio: et quarto pædagogia est ea quæ docentur, ut præcepta. Est autem ea quæ est ex Deo pædagogia, veritatis directio ad Dei contemplationem, et sanctarum actionum aperta ac evidens descriptio in æterna perseverantia. Quemadmodum ergo phalangem dirigit dux exercitus, militum salutis curam gerens; et gubernator navis clavum regit, volens servare vectores: ita etiam Pædagogus ducit pueros ad salutarem vitæ agendæ rationem, ut nostri ipsorum curam gerat. Et in summa, quæcumque a Deo juste nobis fieri petierimus, ea nobis aderunt, si Pædagogo paruerimus. Quemadmodum ergo gubernator non semper cedit ventis, sed proram contra obvertens, universis resistit tempestatibus: ita Pædagogus legibus quæ sunt in hoc mundo nunquam cedit, nec eis puerum, tanquam cym-

[1] Joan. x, 11. — [2] Ibid. 16. — [3] Osee. v, 2.

ea rursus dixit : « Ne timeas descendere in Ægyptum[1]. » Vide quomodo justum sequitur Pædagogus, et quomodo palæstritam inungit, docens supplantare adversarium. Hic ipse Mosem quoque docet fungi pædagogi officio. Dicit enim Dominus : « Si quis peccavit coram me, deleo eum » de libro meo : nunc autem vade, et deduc populum hunc » in locum quem dixi tibi[2]. » Hoc in loco est magister pædagogiæ. Revera enim Dominus per Mosem Pædagogus veteris populi, per seipsum autem, populi novi dux, facie ad faciem. « Ecce *enim, dixit Mosi,* Angelus meus præcedit » te[3] : » evangelicam et principalem Verbi potestatem præficiens; dominicam autem auctoritatem ac dignitatem conservans : « Quo autem die, *inquit,* visitavero, inducam su» per ipsos peccatum ipsorum[4] : » hoc est, Quo die judex fuero constitutus, reddam quæ eorum peccatis respondeant. Idem enim, Pædagogus et judex, eos qui ipsi non obedierunt judicat. Eorum autem peccatum benignum Verbum nequaquam silentio præterit. Arguit autem, ut ducantur pœnitentia ; « Mavult enim Dominus pœnitentiam » peccatoris, quam mortem[5]. » Nos autem, cum tanquam infantes aliorum peccata auditione acceperimus, minarum metu, ne similia patiamur, ab ejusmodi delictis abstineamus. Quidnam fuit ergo, quod peccarunt ? « Quod in ira » sua homines occiderunt, et sua cupiditate tauro nervos » præciderunt : execranda est ira ipsorum[6]. » Quis ergo nos eo benignius et humanius erudierit ? Prius itaque veteri populo vetus erat Testamentum, et Lex cum metu populum erudiebat, et Verbum erat angelus : novo autem et recenti populo, novum ac recens Testamentum datum est, et Verbum fuit factum, et metus in dilectionem conversus est, et mysticus ille angelus Jesus paritur. Hic enim ipse

[1] Genes. XLVI, 3. — [2] Exod. XXXII, 33, 34. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ezech. XVIII, 23, 32; XXXIII, 11. — [6] Gen. XLIX, 6.

Pædagogus tunc quidem, « Dominum Deum timebis[1], » dicebat : nobis autem hoc suasit, « Diliges Dominum Deum » tuum[2] : » unde et nobis præcipit, « Cessate ab operibus » vestris, » peccatis veteribus : « discite benefacere : declina » a malo, et fac bonum : dilexisti justitiam, odio habuisti » iniquitatem[3]. » Hoc est meum novum Testamentum, veteri littera impressum. Non est ergo exprobranda Verbi novitas. Sed Dominus quoque dicit in Hieremia : « Ne dicas, » quod sum junior. Antequam te formarim in utero, novi » te, et antequam egredereris e matrice, sanctificavi te[4]. » His nos potest prophetia significare, qui ante mundi constitutionem Deo ad fidem fuimus cogniti; nunc autem sumus infantes propter impletam nuper Dei voluntatem, quatenus ad vocationem et salutem recenter nati sumus. Quocirca etiam subjungit : « Prophetam ad gentes posui te[5] : » dicens eum oportere prophetare, ne putent junioris appellationem probrum esse iis qui vocantur infantes. Lex autem est vetus gratia per Mosem a Verbo data. Quocirca dixit quoque Scriptura : « Lex per Mosem data est[6] : » non a Mose, sed a Verbo quidem; verum *per Mosem*, servum ejus : et ideo fuit ad tempus : æterna « autem gratia et veritas per Jesum » Christum facta est. » Videte verba Scripturæ. De Lege quidem, *data est*, inquit, tantum : *Veritas* autem, quæ est gratia Patris, est æternum Verbi opus : et non dicitur dari, sed *per Jesum fieri, sine quo factum est nihil*[7]. Jam vero Moses prophetice perfecto cedens Pædagogo, nempe Verbo, et nomen et Pædagogiam prædicit, et populo commendat Pædagogum, præceptis ei obedientiæ traditis : « Prophetam » vobis suscitabit, *inquit*, Deus tanquam me de fratribus » vestris[8] : » per Jesum Nave filium, Jesum Dei filium significans : nomen enim Jesu, quod in Lege prædicebatur,

[1] Deut. vi, 2. — [2] Matth. xxii, 37. — [3] Isai. i, 16, et 17. Psal. xxx, 14, et xlv, 7. — [4] Jer. i, 7, 5. — [5] Ibid. — [6] Joan. i, 17. — [7] Ibid. 3. — [8] Deut. xviii, 15.

erat adumbratio Domini. Subjungit itaque, quod populo utile futurum erat consulens : *Ipsum audietis*[1], dicens : « Et homo qui non audierit Prophetam hunc[2], » ei minatur. Tale nobis prædicit nomen salutaris Pædagogi. Propterea ei virgam adjungit prophetia, virgam disciplinæ, imperii, et potestatis : ut quibus Verbum suadendo non medetur, eis minæ medeantur. Quibus autem non medentur minæ, eis virga medebitur. Quibus vero virga non medetur, eos ignis depascit. « Egredietur, *inquit*, virga de radice Jesse. » Vide Pædagogi curam, sapientiam, et potestatem. « Non » secundum opinionem, *inquit*, judicabit, neque secundum » loquelam arguet; sed judicabit humili judicium, et arguet » peccatores terræ[3]. » Et per David : « Castigans castigavit » me Dominus, et morti non tradidit me[4]. » A Domino enim castigari, et tanquam a Pædagogo erudiri, est a morte liberari. Et dicit per eumdem prophetam : « In virga ferrea » pasces eos[5]. » Hinc quoque commotus Apostolus in Epistola ad Corinthios : « Quid vultis, *inquit*, in virga veniam » ad vos, an in dilectione et spiritu lenitatis[6] ? » Quinetiam, « virgam potentiæ emittet Dominus ex Sion[7], » dicit per alium prophetam. Pædagogica autem hæc « virga tua et » baculus tuus me consolata sunt[8], » dixit aliquis alius. Hæc est Pædagogi potestas, veneranda et gravis, consolatoria, salutaris.

CAPUT VIII.

Adversus eos qui existimant non esse bonum id quod justum est.

Hic exoriuntur aliqui, qui dicunt non esse bonum Dominum, propter virgam, et minas, et timorem : et Scripturam perperam intelligentes, quæ sic dicit : « Et qui timet Domi-

[1] Deut. xviii, 15. — [2] Ibid. 19. — [3] Isai. xi, 1, 3, 4. — [4] Psal. cxviii, 18. — [5] Psal. ii, 9. — [6] 1 Cor. iv, 21. — [7] Psal. cx, 2. — [8] Psal. xxiii, 4.

» num, convertetur ad cor suum[1]; » et obliti maxime ejus benignitatis, quod propter nos homo factus sit. Atqui Propheta eum familiarius precatur per hæc verba : « Memento » nostri, quoniam pulvis sumus[2] : » hoc est, miserere nostri, quoniam carnis imbecillitatem, tu ipse eam passus, expertus es. Ea ergo ratione optimus, et nulli reprehensioni obnoxius Pædagogus est Dominus[3], qui propter insignem benignitatem et clementiam cum uniuscujusque hominis natura quasi compatitur. « Nihil enim est, quod odio habet » Dominus[4] : » non enim aliquid quidem odisse potest, et velle id esse quod odit. Neque vero simul vult aliquid non esse, et est causa ut sit id quod vult non esse. Sed neque vult quidem aliquid non esse, id vero est. Si quid ergo odio habet Verbum, id vult non esse. Nihil est autem cujus non causam Deus, quod id sit, præbeat. Nihil ergo odio habet Deus; sed neque Verbum : utrumque enim unum est, nempe Deus. Dixit enim : « In principio erat Verbum, et Verbum erat in » Deo, et Deus erat Verbum[5]. » Quod si nihil odio habet eorum quæ ab ipso facta sunt, restat ut id diligat. Longe autem plus quam alia jure hominem diligit, qui est pulcherrimum animal eorum quæ ab ipso effecta sunt, ac Dei amore præditum. Hominem ergo diligit Deus : ergo Verbum etiam hominem diligit. Qui autem aliquid amat, ei vult prodesse. Quod autem prodest, eo quod non prodest, utique fuerit præstantius. Præstantius autem bono nihil est. Prodest ergo quod bonum est : Deum autem esse *bonum*[6], in confesso est : Deus ergo prodest. Bonum autem quatenus bonum est, nihil aliud facit quam prodest. Deus ergo prodest in omnibus. Nec homini quidem in aliqua re prodest, non autem ejus curam gerit. Neque curam quidem ejus

[1] Eccli. XXI, 6. — [2] Psal. CIII, 14.
[3] Vide D. Guillon, p. 423.
[4] Sap. XI, 25. — [5] Joan. I, 1. — [6] Matth. XIX, 17.

gerit, non autem est etiam de eo sollicitus. Est enim præstantius quod sua sponte prodest, quam quod non sua sponte. Deo autem nihil est præstantius. Nec est aliud sua sponte prodesse, quam esse de homine sollicitum. Deus ergo curam gerit hominis, et de eo est sollicitus. Id autem reipsa ostendit, cum Verbo eum erudiat, qui est germanus coadjutor Dei in homines benevolentiæ. Bonum autem esse dicitur, non eo quod virtutem habeat : quatenus justitia quoque bonum esse dicitur, non quod habeat virtutem, ipsa enim est virtus, sed quod ipsa ex se et per se bona sit. Dicitur etiam alio modo bonum, id quod est utile, non eo quod delectet, sed eo quod prosit. Quæ quidem omnia est justitia, quæ ut virtus, et ut per se eligenda bonum est, et ut quæ non delectet : non enim judicat ad gratiam, sed pro uniuscujusque meritis distribuit. Id autem quod est utile, sequitur id quod prodest. Per omnes ergo respectus quibus bonum dijudicatur, justitia quoque boni characterem suscipit; utriusque æqualia æqualiter participantibus : quæ vero ex æqualibus characterem suscipiunt, ipsa sunt inter se æqualia et similia. Bonum est ergo justitia. Quomodo ergo, inquiunt, si Dominus homines diligit, et bonus est, irascitur, et punit? Necesse est ergo de hoc, quam fieri potest brevissime, disserere : est enim hæc tractatio aliqua ex parte conducibilis ad rectam puerorum eductionem, necessarii auxilii locum tenens. Multæ enim animi affectiones curantur supplicio, et præceptorum acerbiorum jussu, atque etiam per doctrinam nonnullarum speculationum. Est autem reprehensio veluti quædam chirurgia affectionum animæ; abscessus autem veritatis, affectiones, quas sectione dividentem oportet coarguere. Medicamentorum autem applicationi est similis probri insimulatio, quæ resolvit affectiones quæ jam occalluerunt, impudicæque et libidinosæ vitæ sordes expurgat, fastusque ac superbiæ tumores ex-

quat, sanum ac verum hominem reparans ac restituens. Jam vero admonitio est veluti quædam diæta ægrotantis animæ, quæ ea quæ sunt sumenda consulit, et quæ non sunt, prohibet. Hæc autem omnia tendunt ad salutem et sanitatem æternam. Quinetiam dux exercitus, cum in eos qui maleficium admiserunt, et mulctis pecuniariis, et pœnis, quæ cum vinculis et extrema ignominia ad corpus usque pervadunt, animadvertit, et nonnullos etiam nonnunquam morte punit, finem hábet id quod bonum est, ut qui ejus imperio subsunt, duces admoneantur. Ita etiam magnus ille noster Imperator, universorum dux Verbum, eos qui suæ legi non parent, ut a servitute et errore, et ab adversarii captivitate liberentur, ut animi perturbationes coërceant admonens, ad sacram reipublicæ concordiam pacifice deducit. Quemadmodum ergo orationi suasoriæ adjunctum est genus cohortatorium et monitorium, ita etiam laudatoriæ vituperatorium et exprobratorium. Est autem hoc genus ars quædam reprehensoria. Benevolentiæ autem, non odii signum est, reprehendere. Ambo enim probrum objiciunt, et amicus et inimicus; sed inimicus quidem irridens, amicus autem benevolens. Non ergo propter odium Dominus homines vituperat, quos cum propter nostra ipsorum scelera licuisset perdere, ipse pro nobis etiam passus est. Nam tanquam bonus pædagogus, admodum artificiose vel per maledictum ad vituperandum irrepit, maledicto tanquam flagello mentis socordiam excitans. Rursus autem eosdem vicissim conatur adhortari. Quos enim laus non movit, eos incitat vituperatio: et quos tanquam mortuos vituperatio non excitat ad salutem, eos ad veritatem expergefacit maledictum. « Flagella *enim* et disciplina in omni tempore sapientiæ. » Qui testam conglutinat, et stultum docet, ad sensum, *inquit*, terram ducens, et eum qui est desperatus acuens » ad prudentiam. » Propterea aperte subjunxit: « Excitans

» dormientem e profundo somno [1], » qui est ex aliis rebus omnibus maxime morti similis. Porro autem ipse de seipso apertissime exponit, multiplicem multisque modis utilem culturam allegorice significans, quando dicit : « Ego sum vitis » vera, et Pater meus agricola est. » Deinde rursus subjunxit : « Omnis palmes in me non ferens fructum, tollit ipsum : et » quidquid fructum fert expurgat, ut amplius fructus ferat [2]. » Sylvescit enim vitis, nisi putetur : ita etiam homo. Luxuriantes autem lascivientesque propagines Verbum, qui est gladius, expurgat, cogens appetitus non concupiscere, sed fructum ferre. Eorum autem qui peccant, salutem intendit increpatio, Verbo se concinne applicante pro propriis uniuscujusque moribus, alicubi quidem vehementi ac intenso, alicubi autem laxo ac remisso. Apertissime itaque per Mosem dictum est : « Bono estote animo : ut vos tentet, acces» sit Deus; ut sit timor ejus in vobis, ut non peccetis [3]. » Hinc pulchre quoque Plato cum didicisset : « Omnibus enim, » *inquit*, revera bene fit, qui dant pœnas : juvantur enim, » dum eis punitis melior evadit anima. » Si qui autem corriguntur, iis a justo bene fit; et ex sententia Platonis in confesso est, bonum esse quod justum est : ipse timor prodest, et ut hominibus bono esset, inventus est : quoniam « spiri» tus timens Dominum, vivet. Spes enim est in eum qui » ipsos salvos facit [4]. » Hic ipse autem, Verbum, inquam, qui pœnas imponit, est judex. De quo dicit etiam Esaias : « Do» minus tradidit ipsum peccatis nostris [5], » peccatorum scilicet correctorem, et directorem : et ideo solus hic potest peccata remittere, noster a Patre universorum constitutus Pædagogus, qui solus ab obedientia potest discernere inobedientiam. Qui autem minatur, aperte ostendit se nihil mali velle facere, neque ea quæ minatur exequi; sed in-

[1] Eccli. XXII, 6, 7. — [2] Joan. XV, 1, 2. — [3] Exod. XX, 20. — [4] Eccli. XXXIV, 13. — [5] Isai. LIII, 6.

cusso timore impetum ad peccata reprimit, et suam in homines benevolentiam ostendit, adhuc differens, et ostendens qualia sunt passuri si peccatores permaneant : non autem, sicut serpens, statim infixus mordet. Bonus est ergo Deus. Atque ipse quidem Dominus sermone ante factum sæpe utitur : « Sagittæ, *inquit*, meæ conficient ipsos, con» sumpti fame et morsu avium, et nervorum in cervicem » convulsio immedicabilis. Dentes belluarum immittam in » ipsos, cum ira serpentium super terram. Foris filiis eos » orbabit gladius, et ex promptuariis metus[1]. » Non igitur Deus irascitur, ut nonnullis visum est, sed plerumque homines cohibet, semper autem hortatur, et quæ sunt agenda indicat. Bona autem est hæc ars, terrere ne peccemus : » Timor enim Domini peccata extrudit. Qui est autem sine » timore, non poterit justificari, *inquit Scriptura*[2]. » Deus autem non ex ira irrogat supplicium, sed quod justum est considerat : nempe quod propter nos non expediat prætermitti quod justum est. Unusquisque autem nostrum supplicium eligit, cum sponte peccat : culpa est autem ejus qui eligit : in Deum autem culpa conferri nequit. « Si au» tem injustitia nostra Dei justitiam commendat, quid di» cemus? Numquid est Deus injustus, qui infert iram? Ab» sit[3]. » Dicit itaque minans : « Acuam gladium meum, et » apprehendet judicium manus mea, et ipse retribuam jus » inimicis, et iis qui oderunt me retribuam. Inebriabo sa» gittas meas sanguine, et gladius meus comedet carnes a » sanguine vulneratorum[4]. » Hic ergo apertum est, quod qui non sunt inimici veritati, neque Verbum oderunt, illi suam ipsorum salutem odio non habuerint, sed inimicitiarum pœnas effugerint. « Corona itaque sapientiæ, *inquit* » *Sapientia*, timor Domini[5]. » Apertissime autem per Amos

[1] Deut. XXXII, 23, 24, 25. — [2] Eccli. I, 18 et seqq. — [3] Rom. III, 5, 6. — [4] Deut. XXXII, 41, 42. — [5] Eccli. I, 18.

prophetam sui consilii rationem Verbum significavit : « E-
» verti vos, *dicens*, sicut Deus evertit Sodomam et Gomor-
» rham; et fuistis sicut torris extractus ab igne : et ne sic
» quidem ad me conversi estis, dicit Dominus[1]. » Videte, quomodo Deus propter suam bonitatem requirit pœnitentiam : et in ipsa minarum intentione tacite ostendit suam in homines benevolentiam : « Avertam, *inquit*, faciem meam
» ab ipsis, et ostendam quid erit ipsis[2]. » Ubi enim Domini facies respicit, illic est pax et exultatio : ubi autem faciem avertit, ingreditur vitium. Non vult ergo mala intueri; bonus enim est : sed cum ipse oculos avertit, sua sponte propter humanam infidelitatem ortum habet vitium. « Vide
» ergo, *inquit Paulus*, bonitatem et severitatem Dei : in
» eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem bo-
» nitatem, si permanseris in bonitate[3], » hoc est, fide in Christum. Eum autem qui bonus est, quatenus natura bonus est, sequitur odium vitii. Et ideo fatebor quidem eum castigare infideles (castigatio enim est bono et utilitati ejus qui castigatur; est enim ejus qui resistit correctio), ulcisci autem non velle. Est autem ultio, retributio mali quod immittitur, ad utilitatem ejus qui ulciscitur. Ulcisci autem non desideraverit, qui pro iis « qui nos calumnian-
» tur *nos* orare *docuit*[4]. » Atqui quod bonus sit Deus, omnes confitentur. Quod autem idem quoque Deus justus sit, non est mihi plurimis verbis opus, si evangelicam Domini vocem adduxero. Unum quidem ipsum dicit : « Ut omnes
» unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi
» in nobis unum sint : ut etiam mundus credat quod tu
» me miseris. Et ego gloriam quam dedisti mihi dedi eis,
» ut unum sint, sicut nos unum sumus : ego in ipsis, et tu
» in me, ut sint perfecti in unum[5]. » Unum autem est Deus,

[1] Amos, IV, 11. — [2] Deut. XXXII, 20. — [3] Rom. XI, 22. — [4] Matth. V, 44. — [5] Joan. XVII, 21, 22, 23.

et ultra unum, et supra ipsam unitatem. Et ideo particula illa, *tu*, demonstrativam habens emphasim, eum qui vere solus est, qui fuit, et est, et erit, Deum ostendit. In quibus tribus temporibus ponitur unum nomen, nempe *Qui est*[1]. Quod autem is ipse qui solus Deus est, ipse quoque solus et vere justus sit, in ipso testabitur Dominus Evangelio, dicens : « Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum illi » quoque mecum sint, ut contemplentur gloriam meam » quam dedisti mihi, quod dilexisti me ante constitutionem » mundi. Pater juste, et mundus te non cognovit, ego au» tem te cognovi, et illi cognoverunt quod tu me miseris, » et notum eis feci nomen tuum, et notum faciam[2]. » Hic est qui « reddit peccata patrum in filios iis qui oderunt, » et faciens misericordiam iis qui diligunt[3]. » Qui enim hos quidem statuit *a dextris*, illos vero *a sinistris*[4], quatenus quidem Pater, cum sit bonus, mente concipitur, id solum quod est, *bonus*[5], appellatus est : quatenus vero Filius, cum sit Verbum ejus, in Patre est, justus appellatur ex mutua quæ est inter se relatione, ut sit dilectionis æqualitate dimensum nomen potentiæ : « Virum, *inquit*, » secundum opera sua judicabit[6], » Deo bono statere nobis justitiæ faciem, Jesum, notum faciente; per quem etiam, tanquam ex æquali trutina, Deum cognovimus. De eo quoque aperte dicit Sapientia : « Misericordia enim et ira cum » ipso. Dominus enim his utrisque solus est potens, iram » effundens ad propitiationem ex magna sua misericordia. » Ita etiam ejus reprehensio[7] : » misericordiæ enim et reprehensionis scopus salus est eorum qui reprehenduntur. Jam vero quod bonus sit idem Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, idem Verbum rursus confitebitur, dicens eum

[1] Exod. III, 14. — [2] Joan. XVII, 24, 25, 26. — [3] Exod. XX, 5, 6. — [4] Matth. XX, 21; XXV, 33. — [5] Id. XIX, 17. — [6] Eccli. XVI, 12. — [7] Ibid. 11, 12, 13.

esse « bonum in ingratos et in improbos; » et præterea dum dicit : « Estote misericordes, sicut Pater vester est » misericors[1]. » Quinetiam quando aperte dicit : « Nemo » bonus nisi Pater meus, qui est in cœlis. » Deinde rursus, « Pater, *inquit*, meus solem suum splendere facit super omnes[2]. » Hic notandum est, quod Patrem suum, qui bonus est, opificem quoque et creatorem esse fatetur. Quod autem justus sit creator, nulla est controversia. Et rursus : « Pater meus, *inquit*, pluit super justos et injustos[3] : » et quatenus quidem pluit, est aquarum et nubium opifex : quatenus autem super omnes, juste et cum virtute diligit æquilibrium : tanquam bonus autem, « super justos et in- » justos » similiter. Apertissime ergo unum et eumdem esse Deum ratiocinatione colligimus, hoc modo : « Videbo cœlos » opera digitorum tuorum[4] : » et, « Qui creavit cœlos, in cœlis » habitat[5] : » et, « Cœlum sedes tua, » Spiritus sanctus cecinit : Dominus autem dicit in precatione : « Pater noster, qui es » in cœlis[6] : » cœli autem sunt ejus qui mundum creavit : contradici ergo non potest, quin Dominus sit filius Opificis. Quod si ante omnia in confesso est, justum esse Creatorem : Opificis autem filius est Dominus : ejus ergo qui est justus, filius est Dominus. Quocirca Paulus quoque dicit : « Nunc » autem sine Lege justitia Dei manifestata est[7]. » Et rursus, ut magis Deum censeas : « Justitia autem Dei per fidem » Jesu Christi in omnes credentes. Non est enim distinctio. » Et præterea ferens testimonium veritati, paulo post subjungit : « In tolerantia Dei : ad ostensionem quod sit idem » justus, et justificans eum qui est ex fide, Jesus[8]. » Quod autem justum est, id bonum esse nosse apparet, cum dicit : « Quare Lex quidem sancta, et præceptum sanctum, et

[1] Luc. VI, 35, 36. — [2] Matth. V, 45. — [3] Ibid. — [4] Psal. VIII, 3. — [5] Ps. II, 4; XI, 4; CII, 19. — [6] Matth. VI, 9. — [7] Rom. III, 21, 22. — [8] Ibid. 25, 26.

» justum, et bonum [1] : » de eadem potestate utrumque nomen usurpans. Atqui *nullus est etiam bonus, nisi Pater* [2] ejus. Idem est ergo Pater ejus, qui, cum unum sit, multis significatur potestatibus. Et hoc sibi volebat illud : « Nemo » novit Patrem [3], » qui quidem erat ipse omnia, priusquam veniret Filius : ut sit vere apertum quod, qui est universorum Deus, unus solus sit, bonus, justus, opifex, Filius in Patre, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen. Sed neque a salutari Verbo est alienum, dum cura aliquorum ab eo geritur conviciari. Etenim, hoc quoque est medicamentum divinæ benignitatis, ex quo efflorescit rubor pudoris, et ad peccandum subit verecundia. Si enim oportet vituperare, oportet etiam conviciari : quando animam, quæ dolere desiit, tempus est non lethaliter sauciare, sed salubriter, ita ut exiguo dolore mortem æternam lucretur. In Pædagogia autem ejus magna est sapientia, et varia est ejus administrationis ratio ad salutem. Bonis enim fert testimonium Pædagogus. Vocatos autem ad meliora evocat; et eos qui ad injuriam faciendam properant, ab impetu avertit, et ad vitam meliorem sese traducere hortatur. Non est enim alterum absque testimonio, cum alteri fertur testimonium : et gratia est maxima, quæ proficiscitur ex testimonio. Porro autem iræ quoque affectio (si ira vocanda sit ejus admonitio) est plena benevolentiæ in homines, Deo ad affectiones descendente propter hominem, propter quem Verbum Dei homo factus est.

[1] Rom. VII, 12. — [2] Matth. XIX, 17. — [3] Luc. X, 22. Joan. XVII, 25.

CAPUT IX.

Quod ejusdem sit potestatis et benefacere, et juste punire : in quo etiam dicitur quis sit modus pædagogiæ Verbi.

Omnibus ergo viribus, humanæ naturæ Pædagogus, divinum nostrum Verbum, utens omnibus sapientiæ machinis, infantes conservare aggressus est, admonens, reprehendens, increpans, arguens, minans, sanans, promittens, gratificans, multis quibusdam veluti frænis a ratione alienas humanæ naturæ appetitiones alligans. Ut ergo paucis dicam, in nos ita se gerit Dominus, ut nos in nostros filios. « Sunt tibi filii? castiga eos, *suadet Sapientia,* et inflecte » eos a juventute sua. Sunt tibi filiæ? attende corpori earum, et ne vultum tuum apud eas exhilaraveris [1]. » Atqui liberos nostros, filios et filias, valde et supra quodcumque aliud amamus. Quoniam autem iis qui ad gratiam loquuntur parum est quod molestia non afficiunt; qui autem ad utilitatem acerbi sunt, etsi in præsentia molesti sint, in futuram postea ætatem beneficio afficiunt : non præsentem voluptatem Dominus, sed futuram spectavit delectationem. Quare jam benignæ illius Pædagogiæ modum percurramus cum prophetico testimonio. Est ergo admonitio cum cura conjuncta vituperatio, quæ intelligentiam parit. Talis est Pædagogus admonitor, ut quando dicit in Evangelio : « Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat » pullos suos sub alas, et noluisti [2]? » Et rursus Scriptura admonet : « Et mœchati sunt, *dicens,* in lignum et lapidem, » et suffumigarunt Baal [3]. » Maximum autem signum est ejus benignitatis, quod licet aperte sciret impudentiam populi, qui recalcitrabat et resiliebat, aperte tamen adhorta-

[1] Eccli. VII, 23, 24. — [2] Matth. XXIII, 37. — [3] Jer. III, 9; VII, 8; XI, 13; XXXII, 29.

tur ad pœnitentiam, et dicit per Ezechiel : « Fili hominis, » in medio scorpiorum tu habitas : verumtamen loquere » ipsis, si forte audierint [1]. » Quinetiam Mosi dicit : « Vade, » et dic Pharaoni, ut emittat populum : ego autem novi, » quod non emittet ipsos [2]. » Utrumque enim aperte ostendit, et divinitatem, ex præscientia futuri; et benignitatem, eo quod libero animi arbitrio largitus sit occasionem pœnitentiæ. Admonet etiam per Esaiam, populi curam gerens, quando dicit : « Hic populus labiis me honorat, cor » autem eorum longe est a me [3] : » hæc est vituperatio coarguens. « Frustra autem me colunt, docentes doctrinas, » mandata hominum : » hic curatio, cum peccatum manifestavit, e vestigio salutem ostendit; increpatio autem est propter turpia vituperatio, quæ ad honesta conciliat. Hoc ostenditur per Hieremiam : « Equi in fœminas insanientes » facti sunt : unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. » Numquid propter hæc non visitabo, *dicit Dominus*, vel » in populo tali non vindicabit anima mea [4]? » Conjungit autem ubique timorem, quod « timor Domini sit princi» pium sensus [5]. » Et rursus per Osee : « Non visitabo, *in» quit*, ipsos? quoniam ipsi cum meretricibus commisce» bantur, et cum initiatis sacrificabant; et populus, qui » intelligebat, conjungebatur cum meretrice [6]. » Eorum peccatum ostendit apertius, dum eos intelligere fatetur, ut qui sua sponte et consulto peccarent. Intelligentia autem est animæ oculus, et ideo Israel est, qui *Deum videt* : hoc est, qui Deum intelligit. Querela autem est vituperatio, tanquam eorum qui contemnunt, vel negligunt. Hoc modo Pædagogiæ usus est per Esaiam, dicens : « Audi cœlum, » et ausculta terra, quoniam Dominus locutus est : Filios » genui et extuli, ipsi vero me nihili duxerunt. Novit bos

[1] Ezech. II, 6, 7. — [2] Exod. III, 18, 19. — [3] Isai. XXIX, 13. — [4] Jer. V, 8, 9. — [5] Prov. I, 7. — [6] Os. IV, 14.

» possessorem, et asinus præsepe Domini sui; Israel autem » me non cognovit [1]. » Quomodo enim non est indignum, si qui novit Deum, non cognoscat Dominum : sed bos quidem et asinus, quæ sunt inertia et stulta animalia, noverint eum qui ipsa alit, Israel autem iis a ratione alienior inveniatur? Et cum per Hieremiam pluribus de populo questus esset, subjungit : *Et me reliquerunt, dicit Dominus* [2]. Insectatio autem est invectiva increpatio, vel invehens vituperatio. Hoc etiam medicamento usus est Pædagogus per Esaiam, dicens : « Væ filii defectores! hæc dicit Dominus: » Fecistis consilium non per me, et pacta conventa non » per spiritum meum [3]. » Acerbissimo autem constipamento in singulis utitur, nempe metu, per ipsum simul os populo comprimens, et eum convertens ad salutem : quemadmodum lanæ quoque quæ tinguntur solent constringi ac constipari, dum apparantur ad colorem melius suscipiendum. Redargutio autem est peccati prolatio, ipsum proferens in medium peccatum. Eo tanquam maxime necessario Pædagogiæ modo utitur, propterea quod enervata et soluta sit permultorum fides. Dicit enim per Esaiam : « Dereliquistis » Dominum, et ad indignationem concitavistis sanctum » Israelis [4]. » Dicit etiam per Hieremiam : « Stupuit cœlum » propter hoc, et terra multo magis horruit : quoniam duo » mala fecit hic populus : me dereliquerunt fontem aquæ » vivæ, et foderunt lacus contritos, qui aquam continere » non poterunt [5]. » Et rursus per eumdem : « Peccatum pec- » cavit Hierusalem, propterea in commotionem facta est. » Omnes qui glorificabant eam, spreverunt ipsam, quo- » niam viderunt ejus turpitudinem [6]. » Redargutionis autem acerbitatem et vehementiam per Salomonem consolans, dicit, tacite significans Pædagogiæ in filios amorem :

[1] Isai. I, 2, 3. — [2] Jer. I, 16, 17; II, 13, 19. — [3] Psal. XXX, 1. — [4] Isai. I, 4. — [5] Jer. II, 12, 19. — [6] Thren. I, 8.

« Fili mi, disciplinam Domini ne despicias, neque ægre feras cum ab ipso corriperis. Quem enim diligit Dominus, castigat : flagellat autem omnem filium quem recipit[1] » : quoniam « Homo peccator fugit reprehensionem[2]. » Consequenter ergo dicit Scriptura : « Increpet me justus, et castiget : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum[3]. » Castigatio autem est vituperatio quæ affert intelligentiam. Nec ab hoc quidem Pædagogiæ modo abstinuit, sed dicit per Hieremiam : « Quousque clamabo, et non exaudient? ecce aures incircumcisæ eorum[4]. » O beatam tolerantiam! Et rursus per eumdem : « Incircumcisæ omnes gentes : hic autem populus est incircumcisus corde[5]; quoniam populus est inobediens : filii, *inquit*, quibus non est fides[6]. » Visitatio autem est vehemens redargutio. Usa est hoc genere in Evangelio : « Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt[7]! » Nominis quippe conduplicatio effecit, ut sit gravis reprehensio. Qui enim Deum novit, quomodo Dei ministros persequitur? « Propterea, *inquit*, relinquitur domus vestra deserta. Dico enim vobis : Deinceps non videbitis me, donec dixeritis, Benedictus qui venit in nomine Domini. » Si enim non suscipitis benignitatem, cognoscetis potentiam. Insectatio autem est intensa et vehemens oratio. Pro medicamento autem usa est insectatione per Esaiam, dicens : « Væ gens peccatrix, filii iniqui, populus plenus iniquitatibus, semen malum[8]! » Et in Evangelio per Joannem : « Serpentes, *inquit*, genimina viperarum[9]. » Accusatio autem est vituperatio eorum qui faciunt injuriam. Hac Pædagogiæ ratione per David usus est, dicens : « Populus quem non cognovi serviit mihi, et in auditu auris obe-

[1] Prov. III, 11, 12. — [2] Eccli. XXXII, 17. — [3] Psal. CXLI, 5. — [4] Jer. VI, 10. — [5] Id. IX, 26. — [6] Isai. XXX, 9. — [7] Matth. XXIII, 37, 38, 39. — [8] Isai. I, 3. — [9] Matth. III, 8, Luc. III, 7. Matth. XXIII, 33.

» diit mihi. Filii alieni mentiti sunt mihi, et claudicave- » runt a viis suis[1].» Et per Hieremiam: «Et dedi ei libellum » repudii, et non timuit incomposita Juda[2].» Et rursus: « Et me nihili fecit domus Israel, et domus Judæ mentita est » Domino[3]. » Expostulatio autem est, quæ artificiali auxilio clam peragitur vituperatio, quæ ipsa quoque saluti providet sub integumento. Ea autem usa est per Hieremiam : « Quo- » modo sedit sola civitas, quæ fuerat plena populis? Facta » est tanquam vidua, quæ imperabat regionibus : facta est » sub tributo : flens flevit in nocte[4].» Obtrectatio autem est obtrectans vituperatio. Et eo usus est auxilio divinus Pædagogus, dicens per Hieremiam: « Fuit tibi aspectus mere- » tricis, impudens fuisti erga omnes, et non in domum vo- » cavisti me, et patrem et principem virginitatis tuæ[5].» Et: « Pulchra meretrix et jucunda, dux venenorum[6]. » Artifi- ciose admodum cum virgini sub nomine meretricio insul- tasset, rursus ad honestatem pudore eam afficiens evocat. Indignatio autem est legitima increpatio, seu increpatio filiorum, qui plus quam oportet extolluntur. Ea Pædagogia per Mosem utitur, dicens : « Filii reprehensibiles, generatio » prava et perversa ! hæc Domino retribuitis? Hic populus » stultus et non sapiens : non hic ipse Pater possedit te[7]? » Et per Esaiam dicit : « Principes tui non obediunt, socii » furum, diligentes munera, persequentes retributionem, » orphanis non judicantes[8]. » Et, ut in summa dicam, ejus in incutiendo timore artificium, est fons salutis. Boni est au- tem dare salutem : « Misericordia autem Domini est super » omnem carnem, dum arguit, castigat et docet, sicut pas- » tor gregem suum. Eorum qui disciplinam suscipiunt mi- » seretur, et eos qui sunt ardenti studio sibi congluti-

[1] Psal. xviii, 43, 44, 45. — [2] Jer. iii, 8. — [3] Id. v, 10, 11. — [4] Thren. i, 2, 3. — [5] Jer. iii, 3, 4. — [6] Nahum, iii, 4. — [7] Deut. xxxii, 5, 6. — [8] Isai. i, 23.

» nat[1] : » et hac ducendi ratione *sexcenta millia peditum*, qui coacti erant in ea quam habebant cordis duritie, flagellans, miserans, verberans, medens, in miseratione et disciplina custodiit. « Prout enim ejus est multa misericordia, » ita etiam ejus reprehensio[2]. » Pulchrum enim quidem certe est non peccare; bonum est etiam, ut et qui peccat ducatur pœnitentia: quemadmodum optimum quidem est semper esse sanum; bonum autem est etiam a morbo convalescere. Hac etiam ratione per Salomonem præcipit: « Tu » quidem virga percute filium tuum, animam autem ejus » a morte libera[3]. » Et rursus: « Ne peperceris castigare » puerum; virga autem ipsum corrige: non enim morie» tur[4]. » Reprehensio enim et increpatio, sicut vel ipsum Græcum nomen significat, sunt ipsi ictus animæ, qui peccata castigant, et mortem prohibent : ad moderationem autem et temperantiam deducunt eos qui feruntur ad intemperantiam. Hac quidem certe ratione Plato, cum sciret in reprehensione maximas esse vires correctionis, et præcipuam purgationem, convenienter ei quod dictum est, « eum qui est maxime impurus vult ineruditum et turpem » evasisse, propterea quod reprehendi non posset: quemad» modum purissimum et pulcherrimum eum esse conve» niebat qui futurus esset beatus. » Si enim *magistratus non sunt timori bono operi*[5], quomodo qui natura bonus est Deus ei qui non peccat erit timori? « Si autem malum » facies, time, » ut dicit Apostolus. Et ideo ipse quoque Apostolus ad similitudinem Domini sigillatim Ecclesias peracriter incessit : et suæ conscius libertatis, et imbecillitatis eorum qui audiebant, Galatis dicit : « Inimicus factus » sum, vera vobis dicens[6]? » Quemadmodum autem qui sani

[1] Eccli. XVIII, 13, 14. — [2] Id. XVI, 12. — [3] Prov. XXIII, 14. — [4] Ibid. 13. — [5] Rom. XIII, 3, 4. — [6] Gal. IV, 16.

sunt, non opus habent medico, quatenus recte valent[1]; qui autem ægrotant, arte indigent: ita nos quoque, qui in vita laboramus probrosis cupiditatibus, vituperandisque intemperantiis, ac libidinibus, aliorumque vitiorum inflammationibus, Servatore opus habemus. Is autem non solum « lenia » adhibet medicamenta, » sed etiam acria. Peccatorum quidem certe proserpentes corrosiones sistunt amaræ metus radices. Quamobrem salutaris est metus, licet amarus. Jure ergo qui ægrotamus, Servatore opus habemus: qui autem aberravimus, eo qui nos ducat: et qui cæci sumus, eo qui nos ad lucem deducat: et qui sitimus, *fonte vitali*, cujus qui sunt participes *non amplius sitient*[2]: et qui mortui sumus, vita egemus: qui oves, pastore: et qui pueri, pædagogo: quinetiam universa humana natura, Jesu: ne indomiti et peccatores ad finem usque existentes, incidamus in condemnationem; sed a paleis segregemur, et in apothecam paternam reportemur. *Ventilabrum* enim *in manu* Domini, quo *palea*, quæ *igni* debetur, a frumento secernitur[3]. Licet autem, si vultis, sanctissimi pastoris et Pædagogi, omnipotentis et paterni Verbi, summam nobis sapientiam ediscere, ubi allegoria utitur, seipsum dicens *pastorem* ovium[4]: est autem Pædagogus infantium. Dicit ergo per Ezechielem, orationem dirigens ad presbyteros, et eis quamdam salutarem justæ sollicitudinis descriptionem exponens: « Et quod claudum est alligabo, et quod » ægrum est curabo, et quod aberrat reducam: et pascam » ipsos ego ad montem sanctum meum[5]. » Hæc sunt promissa boni pastoris. Pasce nos infantes, sicut oves. Etiam, Domine, imple tuis justitiæ pabulis: etiam, Pædagoge, pasce nos ad sanctum tuum montem, ad Ecclesiam, quæ in alto est,

[1] Vide D. Guillon, p. 423.
[2] Joan. IV, 14, 15. — [3] Matth. III, 12. Luc. III, 17. — [4] Joan. X, 11, 14. — [5] Ezech. XXXIV, 14, 15, 16.

quæ superat nubes, quæ cœlos tangit. « Et ero, *inquit*, pas» tor ipsorum, et ero prope ipsos[1], » sicut tunica prope corpus ipsorum. Vult carni meæ dare salutem, me tunica incorruptionis induens : et corpus meum inunxit : « Vocabunt » me, *inquit*, et dicam : Ecce adsum[2]. » Celerius exaudiisti, quam ego expectavi, Domine. « Et si trajiciant, non cadent, » dicit Dominus[3]. » Non cademus enim in corruptionem, qui ad incorruptionem trajicimus : quoniam ipse nos tenebit. Dixit enim ipse, et voluit ipse. Talis est noster Pædagogus, optimo jure bonus. « Non veni, *inquit*, ut mihi » ministraretur, sed ut ipse ministrarem[4]. » Propterea in Evangelio *fessus*[5] introducitur, qui pro nobis defatigatur, et « suam ipsius animam pretium redemptionis pro multis » dare[6] » pollicens. Hunc enim solum esse fatetur *bonum pastorem*[7]. Liberalis ergo est ac magnificus, qui, quod maximum est, suam pro nobis dat animam. Valdeque est hominibus utilis, et in eos benignus, quod homo voluit esse frater, cum posset esse dominus. Ille vero etiam usque adeo bonus fuit, ut pro nobis moreretur. Quin etiam ejus clamavit justitia : « Si recti ad me veniatis, et ego rectus ad » vos : si obliqui ambuletis, et ego obliquus, dicit Dominus » exercituum[8] : » peccatorum increpationes per *vias obliquas* significans. Recta enim, et quæ secundum naturam est, quæ per Jesu I litteram significatur, est ejus bonitas, quæ erga eos qui ex auditu crediderunt firma est et immobilis : « Quoniam vocavi, et non exaudiistis, dicit Dominus, sed » mea irrita fecistis consilia : meas autem reprehensiones » non attendistis[9]. » Ita est maxime utilis Domini reprehensio. De iis David quoque dicit : « Generatio perversa, et » exacerbans ; generatio quæ non direxit cor suum, et non

[1] Ezech. XXXIV, 14, 15, 16. — [2] Isai. LVIII, 9. — [3] Id. XLIII, 2. — [4] Matth. XX, 28. Marc. X, 45. — [5] Joan. IV, 6. — [6] Matth. XX, 28. — [7] Joan. X, 11. — [8] Jerem. V. Levit. XXVI, etc. — [9] Prov. I, 24, 25.

» fuit fidelis cum Deo spiritus ejus, et Dei testamentum non » custodierunt, et in lege ejus noluerunt ambulare[1]. » Hæ sunt causæ exacerbationis, propter quas venit Judex pœnas irrogaturus iis qui bonam vitam noluerunt eligere : et ideo cum eis paulo hic egit crassius, si modo ab eo quo ad mortem feruntur impetu, aliquo modo eos retardare posset. Dicit itaque per David minarum causam apertissimam : « Non crediderunt in mirabilibus ejus : quando occidebat » ipsos, requirebant ipsum, et convertebantur, et mane ad » Deum vigilabant, et recordati sunt, quod Deus est adjutor » eorum, et Deus altissimus redemptor eorum est[2]. » Ita cognovit eos converti propter metum, contempsisse autem ejus benignitatem. Bonum enim, quod semper est beneficum, plerumque contemnitur : colitur autem, qui benevolo justitiæ metu admonet. Duplex est autem genus metus : quorum alterum quidem est cum pudore conjunctum, quo utuntur cives erga bonos principes, et nos erga Deum, quemadmodum boni filii erga parentes. « Equus enim, » *inquit*, indomitus evadit durus, et filius remissus evadit » præceps[3]. » Aliud autem metus genus est cum odio, quo servi utuntur erga dominos difficiles, et Hebræi, qui Deum dominum fecere, non patrem. Multum autem et quidem in totum differt id quod est spontaneum ac voluntarium, ab eo quod fit per necessitatem, quod ad religionem attinet. « Ipse enim, *inquit*, est misericors, medebitur peccatis » eorum, et non perdet, et implebit ut avertat iram suam, » et non incendet omnem indignationem suam[4]. » Vide quomodo Pædagogi quod justum est, ostenditur in increpationibus ; et Dei quod bonum est, in miserationibus. Quocirca David, hoc est, Spiritus, qui per eum loquitur, utrumque complectens, de eodem Deo psallit : « Justitia et judicium,

[1] Psal. LVIII, 8, 10. — [2] Ibid. 32, 34, 35. — [3] Eccli. XXX, 8. — [4] Psal. LXXVIII, 38.

» præparatio sedis tuæ. Misericordia et veritas præcedent » ante faciem tuam[1]. » Fatetur esse ejusdem potestatis et judicare et benefacere : simul enim utrorumque potestas est, judicium justi, quod discernit contraria, et idem justus et bonus, qui est vere Deus : qui est ipse omnia, et omnia ipse : quoniam ipse Deus, qui est solus Deus. Quemadmodum enim speculum non est malum deformi, eo quod ipsum ostendat qualis sit ; et quemadmodum medicus non est ægrotanti malus, quod ei febrem annuntiet ; non enim medicus febris causa est, sed febrem indicat : ita nec is qui reprehendit ei male vult qui laborat animo ; neque enim infert ei delicta, sed ea quæ adsunt peccata ostendit, ad hoc, ut avertat ab ejusmodi studiis. Quamobrem Deus quidem bonus est propter seipsum[2], justus autem propter nos, et ideo quia bonus. Quod justum est autem, nobis per suum ipsius Verbum ostendit illinc e superis, unde ipse fuit Pater : priusquam enim esset creator, Deus erat, bonus erat : et propterea et opifex esse et pater voluit : et illius amoris habitudo ac relatio fuit justitiæ principium, cum et solem suum lucere faceret, et Filium suum mitteret. Isque primus e cœlis bonam annuntiavit justitiam, cum diceret : « Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem nisi Filius[3]. » Hæc reciproca, quæ ex æquo ponderat cognitio, est antiquæ justitiæ symbolum. Deinde ad homines descendit justitia, et littera et corpore, Verbo et Lege, humanam naturam ad salutarem urgens pœnitentiam : bona enim erat. At Deo non obedis ? Ejus rei culpam tibi ascribe, qui judicem attrahas.

[1] Psal. LXXXIX, 14.
[2] Vide D. Guillon, p. 422.
[3] Luc. X, 22.

CAPUT X.

Quod idem Deus per idem Verbum et a peccatis arceat, minans; et humanæ naturæ salutem det, adhortans.

Si ergo, quæ in astringenda humana natura versatur, administrationem bonam esse et salutarem, et a Verbo necessario assumi ostendimus usque, et ad pœnitentiam, et ad peccatorum prohibitionem, accommodatam fuisse; consideranda deinceps fuerit Verbi mansuetudo et lenitas. Eum enim justum esse ostensum est. Proprias autem exponit sententias, quæ ad salutem hortantur, per quas id quod honestum est et utile, vult ex paterna voluntate significare. Hæc autem considera : honestum quidem, est encomiastici; utile vero, suasorii. Enim vero suasorii habitudo quædam, est hortatorium et dehortatorium; et encomiastici vero, laudatorium et vituperatorium. Certo enim modo se habens sententia suasoria, efficitur hortatoria, et alio modo dehortatoria. Similiter etiam genus encomiasticum, uno quidem modo se habens, est vituperatorium; alio vero, laudatorium : in quibus maxime versatur justus Pædagogus, qui quod nobis est utile sibi tanquam scopum proposuit. Verumenimvero genus quidem vituperatorium et dehortatorium nobis prius ostensum est : nunc autem hortatorium et laudatorium rursus nobis aggrediendum est, et tanquam in trutina in æquilibrio stantes justi lances expendamus. Ad ea ergo quæ sunt utilia, adhortatione utitur Pædagogus hoc modo per Salomonem : « Ego vos, o homi- » nes, adhortor, et meam vocem edo filiis hominum : au- » dite me : præclara enim dicam[1] : » et quæ sequuntur. Quæ sunt autem salutaria consulit; quoniam consilium ad electionem et fugam idoneum est : quemadmodum facit

[1] Prov. VIII, 4. 6.

per David, dicens : « Beatus vir qui non ambulavit in con» silio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et supra » cathedram pestilentiarum non sedit : sed in lege Domini » voluntas ejus[1]. » Consilia autem dandi tres sunt partes. Una quidem, quæ sumit exempla ex tempore præterito : ut, verbi gratia, quid Hebræis evenerit qui aurum adorarunt in vitulo, et quid passi sunt cum fornicati essent, et quæ sunt similia. Altera vero, quæ ex præsenti tempore intelligitur, ut quæ sensu comprehendatur; sicut illud quod dictum iis qui Dominum rogarunt, « An ipse esset Chris» tus, an vero alium expectamus? Abite, et dicite Joanni : » Cæci vident, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui » resurgunt; et beatus qui non fuerit scandalizatus in » me[2]. » Hoc ergo fuit quod prædixit David : « Sicut audi» vimus, ita et vidimus[3]. » Ex futuris autem constat tertia pars dandi consilii, qua quæ sunt eventura jubet caveri : quemadmodum illud quoque dictum est : « Qui autem in » peccata inciderint, ejicientur in tenebras exteriores : illic » erit fletus et stridor dentium[4]; » et quæ sunt similia : adeo ut ex his omnibus clarum sit, Dominum, per omnem medendi rationem procedentem, humanam naturam evocare ad salutem. Admonitione autem peccata mitigat, minuens quidem cupiditatem, simul autem spem præbens salutis. Dicit enim per Ezechielem : « Si conversi fueritis ex toto » corde vestro, et dixeritis, Pater, audiam vos tanquam po» pulum sanctum[5]. » Et rursus dicit : « Venite ad me, omnes » qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos[6] : » et ea quæ sequuntur, ex sua persona dicit Dominus. Apertissime autem ad bonitatem vocat per Salomonem, dicens : « Bea» tus homo qui invenit sapientiam, et mortalis qui invenit

[1] Psal. I, 1, 2. — [2] Matth. XI, 3, 4, 5, 6. Luc. VII, 19, 22, 23. — [3] Psal. XLVIII, 8. — [4] Matth. XXII, 13; XXV, 30. — [5] Ezech. XVIII, et XXXIII. — [6] Matth. XI, 28.

» prudentiam[1]. » Quod *bonum* est enim, « a quærente in» venitur, et solet videri ab eo qui invenit. » Jam vero per Hieremiam quoque enarrat prudentiam : « Beati sumus » Israel, *dicens*, quod quæ Deo grata sunt, a nobis cognita » sunt[2]. » Cognoscuntur autem per Verbum, per quem sumus beati et prudentes. Prudentia enim et cognitio indicatur per eumdem Prophetam dicentem : « Audi, Israel, » mandata vitæ, ausculta ut cognoscas prudentiam[3]. » Per Mosem autem propter suam in homines benevolentiam donum quoque pollicetur iis qui contendunt ad salutem. Dicit enim : « Et introducam vos in terram bonam, quam » juravit Dominus patribus vestris[4]. » Et præterea : « Intro» ducam vos in montem sanctum, et vos lætitia afficiam[5], » dicit per Esaiam. Jam vero est aliud quoque genus Pædagogiæ ejus, nempe beatificatio : « Beatus ille est, *per David* » *dicit*, qui non peccavit : et erit tanquam lignum quod » plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum » suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet. » (Per hoc etiam innuit resurrectionem.) « Et omnia quæ» cumque faciet, ei recte succedent[6]. » Tales nos vult esse, ut simus beati. Rursus autem ostendens id quod ex adverso respondet justitiæ trutinæ, « At non sic impii, *inquit*, non » sic; sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie » terræ[7]. » Cum peccatorum pœnas, et facilem eorum tanquam ventis dissipationem ostendisset Pædagogus, per pœnam a crimine dehortatus est : et cum supplicium pro meritis intentasset, beneficentiæ suæ benignitatem ostendit, ut bona nobis paremus, iisque fruamur, per eam summo nos artificio excitans. Quinetiam ad cognitionem nos per Hieremiam hortatur, dicens : « Via Dei si ambulasses, habi» tasses in pace in sæculum[8]. » Cognitionis enim eis merce-

[1] Prov. III, 13. — [2] Baruch, IV, 4. — [3] Id. III, 9. — [4] Deut. XXXI, 20. — [5] Isai. LVI, 7. — [6] Psal. I, 1, 2, 3, — [7] Ibid. 4. — [8] Baruch. III, 13.

dem ostendens, prudentes ad ejus amorem excitat. Et ei qui aberravit dans veniam: « Convertere, convertere enim, » *inquit*, sicut qui vindemiat ad canistrum suum[1]. » Vides bonitatem justitiæ, quæ consulit moveri pœnitentia? Præterea per Hieremiam illuminat eos qui a veritate aberrant: « Hæc autem dicit Dominus: State in viis, et videte, et » rogate semitas Domini æternas, quænam est semita bona, » et ambulate in ea, et invenietis sanctificationem anima- » bus vestris[2]. » Ducit autem ad pœnitentiam, causa salutis nostræ. Propterea dicit: « Si te pœnituerit, expurgabit Do- » minus cor tuum, et cor seminis tui[3]. » Poteram quidem ad hujus quæstionis defensionem adducere philosophos, qui dicunt eum solum qui est perfectus esse laudabilem; qui malus est autem, vituperabilem: sed quoniam nonnulli quod beatum est calumniantur, ut quod neque ipsum aliquid negotii habeat, neque alii exhibeat, ejus benevolentiam in homines non intelligentes, propter hos, et propter eos etiam *qui* bono quod justum est non tribuunt, id quod a nobis dictum fuit adjectum est. Consequens enim esset ut diceremus, increpatorium ac vituperatorium Pædagogiæ genus convenire hominibus, quoniam omnes homines malos dicunt: sapiens autem solus Deus est, a quo sapientia; et perfectus solus; et ideo solus quoque laudabilis. Sed hac oratione non utor. Dico ergo, laudem et vituperationem, vel quod laudi et vituperationi est assimile, esse medicamenta hominibus maxime necessaria. Qui sunt itaque curatu difficiles[4], ab igne, malleo, incude, hoc est, minis, reprehensione, increpatione, tanquam ferrum aguntur. Qui autem fidei adhærent, tanquam homines per se docti, et libere agentes, laude augentur. « Laudata enim virtus, non » secus ac arbor, crescit. » Hoc cum intelligeret, mihi vide-

[1] Jer. vi, 9. — [2] Ibid. 16. — [3] Deut. xxx, 6.
[4] Vide D. Guillon, p. 423.

tur Samius præcepisse Pythagoras :

Turpibus quidem perpetratis, increpare; bonis vero, delectare.

Increpare autem dicitur etiam admonere, quod Græce est νουθετεῖν. Admonitionis autem, quæ Græce est νουθέτησις, etymologia est νοῦ ενθεματισμος, hoc est, *mentis immissio:* quod sit increpatorium genus, quod mentem pariat. Cæterum alia innumerabilia inveniri possunt præcepta de parandis bonis, et malis fugiendis : « Non est pax impiis, dicit » Dominus [1]. » Propterea per Salomonem præcipit infantibus, ut caveant : « Fili, ne te in errorem abducant pec» catores, neque in viis cum eis ambulaveris, si te hortati » fuerint, dicentes : Veni nobiscum, sis socius innocentis » sanguinis : in terra autem virum justum injuste abscondamus, de medio eum tollamus, sicut infernus viventem [2]. » Hoc itaque de Domini quoque passione prædicitur. Porro per Ezechielem etiam Vita nobis mandata suppeditat : « Anima quæ peccat, morietur : homo autem erit justus, » qui facit justitiam. Non comedit in montibus, et oculos » suos non conjecit in cogitata domus Israel, et uxorem » proximi sui non polluerit, et ad mulierem menstruorum » tempore non appropinquabit, et hominem vi non opprimet, et pignus debitoris reddet, et rapinam non rapiet, » panem suum dabit esurienti, et nudum vestiet. Pecuniam » suam non dabit ad usuram, et commodum non accipiet, » et ab iniquitate avertet manum suam, et justum judicium » faciet inter virum et inter proximum suum. In præceptis » meis ambulavit, et justificationes meas servavit, ut faceret » eas. Justus hic est. Vita vivet, dicit Dominus [3]. » Hæc continent descriptionem institutionis vitæ christianorum, et convenientem adhortationem ad beatam vitam, præmium beatitatis, vitam æternam.

[1] Isai. XLVIII, 22; LVII, 21. — [2] Prov. I, 10, 11, 12. — [3] Ezech. XVIII, 4, 5, 6, 7, 8, 9.

CAPUT XI.

Quod per legem et prophetas Verbum pædagogi functus fuerit officio.

Ejus quidem in homines benevolentiæ et Pædagogiæ modus, ut a nobis fieri potuit, ostensus est. Quocirca ipse seipsum pulcherrime exponens, *grano sinapi* assimilavit[1] : et verbi quod seminatur spiritalem et multiplicem naturam, ac diffusam, rationalisque potestatis magnificentiam simul et sanctitatem, et præterea reprehensionis mordacitatem, et repurgandi facultatem, esse id utile propter acrimoniam significans. Per exiguum itaque granum, quod allegorice dicitur, universæ humanæ naturæ plurimam salutem largitur. Atque mel quidem, cum sit dulcissimum, bilem generat; quemadmodum bonitas, contemptum : quod quidem causa est peccandi. Sinapi autem et bilem diminuit, hoc est iram; et phlegma excindit, hoc est, fastum ac superbiam. Ex quo Verbo vera animæ sanitas, æternaque bona temperatura accedit. Olim itaque per Mosem, Verbum pædagogi fungebatur officio; deinde etiam per Prophetas : est autem Moses quoque propheta. Est enim Lex pædagogia puerorum insolentium, qui habenis non facile retinentur. *Saturati ergo,* inquit, *surrexerunt ludere*[2]. Saturati autem Græce est χορτασθέντες, quasi dicas, *fœno repleti :* nempe qui a ratione alienam alimenti plenitudinenm χόρτασμα, hoc est, *fœni repletionem,* non autem cibum dixerit. Quoniam autem absque ratione satiati, absque ratione ludebant, propterea ipsos et Lex et timor sequebatur, ut et peccata rescinderet, et ad res ex virtute gerendas adhortaretur : aures præparans ut vero Pædagogo obedirent, qui est unum idemque Verbum, quod præsentibus accommodabat se, Legi nimirum : « Datum *enim dicit Paulus* Pæda-

[1] Matth. XIII, 31. Luc. XIII, 19. — [2] Exod. XXXII, 6. 1 Cor. X, 7.

» gogum ad Christum[1] : » adeo ut ex hoc apertum sit, unum solum, verum, bonum, justum, ad imaginem et similitudinem Patris filium, Jesum, Verbum Dei, esse nostrum Pædagogum : cui nos tradidit Deus, tanquam Pater benevolus vero Pædagogo commendans filios, nobis dilucide præcipiens : *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*[2]. Fide dignus est divinus Pædagogus, tribus rebus pulcherrimis ornatus, scientia, benevolentia, dicendi libertate. Scientia quidem, quoniam est paterna Sapientia : « Omnis » enim sapientia est a Domino, et cum eo est in ævum[3]. » Dicendi autem fiducia, quoniam Deus est et opifex : « Omnia » *enim* per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil[4]. » Benevolentia autem, quoniam solus pro nobis seipsum hostiam tradidit : « Bonus *enim* pastor animam suam ponit pro » ovibus suis[5] : » atque adeo eam posuit. Benevolentia autem nihil est aliud, quam volitio boni proximi sui gratia illius.

CAPUT XII.

Quod Pædagogus convenienter paternæ affectioni severitate et benignitate usus sit.

His jam peractis, consequens fuerit ut Pædagogus noster, Jesus, vitam nobis veram describat, et eum qui in Christo est hominem more pædagogi instituat. Est autem forma ejus ac character, neque admodum difficilis, nec præ benignitate usque adeo dissolutus. Simul autem mandat, et mandatis ejusmodi characterem imprimit, ut ea possint perficere. Atque mihi quidem is ipse videtur hominem finxisse ex pulvere, aqua autem regenerasse, spiritu vero auxisse, verbo autem, pædagogi instar, instituisse, ad filiorum adoptionem et salutem sanctis præceptis dirigens, ut

[1] Gal. III, 24.—[2] Matth. XVII, 5.—[3] Prov. II, 6.—[4] Joan. I, 3.—[5] Id. X, 11.

cum terra genitum in sanctum et cœlestem hominem suo adventu transformasset, divinam illam vocem maxime impleret: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem » nostram[1]. » Atque fuit quidem Christus hoc plenum quod dixit Deus: alii autem homines intelliguntur secundum solam imaginem. Nos autem, o boni Patris filii, alumni boni Pædagogi, Patris voluntatem impleamus, Verbum audiamus, et vere salutarem Servatoris nostri vitam exprimamus: hic jam meditantes cœlestem vitæ rationem, per quam effecti dii, semper germinante lætitia et incorrupto boni odoris unguento inungamur, evidens incorruptionis exemplar habentes vitæ Domini formam, et Dei vestigia persequentes: cui soli convenit considerare, atque adeo cui curæ est, quomodo et quanam ratione futura sit vita hominum sanior. Quinetiam ad hoc ut facile contenti simus, et quæ sunt supervacanea negligamus, accinctique et itinerantium more expediti, et ad beatæ vitæ æternitatem parati simus, nos præparat, unumquemque nostrum esse ipsum sui ipsius penum docens: *Ne solliciti* enim, inquit, *sitis de crastino*[2]: dicens oportere eum qui Christo nomen suum dedit, sua sorte contentum, sibi per se servientem, in diem vivere. Non enim in bello, sed in pace instituimur. Ac bello quidem magno apparatu opus est, magnoque et profuso sumptu egent deliciæ: pax autem et dilectio, simplices et faciles sorores, non armis neque profuso apparatu indigent. Nutrimentum eis Verbum est. Verbum autem is est cui et demonstrandi et docendi principatus obtigit, a quo frugalitatem, simplicitatem, a fastuque alienationem, libertatis amorem, benignitatem, et honesti studium ediscimus. Id, etsi uno Verbo cum virtutis conjunctione Deo similes reddimur, non ad socordiam ac negligentiam oportet traducere: sed elabora, et ne defatigeris: eris enim qualis non speras,

[1] Gen. I, 26 — Matth. VI, 34.

neque vero conjicere potueris. Quemadmodum autem philosophorum quidem est alia vivendi ratio, alia vero oratorum, alia autem luctatorum : ita est generosa dispositio voluntati honestatis studiosæ conveniens, quæ accedit ex Christi pædagogia : et quæ hac vi imbuta sunt, honestate præstant, incessus et accubitus, nutritio et somnus, cubitusque et victus, et reliqua disciplina. Non est enim nimis intensa ac vehemens ejusmodi Verbi educatio, sed moderata, et quæ justo ac recto tenore consistat. Hac etiam ratione Servator Verbum seu Ratio dictus est, qui hæc hominibus rationalia medicamenta, quibus salventur ac bono sensu imbuantur, invenit, opportunitatem quidem observans, vitium autem arguens, et affectionum animi causas exponens, et a ratione alienarum cupiditatum radices excindens, a quibus quidem abstinere oporteat præcipiens, omnia autem salutis antidota ægrotantibus exhibens. Hoc est enim maximum et maxime regium Dei opus, humanam servare naturam. At medico quidem, qui nihil quod ad salutem faciat consulit, ægroti succensent : divino autem Pædagogo quomodo non maximas nos habere gratias fatebimur, qui minime taceat, nec animi penetralibus contineat minas, quæ ferunt ad exitium; sed eas arguat, et quæ ad eas tendunt appetitiones excindat, et quæ ad rectam vitæ rationem pertinent edoceat? Magnæ ergo illi sunt agendæ gratiæ. Ratione enim præditum animal, hominem inquam, aliquidne aliud dicimus oportere quam id quod est divinum, contemplari? Porro autem humanam quoque naturam dico eos oportere considerare, et ita vivere ut jubet et dictat veritas, et ipsum Pædagogum et ejus pæcepta plurimum admirantes, ut quæ inter se congruant et conveniant. Cui convenienter imagini oportet nos quoque, nos ipsos Pædagogo conformantes, ita vivere, ut factis oratio revera conveniat.

CAPUT XIII.

Quod quemadmodum id quod recte et ex virtute geritur, fit secundum rectam rationem ; ita rursus peccatum, præter rationem.

Quidquid est præter rectam rationem, id est peccatum. Jam vero generales animi affectiones seu perturbationes hoc modo definiendas censent philosophi : Cupiditatem quidem, appetitionem quæ non paret rationi : Metum autem, dissolutionem quæ non paret rationi : Voluptatem autem, elationem animæ quæ non paret rationi. Si ergo quæ in ipsam Rationem seu Verbum inobedientia committitur, peccatum generat ; quomodo non necessario Rationi seu Verbo obedire, quod quidem fidem dicimus, parit id quod vocatur officium ? Ipsa enim virtus, est animæ consentiens affectio, rationi subjecta per totam vitam. Quinetiam, quod est supremum omnium, ipsam Philosophiam, definiunt, studium rectæ rationis ; adeo ut sit necessario delictum quidquid fit propter errorem rationis, et merito vocetur *erratum*, seu peccatum. Jam enim, quando primus homo peccavit, et Deo non obedit : « Et jumentis, *inquit*, » assimilatus est homo [1], » qui præter rationem aberrasset, merito rationis expers existimatus comparatur jumentis. Hinc etiam dicit Sapientia : « Equus ad coitum libidinosus, » et adulter irrationali jumento assimilatus : *et ideo subjungit* : Quocumque super eum sedente hinnit [2]. » Non amplius, inquit, ut homo loquitur : nec enim est amplius particeps rationis, qui peccat præter rationem ; verum est expers rationis bellua, dedita cupiditatibus, cui omnes voluptates insident. Quod ex rationis autem obedientia recte geritur, προσῆκον et καθῆκον, hoc est, quod *incumbit*, et *convenit*, nempe *officium*, vocant Stoici [3]. Quod autem

[1] Psal. XLIX, 12, 20. — [2] Eccli. XXXIII, 6.
[3] Vide D. Guillon, p. 424.

convenit, id incumbit. Obedientia autem fundatur mandatis. Ea autem, monitionibus cum sint eadem, veritatem sibi scopum proponentia, ad extremum expetendum, qui finis dicitur, instituunt. Pietatis autem finis est æterna in Deo requies. Æternitatis autem principium, est noster finis. Pietatis igitur perfecta operatio officium per opera efficit. Unde officia merito in actionibus, non autem in dictionibus consistunt. Et est Christiani quidem actio, rationalis animæ operatio, ex concinno judicio et appetitione veritatis, quæ per conjunctum et in partem veniens peragitur corpus. Officium autem est, quæ in vita Deum et Christum sequitur voluntas, quæ se propter vitam æternam recte gerit. Etenim Christianorum vita, quam nunc instituimus, est quædam rationalium quasi actionum compages, hoc est, eorum quæ a Ratione docentur, quæ labi nesciat operatio, quam quidem fidem appellavimus. Hæc autem compages sunt mandata Domini, quæ cum sint divinæ sententiæ, monita spiritualia, nobis ipsis scripta sunt, ut quæ et nobis ipsis et proximis bene quadrent. Quinetiam ipsæ quoque ad nos revertuntur, sicut pila quæ propter repercussionem ad eum qui jacit recurrit. Unde etiam sunt ea quæ decent ac conveniunt, nempe officia, ad divinam Pædagogiam necessaria, ut quæ a Deo præcepta et ad salutem tradita sunt. Et quoniam eorum quæ sunt necessaria, alia quidem solum ad vitam hic agendam pertinent, alia vero hinc, ut illic bene vivamus, avolare faciunt : convenienter quoque officiorum, hæc quidem ad vivendum, illa vero ad recte vivendum ordinantur. Quæcumque ergo ad gentiliter vivendum præcipiuntur, ea vulgo publicata sunt. Quæ autem ad bene vivendum conveniunt, ex quibus æterna illa vita acquiritur, ea hic veluti adumbrata ex ipsis Scripturis colligemus ac considerabimus.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Quomodo circa alimenta versari oporteat.

Propositum itaque institutum ac scopum sequentibus, et scripturas ad eam Pædagogiæ partem quæ vitæ utilis futura est deligentibus, qualem esse in tota vita eum qui Christianus dicitur oporteat, summatim describendum est. Nobis igitur a nobis ipsis incipiendum est, et quomodo nos componere ac moderari oporteat. Habita ergo operis nostri, commodæque illius dispositionis ratione, quemadmodum unumquemque nostrum se in suum corpus gerere, vel potius quomodo id dirigere oporteat, dicendum est. Quando enim quis a rebus externis, et ab ipsa præterea corporis cultura ad mentem a Ratione, seu Verbo, deductus, eorum quæ in homine secundum naturam eveniunt contemplationem accurate didicerit, sciet non esse studium in res externas conferendum : sed hominis quod est proprium, animæ nempe oculum, expurgandum, castamque et sanctam carnem suam tuendam. Qui enim ab illis pure emundatus exolutusque fuerit, per quæ est adhuc pulvis, quidnam aliud commodius seipso habere poterit, ad hoc, ut recta via ad Dei procedat comprehensionem? Atque alii quidem homines *vivunt ut comedant,* quod certe etiam rationis expertibus evenit animantibus, « Quibus nihil aliud quam » venter vita est : » nobis autem Pædagogus præcipit *comesse ut vivamus :* neque enim nostrum nutritio munus

est; neque scopus noster, voluptas : sed propter nostram hic mansionem, quam ad incorruptionem Verbum instituit: et ideo secernitur ac seligitur alimentum. Est autem ipsa simplex et minime curiosa veritas, simplicibus et minime curiosis pueris apposita : utpote quæ ad vivendum, non ad lautitias deliciasque apta sit. Ipsum autem vivere, ex duobus, sanitate scilicet et viribus, constituitur, quibus maxime convenit alimenti facilitas; ut quod et ad digestionem et corporis levitatem sit utile : ex quibus incrementum, sanitas, et justæ vires, non autem injustæ, lubricæ, et miseræ, quales sunt quæ athletis ex illa sua edendi necessitate obveniunt. Sunt itaque multiplices qualitates respuendæ, quæ varia damna pariunt, malas corporum habitudines, stomachorum subversiones, cum corruptus et constupratus sit gustus misera et infausta quadam condiendi arte, et inani in faciendis bellariis artificio. Audent enim appellare nutritionem, studium deliciarum, quod in noxias voluptates dilabitur. Antiphanes autem, Delius medicus, vel unam hanc dixit esse morborum causam, ciborum varietatem : cum qui veritatem ægre ferunt, multiplici nescio qua vana gloria frugalem et moderatum victum abjurent, et transmarinas escas anxie perquirant. Ac mihi quidem morbi eorum misereri lubet: ipsos autem non pudet suas decantare delicias: quæ sunt enim in freto Siculo, murænas anxio et sollicito animo perquirunt, et Mæandri anguillas, et qui in Melo sunt hœdos, et qui in Sciatho mugiles, Pelori conchas, et Abydena ostrea, nec mænidas quæ sunt in Lipara prætermittunt, nec bolum Mantinicum, nec betas quæ sunt apud Ascræos, et pectines exquirunt Methymnæos, et lingulacas Atticas, et turdos Daphnios, et caricas Chelidonias, propter quas in Græciam cum quingentis myriadibus infelix Persa (2) profectus est : Phasidis aves præterea coëmunt, attagenas Ægyptias, Medicum pavonem. Hæc condimentis immutan-

tes, ii qui sunt gulæ dediti, obsoniis inhiant; « quæcum» que tellus, et profunda ponti, immensaque alit latitudo » aëris, » ingluviei ea suæ comparantes. Videntur revera hi insatiabiles, et solliciti ciborum indagatores, ad delicias suas mundum irretire, sibilantibus sartaginibus undique circumstrepentes, et circa cochlear et mortarium totam vitam suam consumentes, edaces atque adeo omnivori homines, materiam ignis instar apprehendentes. Quinetiam facilem cibum, nempe panem, effœminant, id quod in frumento maxime nutrit excribrantes, adeo ut alimentum maxime necessarium fiat probrum voluptatis. Apud homines autem nullum habet terminum delicata ingluvies : in liba enim ac placentas provecta est, bellariorum multitudinem excogitans, omnes saporis consectata species. At mihi quidem videtur homo qui est ejusmodi, nihil esse aliud quam bucca aut maxilla. « Ne desideres autem, *inquit Scriptura*, edu» lia divitum[1] : » ea enim vitæ non veræ et turpi conjuncti sunt. *Illi* enim dant operam obsoniis, quæ fimus paulo post excipit : nobis autem cibum cœlestem venantibus necesse est ventri, qui est sub cœlo, imperare, et multo magis iis quæ ei amica et grata sunt, *quæ Deus abolebit*[2], inquit Apostolus, voraces gulæ cupiditates jure execrans. « Escæ » enim ventri, » ex quibus hæc carnalis et exitialis vita dependet, quam audent nonnulli Agapen vocare, effrænata lingua utentes, nempe quædam prandiola nidorem et jus redolentia : sacram agapen, pulchrum ac salutare Verbi opus, ollis nescio quibus, et liquido jure dedecorantes : potuque, deliciis, et fumo illud nomen probro afficientes, falluntur opinione, ut qui Dei promissum prandiolis se posse emere expectaverint. Quæ enim lætitiæ causa fiunt congregationes, ipsi quoque allegentes, et cœnulas, et prandia, et epulas, hunc cœtum jure vocaverimus, rationem sequen-

[1] Prov. XXIII, 3. — [2] I Cor. VI, 13.

tes. Has autem epulas ἀγάπας non vocavit Dominus. Dicit itaque, alicubi quidem : « Quando fueris invitatus ad nup» tias, ne primo loco accumbas; sed quando vocatus fueris, » accumbe in ultimo loco [1]. » Alicubi autem : « Quando » feceris prandium aut cœnam [2]; » et rursus : « Sed quando » feceris epulum, voca mendicos; » cujus rei causa cœna maxime facienda est. Et præterea : « Homo quidam fecit » cœnam magnam, et vocavit multos [3]. » Sed sentio undenam effluxerit speciosa cœnarum appellatio : nempe « ex » gutturibus. Insaniæ merendarum frequentator, » ait Comicus. Revera enim *multis multa sunt cœnæ gratia* : nondum enim didicerunt Deum parasse suo opificio, homini inquam, cibum et potum, ut conservetur, non autem ut voluptate afficiatur. Nam nec corporibus quidem natura insitum est, ut ex multiplici ciborum varietate juventur. Contra enim omnino, qui escis utuntur vilissimis sunt robustiores, saniores, et generosiores; ut famuli dominis, et agricolæ possessoribus : et non solum fortiores, sed etiam prudentiores; ut philosophi divitibus. Neque enim mentem nutrimentis obruerunt, neque ipsam voluptatibus deceperunt. Agape autem revera est cœleste nutrimentum, rationale epulum : « Omnia sustinet, omnia suffert, omnia » sperat : charitas nunquam excidit [4]. Beatus, qui come» dit prandium in regno Dei [5]. » Casus est autem omnium gravissimus, si quæ charitas non potest excidere, superne e cœlis ad juscula humi abjiciatur. Et tu me eam existimas intelligere cœnam, quæ aboletur? « Si facultates, *inquit*, » meas distribuero, charitatem autem non habeam, nihil » sum [6]. » Ab universa hac charitate dependet Lex et Verbum : et si Dominum Deum tuum et proximum dilexeris, in cœlis est hoc cœleste convivium, quod *a bene habendo*

[1] Luc. XIV, 8, 10. — [2] Ibid. 12, 13. — [3] Ibid. 16. — [4] 1 Cor. XIII, 7, 8. — [5] Luc. XIV, 15. — [6] 1 Cor. XIII. 3.

εὐωχία græce dicitur : terrestre autem, cœna dictum est, ut ex Scriptura ostensum est ; et fit quidem hæc cœna propter charitatem : sed cœna non est ipsa charitas, verum socialis benevolentiæ, et quæ sua lubenter impertit, indicium. « Ne quod ergo nostrum bonum est, maledictis lacessatur. Non est enim regnum Dei esca et potus, » dicit Apostolus, ne fluxum et momentaneum prandium intelligatur : « verum justitia, et pax, et gaudium in Spiritu » sancto [1]. » De hoc prandio qui comederit, is id quod rerum omnium optimum est, nempe regnum Dei, possidebit, sanctum charitatis conventum hic meditatus, nempe cœlestem Ecclesiam. Charitas ergo res est pura et Deo digna : officium vero ejus est communicatio : « Cura autem, disciplinæ est charitas, » quam dicit Sapientia : « Charitas » vero, observatio legum ejus [2]. » Hæ autem lætitiæ habent quoddam charitatis incitamentum ex nutrimento publico, quod ad æternam assuefacit oblectationem. Charitas ergo cœna non est : epulum autem a charitate pendeat. « Discant enim, *inquit*, filii tui, quos dilexisti, Domine, quod » non generationes fructuum nutriant hominem, sed verbum tuum eos qui tibi credunt conservat [3]. » Non enim in pane vivet justus. Sit autem nobis cœna tenuis et expedita, apta ad vigilias, non permixta diversis saporibus. Nec hoc a Pædagogi disciplina alienum est. Bona enim nutrix ad communicationem est charitas, quæ dives habet viaticum, nempe sufficientiam, quæ quidem dimenso justa quantitate alimento præfecta, salubriter corpus administrans, etiam proximis ex eo aliquid distribuit. Victus autem qui sufficientiam excedit ac obruit, homini multum officit : animam certe segnem et inertem reddit, corpus vero valetudinarium, et quod in morbos facile prolabitur, efficit. Quinetiam voluptates, quæ in dijudicandis condimentis

[1] Rom. XIV, 16, 17. — [2] Sap. V, 17, 18. — [3] Ibid. XVI, 27.

tes. Has au
itaque, alic
» tias, ne p
» accumb
» feceris
» feceris
maxime
» cœnar
nam est
» guttu
micus.
dum
inqu
volu
insi
Co
bu
ag
p
1

[illegible] et [illegible], probra inurunt, [illegible], veracitatem, [illegible]. [illegible] quoque aptissime [illegible] et gladiatores, et [illegible] voluptate hi quidem [illegible] autem vitam ipsam [illegible] belluæ hominibus [illegible] belluæ. Et qui eos [illegible] hæc mihi vide[illegible] qui eos [illegible], hoc est, [illegible] intellexerint. [illegible] in aliis versantur, multiplic[illegible] varietatibus, [illegible] qui victum in dies [illegible]? Eos [illegible] pronunt[illegible] tacite quod [illegible] erat epulum rationi [illegible]

« [illegible] lætitiam, occidentes [illegible]
» [illegible] dicentes : Comedamus et [illegible]
» [illegible] ¹. » Et quod ejusmodi delic[illegible]
[illegible] : « Et non dimittetur hoc [illegible]
» [illegible] fecitis. » Non dicens [illegible] sed retributione[illegible] est a salute sejungens. « Ne [illegible]
» [illegible] propter [illegible] delicias ², » dicit Sap[illegible] quoque mentio facienda est, [illegible] esse abstinendum. Illa mihi [illegible] et abominanda, quorum ad sanguinem [illegible]

[illegible]

[illegible] enim vos fieri participes dæmoniorum ³, » dicit [illegible] les. Eorum enim qui servantur, et eorum qui perier[illegible]

¹ Isai. XXII, 13, 14. — ² Eccli. XVIII, 32. — ³ 1 Cor. X, 20.

[illegible] nta. Ab his ergo abstinendum est, non [illegible] ius (non est enim in eis aliqua potentia), [illegible] nostram conscientiam, quæ sancta est, et [illegible] odium, eos nempe, quibus illa sunt dedi- [illegible] præterea propter eorum qui multa procli- [illegible] picantur, imbecillitatem, « quibus infir- [illegible] scientia : cibus enim nos non commenda- [illegible] quæ intrant coinquinant hominem, sed [illegible] *fuit*, exeunt [2]. » Usus ergo naturalis nutri- [illegible] ens [3] : « Neque enim si comedamus, *in-* [illegible] mus : nec si non comedamus, deficimus [4]. » [illegible] sentaneum ut sint *mensæ dæmoniorum* [5] [illegible] divino ac spirituali nutrimento digni sumus [illegible] n habemus potestatem comedendi et bi- [illegible] *Apostolus*, et mulieres circumducendi [6] ? » [illegible] as scilicet imperantes, arcemus cupiditates. [illegible] ne hæc nostra potestas offensionem afferat [illegible] » Non oportet ergo nos veluti prodige et pro- [illegible] quemadmodum est in Evangelio similitudo [illegible] abuti donis patris, sed eis uti ut qui ipsis con- [illegible] remus : ut in cibos enim regnum et domina- [illegible] amus, non ut eis serviamus, ordinati fuimus. [illegible] go præclara et maxime expetenda, sublatis ad [illegible] oculis, divino illi qui in alto est adhærere cibo, [illegible] i revera est inexhausta implere semet contem- [illegible] Hanc enim agapen oportere nos suscipere osten- [illegible] Christi. Est autem valde a ratione alienum et in- [illegible] nequaquam humanum, pecudum more saginatum, nutriri, deorsum in terram respicientes, et e terra [illegible] in mensas procumbentes, gulæ deditam vitam per-

[illegible] r. VIII, 7, 8. — [2] Matth. XV, 11.
[illegible] D. Guillon, p. 424.
[illegible] Cor. VIII, 8. — [5] Ibid. X, 21. — [6] Ibid. IX, 4, 5. — [7] Ibid. VIII, 9. —
[illegible] XV, 11.

anxiæ sunt et difficiles, probra inurunt, utpote liguritionem, ingluviem, edacitatem, voracitatem, insatiabilitatem, et hujusmodi alia. Muscæ quoque aptissime vocantur, et feles, et adulatores, et gladiatores, et immane genus parasitorum: dum ventris voluptate hi quidem rationem, illi vero amicitiam, alii autem vitam ipsam metiuntur, super ventrem serpentes, belluæ hominibus similes, ad imaginem patris sui, edacis belluæ. Et qui eos *prodigos*, quod græce est ἀσώτους appellarunt, bene mihi videntur eorum finem significasse: ut qui eos ἀσώστους, hoc est, *a salute alienos*, per elisionem elementi σ, intellexerint. An non enim sunt ejusmodi, qui in ollis versantur, multiplicibusque exquisitorum condimentorum varietatibus, humilis et abjecti animi, terræ plane filii, qui victum in dies persequuntur, perinde ac non victuri? Eos miseros pronuntiat per Esaiam sanctus Spiritus, nomen Agapes tacite quodammodo ab eis auferens, quoniam non erat epulum rationi consentaneum: « Ipsi autem fecerunt lætitiam, occidentes vitulos, et oves » sacrificantes, dicentes : Comedamus et bibamus, cras » enim morimur [1]. » Et quod ejusmodi delicias peccatum existimet, subjungit : « Et non dimittetur hoc vestrum pec» catum, donec mortui fueritis. » Non dicens peccati remissionem mortem insensilem, sed retributionem peccati, quæ quidem mors est, a salute sejungens. « Ne læteris au» tem propter execrandas delicias [2], » dicit Sapientia. Hic autem de idolothytis quoque mentio facienda est, quonam modo præcipiat ab iis esse abstinendum. Illa mihi videntur execranda et abominanda, quorum ad sanguinem advolant

Animæ ex Erebo, nunc lumine cassæ.

Nolo enim vos fieri participes dæmoniorum[3], dicit Apostolus. Eorum enim qui servantur, et eorum qui perierunt, se-

[1] Isai. xxii, 13. 14. — [2] Eccli. xviii, 32. — [3] 1 Cor. x, 20.

parata sunt nutrimenta. Ab his ergo abstinendum est, non quod ea pertimescamus (non est enim in eis aliqua potentia), sed quod propter nostram conscientiam, quæ sancta est, et propter dæmonum odium, eos nempe, quibus illa sunt dedicata, aversemur; et præterea propter eorum qui multa procliviter et lubrice suspicantur, imbecillitatem, « quibus infir» ma polluitur conscientia : cibus enim nos non commenda» bit Deo[1]. Neque quæ intrant coinquinant hominem, sed » quæ ex ore, *inquit*, exeunt[2]. » Usus ergo naturalis nutrimenti est indifferens[3] : « Neque enim si comedamus, *in» quit*, plus habemus : nec si non comedamus, deficimus[4]. » Sed non est consentaneum ut sint *mensæ dæmoniorum*[5] participes, qui divino ac spirituali nutrimento digni sumus habiti. « An non habemus potestatem comedendi et bi» bendi, *dicit Apostolus*, et mulieres circumducendi[6]? » sed voluptatibus scilicet imperantes, arcemus cupiditates. « Videte *ergo*, ne hæc nostra potestas offensionem afferat » imbecillis[7]. » Non oportet ergo nos veluti prodige et profuse viventes, quemadmodum est in Evangelio similitudo *filii*[8] divitis, abuti donis patris, sed eis uti ut qui ipsis constanter imperemus : ut in cibos enim regnum et dominatum obtineamus, non ut eis serviamus, ordinati fuimus. Res est ergo præclara et maxime expetenda, sublatis ad veritatem oculis, divino illi qui in alto est adhærere cibo, et ejus qui revera est inexhausta implere semet contemplatione. Hanc enim agapen oportere nos suscipere ostendit cibus Christi. Est autem valde a ratione alienum et inutile, et nequaquam humanum, pecudum more saginatum, morti nutriri, deorsum in terram respicientes, et e terra semper in mensas procumbentes, gulæ deditam vitam per-

[1] 1 Cor. VIII, 7, 8. — [2] Matth. XV, 11.
[3] Vide D. Guillon, p. 424.
[4] 1 Cor. VIII, 8. — [5] Ibid. X, 21. — [6] Ibid. IX, 4, 5. — [7] Ibid. VIII, 9. — [8] Luc. XV, 11.

sequentes, id quod bonum est hic utique, in vita quæ mox non est futura, infodientes, soli cibi devorationi blandientes, propter quam in majori pretio sunt coqui quam agricolæ. Non enim ferculorum apparatum tollimus, sed consuetudinis prolapsionem, tanquam calamitatem, suspectam habemus. Quocirca vitandus est luxus, pauca quædam, et quæ sunt necessaria, sumentibus; et « si quis nos invitat in» fidelium et accedere statuamus (*bonum est enim* cum in» solentibus hominibus non versari), quidquid apponitur » *jubet nos* comedere, nihil interrogantes propter conscien» tiam[1]. » Similiter autem jussit nos *ea quæ sunt in macello*, citra ullum scrupulum ullamve curiosam indagationem, *emere*[2]. Non est ergo penitus a variis cibis abstinendum, sed in eis non est studium ponendum. Ea autem quæ apponuntur sumere debemus, ut decet Christianum, eum quidem qui nos invitavit honorantes, per innoxiam, et quæ satietatem non afferat, congressionis societatem : sumptuosas, quæ inferuntur, dapes indifferentes esse existimantes: obsonia despicientes, ut quæ paulo post non sint futura. » Qui comedit, eum qui non comedit non spernat. Qui » autem non comedit, eum qui comedit non judicet[3]. » Paulum autem progressus, præcepti quoque causam exponit : « Qui comedit, *inquiens*, Domino comedit, et Deo agit » gratias : et qui non comedit, Domino non comedit, et Deo » agit gratias[4] : » ut sit justum nutrimentum, gratiarum actio. Porro autem qui semper agit gratias, is in voluptatibus non versatur. Quod si etiam ad virtutem e convivis aliquot hortari velimus, eo magis a lautis et delicatis his cibis abstinendum est, evidens virtutis exemplar nos ipsos exhibentes, sicut ipsi Christum exemplar habuimus. « Si quid *enim ejus*» *modi ciborum* fratrem offendit, non comedam hoc, *in*» *quit*, in æternum, ne fratrem meum offendam[5]. » Exigua

[1] 1 Cor. x, 27. — [2] Ibid. 25. — [3] Rom. xiv, 3. — [4] Ibid. 6. — [5] 1 Cor. viii, 13.

continentia hominem lucrifacio. « An non habemus potesta- » tem comedendi et bibendi[1]? « Et veritatem » cognovimus, » *inquit*, quod nihil sit simulacrum in mundo, sed solus » revera et unus noster Deus, ex quo omnia, et unus Do- » minus Jesus. Sed tua, *inquit*, cognitione perit frater im- » becillis, propter quem Christus mortuus est. Qui autem » imbecillium fratrum conscientiam verberant, in Christum » peccant[2]. » Hac quidem certe ratione Apostolus nobis ca- vens, cœnas discernit : non « commisceri *jubens*, si quis » frater inveniatur qui dicitur esse fornicator, vel adulter, » vel idololatra; cum eo ne comedere quidem[3], » nec sermo- nem, nec obsonium; quod illinc procedit metuens inquina- mentum, quemadmodum etiam mensas dæmoniorum. « Bo- » num ergo esse nec carnem comedere, nec vinum bibere[4], » et ipse fatetur, et Pythagorici : hoc enim est potius ferarum: et quæ ex eis ascendit exhalatio, cum sit crassior et turbi- dior, offundit animæ tenebras. Quod si quis ea quoque su- mat, non peccat, modo ea moderate sumat, non eis nimium deditus, neque ab eis pendens, neque obsoniis inhians. Ei enim vox insusurrabit, dicens : *Ne cibi gratia dissolve opus Dei*[5]. Est enim insipientis ea quæ vulgaribus epulis appo- nuntur valde mirari ac stupere, postquam quæ ex Verbo percipiuntur delicias senseris : multo est autem insipientius, ut oculi serviant ferculis; quo fit, ut eorum intemperantia una cum his quodammodo circumferatur a ministris. Quo- modo autem non est inutile sedibus insurgere, propemo- dum faciem in ollas injicientes, e sedibus tanquam e nido prospicientes, ut, quod vulgo dicitur, *vaporem errantem ex- cipiant per respirationem?* Quomodo autem non est a ra- tione alienum, manus condimentis immiscere, vel perpetuo ad obsonium extendere, non gustantium ritu, sed rapien-

[1] 1 Cor. IX, 4. — [2] Ibid. VIII, 6, 11, 12. — [3] Ibid. V, 11. — [4] Rom. XIV, 21. — [5] Rom. XIV, 20.

tium, immoderate et indecore se implentes? Videre enim est eos qui sunt ejusmodi, suibus vel canibus propter voracitatem assimilari, potius quam hominibus : qui adeo festinant ut saturentur, ut ambæ maxillæ simul inflentur, elatis vasis quæ sunt in facie : quinetiam sudor præterea diffundatur, dum propter insatiabilitatem arcte comprimuntur, et propter intemperantiam anhelant, festinatione indecora, et ab honesta consuetudine aliena, intruso in ventrem nutrimento, tanquam ad viaticum, non ad digestionem edulia reponant. Atque cum semper malum sit transire modum, tum in nutrimentis maxime reprobatur. Ingluvies itaque, quæ græce ὀψοφαγία dicitur, nihil est aliud quam in *obsonii* usu modi transgressio. Dicitur etiam λαιμαργία, quæ quidem est circa *guttur insania;* et γαστριμαργία, quæ est in alimento intemperantia, et, ut ipsum nomen indicat, in *ventrem insania. Insanus* enim græce μάργος dicitur. Eos itaque qui in epulis male se gerebant Apostolus increpans, dicit : « Unusquisque enim propriam cœnam præoccupat in comedendo: » et alius quidem esurit, alius vero est ebrius. An non domos habetis ad comedendum et bibendum? aut Dei Ecclesiam contemnitis, et pudore afficitis eos qui non habent[1]?» Apud eos autem qui habent, qui citra ullum pudorem comedunt, qui insatiabiles sunt, seipsos dedecore afficiunt. Ambo autem male faciunt, hi quidem, dum eos qui non habent gravant : illi vero dum suam intemperantiam apud eos qui habent aperiunt. Necessario ergo adversus eos qui pudorem exuerunt, et qui cœnis immoderate utebantur, insatiabiles, quibus nihil sufficit, secundo rursus Apostolus in vocem erupit indignantem : « Quamobrem, fratres mei, » convenientes ad comedendum, alter alterum expectate. » Si quis autem esurit, domi comedat, ne in judicium conveniatis[2]. » Ab omni ergo servili et illiberali actione et in-

[1] 1 Cor. XI, 21, 22. — [2] Ibid. 33, 34.

temperantia abstinendum est, quæ apponuntur honeste attingendo, tum manum, et lectum, et barbam servando impolluta, faciei decorem immobilem custodiendo, nec inter comedendum se indecore gerendo, sed manum quidem ordinate certis intervallis adhibitis porrigendo. Est etiam cavendum ne inter comedendum loquaris : fit enim vox indecora, et non satis expressa, ut quæ plenis maxillis in angustum coërcetur; et lingua, quæ nutrimento premitur, a naturali operatione præpedita, obscuram et quasi oppressam edit vocem. Sed nec simul edere et bibere convenit : est enim maximæ intemperantiæ tempora confundere quorum usus non simul conveniunt. Et, *Sive comeditis,* inquit, *sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite*[1], ad veram frugalitatem collimantes : quam mihi Dominus quoque videtur significasse, cum *panes* benedixit et *assos pisces,* cum quibus suos discipulos convivio excepit, cibi minime exquisiti pulchrum exemplar inducens. Ille itaque piscis[2] quem, cum jussisset Dominus, Petrus cepit, ipse quoque facile, divinitus donatum, frugaleque, ac moderatum alimentum significat. Per eos autem qui ex aqua ascendunt ad escam justitiæ, monet auferre luxuriam, et avaritiam, tanquam a pisce numisma; ut ableget vanam gloriam, et dato statere publicanis, « redditis Cæsari quæ sunt Cæsaris, Deo *servet* quæ » Dei sunt[3]. » Habet autem stater alias quoque solutiones, quæ minime ignorantur; sed ea tractare non est hujus temporis : sufficit autem nuda mentio, qua ad præsens institutum utimur, cum a Verbi floribus minime sit aliena : atque idem jam sæpe fecimus, ad eam de qua agitur quæstionem, fontem longe utilissimum attrahentes, ut irrigentur quæ a Verbo plantata sunt. Etsi omnium *mihi licet esse particeps, non omnia tamen expediunt*[4] : cito enim adducuntur ut ea faciant quæ non licet, qui faciunt omnia

[1] 1 Cor. x, 31. — [2] Matth. xvii, 27. — [3] Id. xxii, 21. — [4] 1 Cor. x, 23.

quæ licet. Quemadmodum autem non acquiritur justitia per avaritiam, neque temperantia per intemperantiam: ita nec victus Christiani ratio paratur deliciis. A cibis enim titillantibus et ad venerem incitantibus, procul est mensa veritatis. Etsi enim maxime propter homines omnia facta sunt, non tamen omnibus uti bonum est, sed neque semper: nam occasio, tempus, modus, et respectus rei alicujus, non parvum ei qui instituitur momentum afferunt ad id quod ipsi est utile. Atque hoc quidem quod aptum est magnam etiam vim habet ad abolendam vitam quæ est ventri dedita : ad quam quidem divitiæ incitant, non eæ quæ acute vident, sed nimiæ, quæ circa gulæ insaniam cæcutiunt, copiæ. Nemo autem quoad res necessarias pauper est, neque homo unquam despicitur. Qui enim et pennata et natatilia, et, ut semel dicam, a ratione aliena nutrit animantia, unus est Deus : eis autem nihil deest, etsi nullam de victu curam gerant[1]. Nos autem eis sumus eo præstantiores, quod et domini; et eo magis Deo conjuncti, quo temperantiores. Facti autem sumus, non ut comedamus et bibamus; sed ut facti, Deum agnoscamus. « Justus enim, *inquit*, comedens, » impletur animo : ventres autem impiorum egeni[2], » ut qui nunquam cessaturas cupedias appetant. Magnificentia autem non ad solum usum, sed etiam ad socialem communicationem apta est. Quocirca ii cibi cavendi sunt qui non esurientes nos cogunt comedere, appetitiones nostras veluti quibusdam præstigiis fallentes. An non est enim etiam in moderata frugalitate multiplex ciborum varietas? bulbi, olivæ, quædam olera, lac, caseus, fructus, et quæcumque absque jure coquuntur : et si assa carne vel elixa opus fuerit, ea est quoque impertienda. « Habetis hic aliquid quod » edi possit[3] » ? » dixit Dominus discipulis post resurrectionem : illi vero, ut qui frugalitatem exercere ab eo didice-

[1] Matth. vi, 25 et seq.—[2] Prov. xiii, 21.—[3] Luc. xxiv, 41, 42, 43, 44.

rant, ei « assi piscis partem dederunt. Et cum coram eis co- » medisset, dixit eis, *inquit Lucas,* quæcumque dixit. » Ad hæc autem, ne bellariorum quidem, nempe favorum, expertes esse observandum est eos qui secundum rationem seu Verbum cœnant. Ex cibis enim ii sunt aptissimi, quibus statim uti licet absque igne, quoniam sunt paratiores : his autem secundi, qui sunt frugaliores ac viliores, ut ante diximus. Iis autem qui ad luxum mensarum propendent, et suos sibi morbos enutriunt, præest dæmon helluo maximus, quem ego non verebor appellare Ventridæmonem, et dæmonum omnium pessimum et perniciosissimum. Is autem est revera similis ei qui dicitur ventriloquus. Melius est autem esse felicem, quam habere cohabitantem dæmonem. In usu autem virtutis esse censetur felicitas. Matthæus itaque Apostolus seminibus, baccis, et oleribus, absque carnibus, utebatur. Joannes autem, continentiam ulterius extendens, *locustas et mel agreste* comedebat [1]. Porro autem Petrus quoque abstinebat a suibus. Sed « in eum cecidit extasis, *ut in Actibus Apostolorum scriptum est,* et videt cœlum apertum, » et vas quoddam quatuor initiis alligatum super terram; » omnes quadrupedes, et serpentes terræ, et volucres cœli » in ipso. Et vox ad ipsum facta est : Surge, et occide, et » comede. Petrus autem dixit : Nequaquam, Domine, quo- » niam omne commune et immundum nunquam comedi. » Et vox rursus ad eum secundo facta est : Quæ Deus mun- » davit, ne communia dixeris [2]. » Ergo nobis quoque usus est adifferens : « Non enim quæ intrant in os coinquinant hominem [3], » sed in intemperantia inanis exercitatio. Deus enim, cum finxisset hominem, *Omnia vobis,* inquit, *erunt in cibum* [4]. « Olera *autem* cum charitate meliora, quam vitulus cum fraude [5]. » Hoc nobis recte in memoriam revocat id

[1] Matth. III, 4. — [2] Act. X, 10, 11, 12, 13, 14, 15. — [3] Matth. XV, 11. — [4] Gen. IX, 2, 3. — [5] Prov. XV, 17.

quod ante dictum est, quod non sunt olera agape, seu charitas, sed sumendæ sunt cum charitate cœnæ, in quibus bona quidem est media constitutio, et in omnibus quidem, sed vel maxime in apparatu convivii. Nam sunt extrema quidem periculosa, media autem bona sunt : medium est autem, quidquid non eget rebus necessariis. Quæ sunt enim secundum naturam appetitiones, circumscribuntur sufficientia. Porro autem Judæis per Legem summo consilio præcipitur frugalitas. Innumerabilium quippe rerum usum per Mosem abstulit Pædagogus, causas illas adjungens, occultas quidem, quæ erant spirituales; apertas autem, quæ carnales, quibus etiam crediderunt : his quidem, quod ungulam non habeant bifidam : illis vero, quod cibum non ruminent : aliis vero, quod ex aquatilibus sola squamas non habeant [1]; adeo ut eis omnino pauca restarent apta ad alimentum. Quæ autem permisit esitare, ex iis rursus prohibuit morticina, et quæ simulacris immolata, et quæ suffocata fuerant : nam hæc ne quidem licet tractare. Quoniam enim fieri non potest ut qui dulcibus utitur, ab eis percipiendis abstineat, ei contrariam vitæ rationem opposuit, donec eum qui ex consuetudine nascitur ad voluptatem impetum dissolveret. Hominibus autem sæpenumero quidem damnum et molestiam procreavit voluptas : ægritudinem autem, et oblivionem, et insipientiam, in anima parit nimia alimenti copia. Jam vero dicunt etiam puerorum corpora recte crescere, in longitudinem scilicet promoveri, si desit nutrimentum : neque enim prohibetur qui se ad augmentum confert spiritus, viæ facilitatem nimio nutrimento obsepiente. Unde luxuriosam deliciisque affluentem vitam philosophorum ille qui veritatem sectatus est, Plato, Hebraicæ veritatis excitans scintillam : « Mihi autem eo, *inquit*, » cum venissem, quæ illic beata vita dicitur, Italicis et Sy-

[1] Lev. XI. Deut. XIV.

» racusanis mensis plena, nullo modo placuit : bis die saturum fieri, nec unquam pernoctare solum, cæteraque quæ » hanc vitam comitantur. Nemo enim omnium qui sub cœlo » sunt, si in hujusmodi moribus ab adolescentia nutriatur, » prudens unquam evadet, quamvis natura et ingenio ex» cellenti præditus. » Neque enim Plato de Davide non audierat, qui cum « sua civitate in medio tabernaculo sanctam » arcam collocaret, » indulta omnibus qui ejus ditioni parebant, lætitia *coram Domino, distribuit* omnibus Israëlis copiis, « a viro usque ad mulierem, unicuique tortam panis, » et subcineritium panem, et laganum ex sartagine[1]. » Hoc est sufficiens nutrimentum et Israëliticum : gentile autem quod est, supervacaneum est. Qui autem eo utitur, nunquam ut sit sapiens laboraverit, ut qui mentem in ventre infoderit; admodum similis pisci qui *asinus* dicitur, quem quidem dicit Aristoteles, solum ex aliis animalibus, habere cor in ventre. Hunc Epicharmus comicus vocat ἐκτραπελόγαστρον, hoc est, qui *a communi ventris consuetudine discedit.* Tales sunt ii homines qui in ventrem crediderunt; « quorum » Deus venter est, et gloria in ignominia ipsorum, qui ea » quæ sunt terrena cogitant[2]. » Eis haud bona prædixit Apostolus, dicens : *Quorum finis est interitus.*

CAPUT II.

Quomodo in potu se gerere oporteat.

Vino autem modico utere, aquam bibenti Timotheo, *propter stomachum tuum*[3], dicit Apostolus; pulchre admonens ægrotanti et præ nimio humore languenti corpori conveniens, quod ipsum constringat et confirmet, remedium

[1] 2 Reg. VI, 17, 18, 19. 1 Paral. XVI, 1, 2, 3. — [2] Phil. III, 19. — [3] 1 Tim. 23.

adhibens : *modicum* autem id decernens, ne eum lateret, hoc remedium, si nimis copiose sumatur, alia egere curatione. Naturalis itaque et sobrius potus sitientibus necessarius, est aqua. Eam ex prærupta petra manantem, veteribus Hebræis, unicum ac simplicem temperantiæ potum, suppeditavit Dominus[1]. Oportebat autem eos, utpote errantes, esse maxime sobrios. Postea sancta vitis botrum germinavit propheticum. Hoc signum est iis qui ad quietem ex errore instituti sunt, magnus botrus, nempe Verbum pro nobis pressum, cum sanguis uvæ, hoc est Verbi, aqua temperari voluerit; ut etiam sanguis ejus salute temperatur. Duplex est autem sanguis Domini : alter enim est carnalis, quo redempti sumus ab interitu : alter vero spiritualis, quo scilicet uncti sumus. Et hoc est, bibere Jesu sanguinem, nempe fieri participem incorruptionis Domini. Verbi enim virtus est Spiritus, quemadmodum sanguis carnis. Unde, quemadmodum vinum aquæ, sic etiam homini Spiritus admiscetur. Ac temperatum quidem vinum fidem conviviis præbet : Spiritus autem deducit ad incorruptionem. Amborum autem temperatura, potus scilicet et Verbi, dicitur Eucharistia, scilicet laudabilis et *præclara gratia* : cujus qui per fidem sunt participes, sanctificantur et corpore et anima; quippe divinum temperamentum, hominem scilicet, divina voluntas Spiritu et Verbo mystice contemperat. Etenim revera Spiritus animæ, quæ ab ipso fertur, conjungitur : caro autem Verbo, propter quam « Verbum caro factum est [2]. » Eos itaque laudo et admiror qui vitam austeram delegerunt, et temperantiæ medicamentum, aquam appetunt; vinum autem, tanquam ignis minas, quam longissime fugiunt. Placet ergo, ut pueri et puellæ ab hoc medicamento ut plurimum abstineant. Non enim ferventi ætati, quod est omnium humidorum calidissimum, vinum infun-

[1] Exod. XVII. Num. XX. — [2] Joan. I, 14.

dere convenit, perinde ac si quis ignem in ignem derivet, ex quo immanes appetitiones, ardentesque cupiditates, et mores ignei incenduntur : excalefacti autem intus adolescentes evadunt propensi ad libidines, adeo ut ipsorum corpus futuri exitii certa præbeat indicia, celerius quam oportuit maturatis membris cupiditatis. Vino enim effervescentes turgent ac intumescunt ubera et pudenda, et quamdam fornicationis imaginem jam prænuntiant : et corpus cogit vulnus animæ inflammari : et pulsus impudentes redundantiam persequuntur, temperantiam ac moderationem ad iniquitatem provocantes : hinc autem fit, ut mustum juventutis fines pudoris transiliat. Oportet autem, quam maxime fieri potest, juvenum appetitiones conari extinguere, minarum quidem Bacchicum fomitem auferentes, fervori autem contrarium medicamentum infundentes, quod etiam ardentem animam cohibebit, et membra intumescentia retinebit, et, quæ jam agitatur, cupiditatis incitamentum sopiet. Qui autem sunt in ipso flore ætatis, interdiu quidem sumentes, quibus id convenit, prandium, pane solo gustato, a potu *omnino* abstineant, ut ebibatur eorum superflua humiditas, aridorum esu, veluti quadam spongia, exhausta. Assidue enim spuere et emungi, et ad excernendum properare, sunt signum intemperantiæ ex immoderata exhibitione humidorum, quæ plus quam par sit in corpus infunduntur. Quod si etiam sitis accesserit, curetur aqua non multa hæc affectio. Neque enim aqua nimium profuse impleri convenit, ne eluatur nutrimentum, sed potius comminuatur ad faciendam concoctionem; quod fiat, dum cibi quidem assurgunt in molem, et admodum pauci ex iis ad excretionem procedunt. Quanquam etiam alioqui convenit divinis contemplationibus, vino minime gravari. « Parum enim cogit merum, » *ait Comicus*, sapere : » tantum abest, ut temperantem

possit efficere. Vespere autem, tempore cœnæ vino utendum est : quando sobriis ac seriis lectionibus non amplius operam damus. Tunc et frigidior fit aër ambiens, ut introducto calore fovendus sit tepor innatus, qui deficit. Sed hic quoque vino est exiguo utendum : neque enim usque ad contumeliæ crateras accedendum est. Iis autem qui jam sunt provectioris ætatis, hilarius potu uti permittendum est, ut frigidam ætatem, quæ tempore quodammodo emarcuit, vitis medicamento citra noxam suscitent. Neque enim seniorum appetitiones circa ebrietatis naufragia amplius fluctuare solent. Ratione enim ac tempore, veluti quibusdam anchoris, in portu fundati, cupiditatum tempestatem, quæ ex ebrietate excitatur, ferunt facilius : quibus etiam in conviviis licet aliquid urbane dicere ac lepide. Cæterum iis quoque sit potationis eousque terminus, dum et illabefactatam rationem, et suo officio fungentem memoriam, corpusque vino immotum et inconcussum conservent : ἀκροθώρακα, hoc est, qui suum *pectus* vino insigniter *armavit*, vocant qui sunt harum rerum periti. Melius est ergo, ne labaris, antea desinere. Artorius autem quidam in libro De longa vita (sic enim commemini) existimat oportere eousque potum solummodo præbere, donec cibi humectentur, ut nobis vitam paremus longiorem. Convenit ergo, ut vinum alii quidem loco medicinæ propter solam sanitatem adhibeant; alii vero, ut se relaxent et exhilarent. Vinum enim primum quidem facit eum qui bibit esse sibi ipsi plus quam antea æquum, et convivis suavem, et famulis mitiorem, et amicis jucundiorem : contumelia autem affectus, par pari refert. Vinum enim, cum sit calidum, et habeat suaves succos, moderate temperatum, turpia quidem excrementa liquefacit caliditate, acres autem et malos succos bono odore contemperat. Illud ergo bene dictum est : « Exultatio animæ et cordis, vinum creatum est ab initio, si

» quantum satis est bibatur[1]. » Optimum est autem aqua plurima vinum miscere, et non ipsum tanquam aquam requirere, et sic per temulentiam elanguescere; neque tanquam aquam infundere, præ nimio vini amore. Sunt enim ambo Dei opera, et ea ratione conducit ad sanitatem utriusque mixtura, aquæ scilicet et vini : quoniam ex eo quod est necessarium, et eo quod est utile, vita consistit. Ei itaque, quod est necessarium, nempe aquæ plurimæ, ex utili etiam aliquid immiscendum est. Vino autem immodico lingua quidem præpeditur, labra vero solvuntur, oculi autem detorquentur, cum præ humiditatis multitudine visus tanquam in piscina natitet, et mentiri coacti, existimant omnia in orbem ferri, quæ autem procul sunt recensere non possunt tanquam unica : *Atqui duos soles videre mihi videor*, ebrius dicebat Thebanus senex. Motus enim a caliditate vini visus, sæpius ejus quod unum est multiplicem apprehendit substantiam : nihil autem differt, an visum quis moveat, an id quod videtur ; nam idem visui ex utroque accidit, qui propter fluctuationem non potest subjectum perfecte comprehendere. Jam vero gressus tanquam fluctu impellente subsidunt, nec possunt tenere locum : singultusque, et vomitus, et desipientiæ subeunt. *Quisquis enim est temulentus*, ut dicit Tragœdia,

Eum ira vincit, et caret sapientia,
Demensque lingua multa cum profuderit,
Invitus audit quæ volens dixit male.

Atque ante tragœdiam clamavit Sapientia : « Vinum quod bibitur multum, in irritatione et omni lapsu replet[2]. » Quocirca plurimi quidem dicunt oportere in convivio se relaxare, et seria in auroram differre : ego autem tunc maxime censeo rationem esse in convivium introducendam, quæ

[1] Eccli. xxxi, 27, 28. — [2] Ibid. 29, 30.

instar pædagogi corrigat temulentiam, ne nobis imprudentibus convivium dilabatur ad ebrietatem. Quemadmodum enim nemo qui sapit, æquum censuerit claudere oculos priusquam eat dormitum : ita nec rationem abesse a convivio quis recte voluerit, neque ante res gerendas eam præsopire recte instituerit. Sed neque poterit unquam Ratio, seu Verbum, a familiaribus suis desistere, nec si dormiamus quidem : ea enim ad somnum est advocanda. Perfecta enim sapientia, quæ est divinarum et humanarum rerum scientia, quæ universa complectitur ac continet, quatenus gregis hominum curam gerit, ars vitæ efficitur, et ea ratione, quamdiu vivimus, simul adest perpetuo, proprium semper munus, nempe ut bene vivamus, obiens. Miseri autem, qui e convivio temperantiam exigunt, intemperantiam in compotationibus, vitam esse beatam existimant. Quorum vita quidem nihil est aliud quam comessatio, crapula, balnea, temetum, matulæ, otium, potus. Videre ergo licet aliquos eorum semimortuos, cespitantes, in collis coronas habentes, non secus ac amphoras, inter se invicem sub benevolentiæ nomine despuentes merum : alios autem plenos crapula, sordidatos, in vultu pallentes et lividos, et hesternæ temulentiæ adhuc aliam infundentes temulentiam. Bonum, bonum est, o amici, ut cum hanc imaginem simul ridiculam et miserabilem eminus et quam longissime ab ea didicerimus nos ipsos ad id quod est melius componamus et effingamus, timentes ne forte nos quoque aliis simile spectaculum fiamus, et ridiculi evadamus. Præclare profecto dictum est, « fornacem *quidem* inter tingendum probare » ferri aciem, vinum autem cor superborum [1]. » Et est quidem ebrietas usus vini vehementior; debacchatio vero, quæ græce est παροινία, ex nimio vini usu immodestia : crapula autem quæ propter ebrietatem accipitur, molestia et

[1] Eccli. xxxi, 26.

fastidium : quæ κραιπάλη græce dicta est, eo quod *caput vibret* et exagitet. Hanc vitam (si quidem vita est appellanda quæ est ignava et otiosa, libidini et voluptati dedita, ex nimio vino allucinans) divina suspiciens Sapientia, præcipit suis filiis : « Ne sis vini potor, nec stipem extendas ad » emptiones carnium. Omnis enim ebriosus et fornicator » mendicabit, et induetur laceris et pannosis omnis som» nolentus[1]. » Somnolentus enim est, quisquis ad sapientiam non vigilat, sed ab ebrietate in somnum demergitur : « Et laceris, *inquit*, induetur debacchator, et per ebrieta» tem pudore afficietur, propter eos qui aspiciunt. » Peccatoris enim foramina sunt partes vestis carnalis laceratæ, seu perforatæ libidinibus : per quas dedecus intra animam cernitur, nempe peccatum, propter quod non facile servabitur vestis, quæ undecumque divulsa est et dilaniata, multis scilicet marcescens cupiditatibus, a salute separata ac discissa. Unde illud, quod efficacissime nos admonet, subjungit : « Cui væ, cui tumultus, cui judicia, cui injucundæ » loquelæ, cui contritiones supervacuæ[2] ? » Videte vinosum totum dilaceratum, qui ipsum quidem Verbum despicit, seipsum autem tradidit et permisit ebrietati : quot et quanta ei Scriptura minata est. Minis autem his rursus subjungit : « Cujus sunt lividi oculi ? an non eorum qui in vinis tempus consumunt ? an non eorum qui investigant ubi fiant potationes[3] ? » Hic quidem eum qui potu nimio delectatur, etiam Verbo mortuum esse ostendit per *liventes oculos*, quod est signum mortuorum : eam videlicet quæ est in Domino, mortem ei annuntians. Oblivio enim eorum quæ ad veram vitam pertinent, vergit ad interitum. Jure ergo Pædagogus vehementissime prohibet, nostræ salutis curam gerens : « Ne bibite vinum ad ebrietatem. » Quamobrem ? rogabis. « Quoniam, *inquit*, os tuum tunc loquetur per-

[1] Prov. XXIII, 20, 21. — [2] Ibid. 29. — [3] Ibid. 29, 30.

» versa. Jaces autem tanquam in corde
» gubernator in multis fluctibus[1]. » Et
dicit Poëtica[2] :

Vinum hominum veniens, velut ignis co
Perilit, ceu Libyci fluctuat unda maris
Quam Notus aut Boreas agitant. . . .

Et rursus :

. . . . Abscondita me
Vinum errans verbis aperit, dirum usqu
Vinum quod mentes fallit :

et quæ sequuntur. Videtis naufragii peric
dem multo potu obruitur, excessum autem t
minis comparavit, in quo corpus, tanquam
sum, turpitudinis profundum subiit ac ded
nis vini fluctibus obrutum. Gubernator aute
humana, supereminentis ebrietatis fluctu ci
in mari versans caligat propter procellæ teneb
veritatis aberrat, donec in saxa sub mari late
seipsum in voluptates impactum perdiderit. I
Apostolus quoque præcipit : « Ne inebriemini v
» est multa luxuria[3] : » *non* posse *servari* ebr
ἀσωτίαν, quæ græce *luxuria* est, significans. Nam
vinum in nuptiis fecerit[4], non tamen permisi
verum quod erat aqueum in sensu legis vivi
operatorem ex Adam, universum scilicet mund
sanguine, et potum vitis veritatis, nempe tem
veteris Legis et Verbi novi, ad præstituti temp
mentum, pietati præbuit. Mysticum ergo signu

[1] Prov. XXIII, 33, 34.
[2] Vide D. Guillon, p. 425.
[3] Ephes. V, 18. — [4] Joan. II.

scriptura nominavit. Temulentiæ autem in-hendens : « Intemperans, *inquit*, res est riosa res ebrietas[1]. » Placet ergo rectæ ra- quidem propter rigorem eousque bibant, nt ii qui sunt ad rigendum proclives : altero), propter medelam intestinorum. Quemad-cibo ut non esurias, ita etiam potu ne sitias, diligenter cavendo ne labamur : « Res est nm periculosa vini ingressio. » Ita autem fue-ra pura, sicca, et luminosa. Ipsa autem sicca pientissima et optima : adeoque etiam contem-, nec ex iis quæ ex vino ascendunt exhalatio-cta, instar nubis in molem corpoream cogitur. vinum Chium magna cura requirendum, si ab-sium, si non adsit. Sitis enim est alicujus indi-io, et ad eam explendam quærit conveniens auxi-tem vinum ardens ac fumosum. Languescentis mbecillæ per intemperantiam appetitionis sunt æ vini importationes, desipiente in desideriis ante ebrietatem. Nam et Thasium, itemque odo-et suaviter spirans Lesbium, et quoddam suave, et dulce Syracusium, et Mendesium quoddam um, et insulare Naxium, et aliud quoddam fra-Italia; multa quidem hæc nomina : moderato au-vivæ vinum unum, quod ex unius Dei agricultura. Quid enim? an non vinum in sua patria natum, sufficit ad suam explendam cupiditatem? Nisi forte quam sunt importaturi, quemadmodum stulti reges. es fluvius est Indiæ sic dictus, cujus est ad potum aqua Choaspia. Quemadmodum autem vinum vi-, ita quæ assumitur aqua, sui efficit amantes. Divites m miseros et hic pronuntiat Spiritus sanctus, per

[1] Prov. xx, 1.

Amos elocutus : « Qui bibunt vinum percolatum, et super » lectum, *inquit*, sedent eburneum [1] : » et quæcumque his similia probri loco subjunxit. Decoris autem cura est maxime gerenda (cujus etiam Minervam, quæcumque ea fuerit, curam gerentem dicit fabula, tibiarum abjecisse delectationem, propterea quod id esset aspectu indecorum); ut nimirum vultu stabili ac minime distorto bibamus, non nimis avide attrahentes, nec, antequam biberimus, oculos indecore se gerere cogentes, præ intemperantia inconvenienter haurientes; ut mentum non conspergamus, nec vestem madefaciamus, dum potus simul totus infunditur, faciem nostram phialis proluentes, atque adeo propemodum obruentes. Etenim susurrus, dum potus magno impetu fertur, et plurimo spiritu attrahitur, perinde ac si in vas fictile infundatur, editus, gutture resonante per rapidam ingurgitationem, turpe est et indecorum intemperantiæ spectaculum. Accedit his, quod ei quoque est damnosum qui illo utitur, potus studium. Ne ad id quod tibi damnum affert, o amice, festinaveris. Non eripitur tibi potus, tibi datus est, et te expectat : ne disrumpi festinaveris, ingenti hiatu attrahens. Impletur tua sitis, etsi tardius biberis, honeste ac decore te gerens, dum potus, ut decet, per partes dividitur. Non enim tempore aufertur, quod præripitur ab intemperantia. « In vino, *inquit*, ne te virum for» tem præbeas : multos enim vinum reddidit inutiles [2]. » Ebrietate autem maxime utuntur Scythæ, Celtæ, Iberi, et Thraces, quæ universæ sunt bellicosæ gentes : pulchrumque ac beatum vitæ studium se exercere putant. Nos autem, qui sumus genus pacificum, ad usum, non ad petulantiam convivantes, sobriis haustibus amicitiæ ergo bibimus, ut revera convenienter nomini ostendantur *amicitiæ*. Quomodo Dominum bibisse existimatis, quando propter nos

[1] Am. vi, 6, 4. — [2] Eccli. xxxi, 25.

homo factus est? adeone impudenter, ut nos? an non honeste ac temperate? an non considerate? Certo enim scitote, ipse quoque vino usus est : nam ipse quoque homo est. Et vinum benedixit, cum dixit : « Accipe, bibite, hoc » est sanguis meus [1], » sanguis vitis : Verbum enim, quod *pro multis effunditur in remissionem peccatorum*, sanctum lætitiæ fluentum allegorice vocat. Et quod sobrium esse oportet eum qui bibit, ex eo quod in conviviis docuit, aperte ostendit : neque enim ebrius docuit. Quod autem vinum esset quod benedictum est, ostendit rursus, dicens discipulis : « Non bibam ex fructu vitis hujus, donec bibero » ipsum vobiscum in regno Patris mei [2]. » Cæterum quod vinum quidem esset quod bibebatur a Domino, rursus ipse de seipso dicit, Judæorum cordis duritiem exprobrans : « Venit enim, *inquit*, Filius hominis, et dicunt : Ecce homo » vorax, et potor vini, publicanorum amicus [3]. » Hæc quidem nobis firma et fixa sint adversus eos qui dicuntur Encratitæ. Porro autem mulieres, honesti ac decori memores, ne labra latis calicibus diffundentes, dilatato ore disrumpantur, admodum angustis in ore alabastris indecore bibentes, capita reflectunt, colla autem non, ut mihi quidem videtur, honeste denudant, et jugulum extendentes potum ingurgitant, quasi convivis ea quæ possunt denudare studeant : virilesque eructationes, vel potius serviles attrahentes, in luxu et in deliciis tempus consumunt. Nihil enim quod probrum affert et vituperationem, viro qui ratione est præditus convenit, multo autem minus mulieri, cui vel ipsum cogitare quænam sit, ei affert pudorem. « Ira au» tem, *inquit*, magna, est mulier ebria [4] : » tanquam ira esset Dei, mulier temulenta. Quamobrem? quoniam « suam » non celat turpitudinem. » Facile enim mulier ad inho-

[1] Matth. xxvi, 27, 28. — [2] Ibid. 29. Marc. xiv, 25. — [3] Luc. vii, 34. — [4] Eccli. xxvi, 8.

neste se gerendum attrahitur, modo animum suum liberum voluptatibus permiserit. Neque vero alabastris bibere prohibuerimus, sed studium in his solis bibendi iis, ut superbum et arrogans, resecamus : hoc enim volumus, ut, nulla ratione habita, iis quæ se obtulerint utantur, pravos appetitus eminus ab ipso principio excindentes. Jam vero aëris impulsus, qui redeunte quadam fluctuatione incitat ad eructandum, est sensim transmittendus. Nullo autem modo permittendum est mulieribus, ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur : hi quidem, dum ad videndum incitantur; illæ vero, dum in se virorum intuitum attrahunt. Semper autem, tanquam præsente Domino, honeste versandum est, ne nobis quoque sicut Corinthiis succensens dicat Apostolus : « Convenientibus vobis non licet Dominicam cœnam comedere [1]. » Mihi videtur is qui a mathematicis dicitur Acephalus, qui ante stellam errantem enumeratur, capite in pectus compresso, significare helluones homines, et voluptuarios, et ad ebrietatem propensos. Nam in his quoque ratiocinandi facultas non in capite, sed in intestinis collocatur, iræ et cupiditati serviens. Quamobrem quemadmodum Elpenor colli vertebras fregit, cum cecidisset per ebrietatem : ita eorum cerebrum præ ebrietate caligine offusum, ad cor et jecur, hoc est, ad voluptatem et iram majori casu decidit quam dicunt poëtæ Vulcanum cœlitus a Jove in terram fuisse dejectum. « Labor autem, vigiliæ, *inquit*, et bilis, et tormentum est cum homine insatiabili [2]. » Quocirca Noë quoque indecora vinolentia descripta est, ut ebrietatem quam maxime vitemus, manifestam scriptisque mandatam lapsus imaginem habentes : propter quam qui ebrietatis texerunt turpitudinem, benedicuntur a Domino. Brevissime itaque comprehendens Scriptura, uno verbo omnia dixit, quod

[1] 1 Cor. xi, 20. — [2] Eccli. xxxi, 23.

« homini erudito satis est vinum, et in ejus cubili requies-
» cet [1]. »

CAPUT III.

Quod in sumptuosam vasorum supellectilem non sit studium conferendum.

Argenteorum itaque, et aureorum, gemmeorumque poculorum irritus et inutilis est usus, ut quibus visus decipiatur tantum. Nam sive eis calidum mixtum liquorem infuderis, excalefactorum vasorum molesta est tractatio; sive rursus frigidum infuderis, qualitatem materia transfundit, liquorem corrumpens, et est damnosus dives potus. Valeant ergo Thericlei calices, Antigonides, canthari, Labronii, et lepastæ, et poculorum genera innumerabilia, psycteres præterea, et trullæ. Auri enim et argenti, et privatim et publice est invidiosa, ut semel dicam, possessio, si usum excesserit : rara ad acquirendum, difficilis ad custodiendum, et non apta ad utendum. Quinetiam curiosa ac inanis cælatorum in vitro vana gloria, ad frangendum propter artem paratior, quæ timere docet simul ac bibas, est a bonis nostris institutis exterminanda. Sellæ autem argenteæ, pelves et acetabula, scutellæ et catini, et præterea vasa aurea et argentea, nonnulla quidem ad ciborum ministerium, alia vero ad alios usus quos me pudet dicere, ex sectili cedro, thyo, ebenoque, et ebore instructi tripodes, lectique argentei pedes et ex ebore compacti, auroque interspersæ et testudine variatæ cubilis valvæ, et stragulæ vestes purpureæ, et aliorum colorum paratu difficilium, insolentium deliciarum argumenta, invidiæ mollisque ignaviæ insidiosa commoda, sunt omnia amandanda, ut quæ nihil habeant propter quod sit jure in eis multum studii ponendum : *Tempus enim contractum est* [2], ut dicit Apostolus. Hoc

[1] Eccli. xxxi, 19. — [2] 1 Cor. vii, 29.

ergo restat, ne habitum quempiam præ nobis ridicule feramus : quemadmodum in pompis videntur nonnulli extrinsecus ita uncti et obliti ad gravitatem, ut stuporem et admirationem incutiant, intus autem sunt plane miseri. Hoc itaque explicans accuratius, subjunxit : « Reliquum est, ut » et qui habent uxores sint tanquam non habentes, et qui » emunt, tanquam non possidentes [1]. » Quod si hæc dixit de conjugio, de quo dixit Deus, *Multiplicemini* [2], quomodo putatis insolentiam non esse ex auctoritate Domini exterminandam? Quocirca dicit etiam Dominus : « Vende quæ » habes, et da pauperibus, et huc me sequere [3]. » Sequere Deum nudus ab arrogantia, nudus a pompa momentanea, quod tuum est, quod bonum est, quod auferri non potest, in Deum fidem, in passum confessionem, beneficentiam in homines possidens : quæ quidem est possessio pretiosissima. Ego autem laudo etiam Platonem, qui lege lata aperte decernit, quod neque ut opes aureas et argenteas habeas, laborare oportet, neque vas inutile, quod non cum usu necessario moderatum quoque sit, ut sit idem ad multa accommodatum : multiplex autem et varia possessio tollatur. Pulcherrime itaque alicubi dicit divina Scriptura, ad eos qui sunt sui amantes et arrogantes verba dirigens : « Ubi sunt » qui gentibus imperabant, et qui dominabantur feris quæ » sunt super terram? qui in cœli avibus illudebant, qui ar» genti et auri thesauros congregabant, in quibus homines » habebant fiduciam, et non est finis acquisitionis eorum? » qui aurum et argentum fabricabantur, et erant solliciti? » Non est inventio operum eorum : evanuerunt, et ad infe» ros descenderunt [4]. » Hæc est merces arrogantis superbiæ. Si nobis enim agrum colentibus ligone et aratro opus est [5],

[1] 1 Cor. VII, 29, 30. — [2] Gen. I, 28. — [3] Matth. XIX, 21. Marc. X, 21. Luc. XVIII, 22. — [4] Baruch. III, 16, 17, 18, 19.
[5] Vide D. Guillon, p. 425.

ligonem autem argenteum falcemque auream nemo fabricari soleat, et materia quæ apta sit ad opus faciendum, non quæ sit dives, in agricultura utimur : quid vetat, quominus in vasis quoque domesticis idem sentiant, qui quod est simile considerant? quorum modus sit usus, non sumptus magnificentia. Quid enim, dic quæso, qui in mensa ponitur gladiolus, si clavos non habuerit argenteos, vel non fuerit factus ex ebore capulus, non scindit? An ad carnem dividendam Indicum ferrum nobis fabricandum est, auxilium veluti quoddam contra hostem evocantibus? Quid vero? si fuerit pelvis fictilis, an ablutarum manuum sordes non excipiet? et vas fictile, quo pedes lavamus, pedum sordes? Ergone etiam indigne feret mensa quæ est pedibus eburneis instructa, si panem unius oboli portaverit? neque vero lumen lucerna ministrabit, quod sit figuli opus, non aurificis? Ego autem dico, vel humile grabatum nihilo deteriorem præbere accubitum, quam lectum eburneum. Cum autem ad substernendum sit satis pellium, adeo ut purpureis aut puniceis non sit opus, propter primarum, quæ exitium attulerunt, deliciarum stultitiam, nihilosecius condemnare frugalitatem. quis tantus error et vana pulchri persuasio? Videte : Christus in vili catino cibum sumpsit, et fecit discipulos super herbam accumbere, et pedes eorum lavit, linteo accinctus, a fastu alienus Deus et Dominus omnium, sane non argenteum lavacrum e cœlo deferens : et a Samaritana potum petiit, quæ aquam vase fictili hauriebat e puteo, aurum regale non requirens, sitim autem docens facile restinguere. Scopum enim constituebat usum, non inutilem magnificentiam. In conviviis autem comedebat et bibebat, non e terra metalla effodiens, neque auri et argenti, hoc est rubiginem redolentibus, vasculis utens : quodammodo enim spirat e superbiente materia rubigo. In summa enim, et alimenta, et vestes, vasa et supellectilem, et quæcumque in

domo sunt, atque ipsam, ut semel dicam, vitam, oportet esse consentaneam rectæ Christiani hominis institutioni, prout conducibile fuerit, accommodatam personæ, ætati, studio ac tempori. Cum enim simus unius Dei ministri, oportet et possessiones, et quæ est in eis supellectilem, unius honestæ vitæ signa ostendere, et unumquemque hominem certa fide, huic uniformi institutioni ea quæ consequuntur consentanea, et huic uni proposito convenientia videri facere. Quæ autem nos difficulter acquirimus, ea, dum eis facile utimur, laudamus, et facile custodimus, et facile communicamus : meliora autem sunt, quæ utilia. Quæ sunt utique viliora, ea sunt etiam meliora divitibus. In summa, divitiæ quæ non recte administrantur, sunt arx vitii ac sceleris : quibus multi oculos adjicientes, cœlorum regnum nunquam ingredi poterunt; rerum quidem mundanarum desiderio ægri, arroganter autem præ deliciis viventes. Oportet autem eos qui contendunt ad salutem, hoc animo antea præcepisse, quod usus quidem causa nobis sit universa possessio; sufficientiæ autem gratia possessio, quam etiam ex paucis quispiam paraverit. Vani enim sunt qui præ insatiabilitate delectantur possessionibus, quas tantum servent ac recondant. « Qui autem cogit, *inquit*, mercedes, » coëgit in nodum perforatum[1]. » Is autem est, qui cogit sementem, et excludit, et detrimento afficitur, qui nulli impertitur. Res est autem plane ridicula, et digna maxime quæ ludibrio habeatur, quod viri argentea urinæ receptacula, et vitreas matulas inferant, quemadmodum suos introducunt consiliarios ; et hæ, quæ sine ratione sunt, divites mulieres, ex auro excrementorum faciant receptacula, ut ne egerere quidem eis liceat absque superbia. Vellem quidem eos per totam vitam aurum stercora existimare. Nunc autem arx vitii inventa est pecuniæ cupiditas, quam

[1] Agg. 1, 6.

Apostolus dicit esse « radicem omnium malorum : quam » quidam appetentes, a fide aberrarunt, et seipsos confixe» runt multis doloribus[1]. » Veræ autem divitiæ sunt, paupertas cupiditatum[2] : et vera animi magnitudo est, non propter divitias magnos spiritus sumere, sed eas despicere. De supellectile autem et vasis se jactare est perquam turpe : non enim in eis studium suum ponere æquum est, quæ volenti licet vel e foro emere. Sapientia autem emi non potest terreno numismate, nec in foro, sed in cœlo venditur : et justo nummo venditur, nempe Logo immortali, regali aureo.

CAPUT IV.

Quomodo in conviviis se recreare oporteat.

A convivio autem rationali absit comessatio : quinetiam inanes vigiliæ, quæ de petulantia sibi placent. Est enim hæc comessatio, tibia inebrians, extemporalis amatorii pontis impotentiæ catena. Amor autem, et ebrietas, et quæ ratione carent affectiones, a nostro choro procul amandentur. Una autem cum petulantia in comessatione versatur ridicula cantilena : in potu vero vigiliæ ebrietatem accersunt, et excitant libidinem, et sunt ad turpia facienda audaces. Sin autem in tibiis, et psalteriis, choris et saltationibus, et plausibus Ægyptiorum, et dissolutis ejusmodi otiis studiose versentur, valde immodesti, et a bona disciplina alieni evaserint, utpote quos cymbala et tympana circumsonent, et fraudis instrumenta circumstrepant : plane enim, ut mihi videtur, ejusmodi convivium est ebrietatis theatrum. « Cum » enim tenebrarum opera exuerimus, induere arma lucis *vult* » *Apostolus*, ut in die decore ambulantes, non in comessa-

[1] 1 Tim. VI, 10.
[2] Vide D. Guillon, p. 426.

» tionibus et ebrietatibus, non in cubilibus et in impudici» tiis versantes[1]. » Fistula itaque tribuatur pastoribus, tibia autem superstitiosis hominibus qui ad cultum idolorum contendunt. Revera enim hæc instrumenta sunt a sobrio convivio amandanda, quæ magis bestiis quam hominibus conveniunt, et iis hominibus, qui a ratione sunt alieniores. Cervas enim fistulis demulceri accepimus, et in laqueos inter venandum cantu duci a venatoribus. Equis autem coëuntibus, veluti quidam hymenæus, tibia carmen canitur : id autem ab incitandis equis musici appellarunt ἱππόθορον. Omne autem turpe spectaculum, omnemque turpem auditionem, et, ut summatim dicam, turpem omnem sensum intemperantiæ, quæ revera quidem est sensus privatio, maxime oportet nos excindere, voluptatem, quæ oculos et aures titillat et effœminat, caventes : fractorum enim cantuum, et flebilium Caricæ musæ modorum varia veneficia mores corrumpunt, intemperanti et pravo musicæ artificio ad hujus comessationis perturbationem trahentes. Divinum autem ministerium ab his separans, psallit Spiritus : « Laudate » eum in sono tubæ[2] : » in sono enim tubæ suscitabit mortuos. *Laudate eum in psalterio,* quoniam lingua est psalterium Domini. *Et in cithara laudate eum :* per citharam os intelligatur, quod Spiritu, tanquam plectro, pulsatur. *In tympano et choro laudate eum :* dicit Ecclesiam, quæ resurrectionem carnis meditari solet in pelle resonante. *In chordis et organo laudate eum :* organum dicit corpus nostrum, et chordas ejus nervos, per quos numerose intenditur, et Spiritu pulsatum, voces edit humanas. *Laudate eum in cymbalis jubilationis :* oris cymbalum dicit linguam, quæ pulsatis labris resonat : et ideo humanæ naturæ acclamavit : *Omnis spiritus laudet Dominum :* quoniam omnis spiritus, quem fecit, curam gessit. Vere enim pacificum instrumen-

[1] Rom. XIII, 12, 13. — [2] Psal. CL, 3, 4, 5, 6.

tum homo est. Alia autem, si quis curiosius inquirat, instrumenta inveniet bellica, ad cupiditates inflammantia, vel amores incendentia, vel iram irritantia. In bellis itaque suis tuba utuntur Etrusci, fistula Arcades, Siculi autem instrumentis quæ appellant πηκτίδας, Cretenses lyra, Lacedæmonii tibia, cornu Thraces, tympano Ægyptii, et Arabes cymbalo. Uno ergò instrumento, Logo solo pacifico, nos utimur, quo Deum honoramus, non amplius veteri psalterio, et tuba, et tympano, et tibia, quibus mos erat iis qui in bello se exercebant, Deique metum contempserunt, et festivis conventibus in choris uti, ut per ejusmodi modos solutus ac dejectus eorum excitaretur animus. Duplex autem sit nostra in potu benevolentiæ ergo invitatio, ex lege. Si enim « diliges Dominum Deum tuum, *deinde* proximum » tuum[1]; » prior quidem, quæ est in Deum benevola invitatio, fiat per gratiarum actionem et psalmodiam : secunda autem, quæ est in proximum, per honestam vitæ consuetudinem : « Logos enim Domini inhabitet in vobis copiose[2], » dicit Apostolus. Hic autem Logos se accommodat et reddit conformem temporibus, personis, locis : atque adeo nunc quoque in convivio versatur. Rursus enim subjungit Apostolus : « In omni sapientia docentes, et admonentes vos ipsos psal- » mis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia canentes » in corde vestro Deo[3]. » Et rursus : « Quidquid feceritis vel » in sermone, vel in opere, omnia in nomine Domini Jesu, » gratias agentes Deo et Patri ejus[4]. » Hæc est gratiosa nostra comessatio. Et si ad lyram vel citharam canere et psallere noveris, nulla in te cadet reprehensio : Hebræum illum justum regem imitaberis, Deo gratias agentem : « Exultate, » justi, in Domino : rectos decet laudatio (*dicit Prophetia*). » Confitemini Domino in cithara, in psalterio decachordo

[1] Matth. xxii, 37, 39. — [2] Coloss. iii, 16. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 17.

» ei psallite. Cantate ei canticum novum [1]. » Numquid autem decachordum psalterium, Logon, Jesum scilicet, significat, qui manifestatur elemento decadis? Quemadmodum autem antequam sumamus alimentum, laudare nos convenit factorem universorum : ita etiam in potu nos ei decet psallere, cum ejus creaturarum efficimur participes : est enim psalmus numerosa et sobria laudatio. *Canticum spirituale* [2], psalmum dixit Apostolus. Postremo autem antequam nos somnus invadat, pium et sanctum est Deo gratias agere, ut qui ejus benignitatem et gratiam fuerimus consecuti, ita ut cum divino quodam afflatu nos ad somnum conferamus : « Et confitemini ei, *inquit*, in canticis labiorum, quod in » ejus jussu fiat quidquid ei visum est, et ad ejus salutare » nihil est neque mancum, neque diminutum [3]. » Cæterum apud Græcos quoque veteres, in conviviis ad compotandum comparatis, et rorantibus poculis, ad Hebraicorum psalmorum similitudinem, canticum, quod appellabatur σκολιὸν, canebatur, communiter omnibus voce simul pæana clamantibus, et nonnunquam etiam per cantici vices propinationem circumagentibus : qui autem erant ex eis musicæ paulo peritiores, etiam ad lyram canebant. Verum amatoria quidem procul absint cantica [4] : sint autem cantica, Dei laudes : « Laudent, *inquit*, nomen ejus in choro, in tympano, et » psalterio psallant ei [5]. » Et quis est chorus qui psallit? Ipse tibi narrabit Spiritus : « Laudatio ejus in ecclesia sanc» torum : exultent propter regem ipsorum [6]. » Et rursus subjungit : « Quoniam beneplacitum est Domino in populo » suo [7]. » Sunt enim admittendæ modestæ et pudicæ harmoniæ : contra a forti et nervosa nostra mente vere molles harmoniæ amandandæ quam longissime, quæ improbo

[1] Psal. XXXIII, 1, 2, 3. — [2] Ephes. V, 19. Coloss. III, 16. — [3] Eccli. XXXIX, 15, 18.
[4] Vide D. Guillon, p. 426.
[5] Psal. CXLIX, 3. — [6] Ibid. 1, 2. — [7] Ibid. 4.

flexuum vocis artificio, ad effœminatam mollitiem et scurrilitatem deducunt. Graves autem, et pudicæ modulationes ebrietatis proterviæ nuntium remittunt. Chromaticæ igitur harmoniæ, impudenti in vino protervia, floribusque redimitæ et meretriceæ musicæ, sunt relinquendæ.

CAPUT V.

De risu.

Ridicularum autem, vel ridendarum potius affectionum imitatores[1], exigendi sunt a nostra republica. Cum enim verba omnia a mente et moribus emanent, fieri non potest ut verba aliqua emittantur ridicula, quæ non procedant a moribus ridiculis. Illud enim : « Non est arbor bona, quæ » facit fructus malos; neque arbor mala, quæ facit fructus » bonos[2], » hic quoque applicandum est. Sermo enim fructus est mentis. Si ergo qui risum movent sunt exterminandi a nostra republica, longe absit ut nobis permittamus risum movere. Absurdum enim est, quorum auditores esse prohibitum est, esse eorum imitatores. Multo autem est absurdius, studere ut ipse sis ridiculus, hoc est probris incessendus et irridendus. Si enim nemo e nobis ridiculam figuram suscipere, quemadmodum in pompis videmus nonnullos, sustinuerit, quomodo internum hominem magis ridiculam sustinere figuram jure passi fuerimus, idque palam? Quare non debemus sponte ridiculam assumere personam. Et quomodo in verbis esse et videri ridiculi operam dabimus, id quod est omnium quæ sunt in homine longe pretiosissimum, nempe sermonem, ludibrio habentes? Ridiculum est ergo hæc exercere, quandoquidem nec hujusmodi ri-

[1] Vide D. Guillon, p. 426 et 427.
[2] Matth. VII, 18. Luc. VI, 43.

diculorum hominum sermo dignus est qui audiatur : cum per ipsa nomina ad turpia facta consuefaciat. Urbane ergo et lepide loquendum est, non autem risus movendus. Quinetiam ipse risus est comprimendus : nam ipse quoque, si quomodo oportet proferatur, præ se fert decorem et honestatem : sin aliter prodeat, indicat intemperantiam. Nam, ut semel dicam, quæcumque sunt naturalia hominibus, ea ab illis minime tollenda sunt, sed eis potius modus et conveniens tempus adhibendum est. Non enim quoniam homo est animal facultate ridendi præditum, ideo perpetuo ridendum est, quandoquidem nec equus, cujus est proprius hinnitus, semper hinnit : sed tanquam animalia ratione prædita, oportet nos apte componere, ut gravitatis severitatem nostræ, nimiumque intensam vehementiam concinne remittamus, non autem inconcinne dissolvamus. Quæ vultus enim, tanquam musici alicujus instrumenti, fit per harmoniam decora remissio, appellata est græce μειδίαμα : ita et in vultu modestorum hominum quæ est diffusio, risus dicitur. Immoderata autem et inconcinna vultus dissolutio, si sit quidem in mulieribus, appellatur græce κιχλισμός ; is est autem risus meretricius : si vero in viris, καγχασμός ; est autem risus insolens et protervus, ac procis conveniens. « Stultus autem in risu extollit vocem suam, *inquit Scriptura* : vir autem astutus vix sensim subridebit[1]. » Astutum autem nunc dicit prudentem, qui contrario modo quam stultus affectus est. Sed neque rursus oportet esse tristem, sed gravem : illum enim magis admitto subridentem, qui severa visus est facie subridere, quam qui non severa : minus enim fuerit risus ille irridendus. Oportet autem ipsam quoque subrisionem doceri et castigari, et si ob turpes res excitata fuerit, erubescere potius videri quam subridere, ne videamur per consensum collætari : si autem

[1] Eccli. xxi, 20.

de rebus molestis, convenit potius tristiores videri, quam lætari: illud enim est considerationis humanæ indicium, hoc autem exhibet crudelitatis existimationem. Neque enim est semper ridendum; est enim immoderatum : neque si adsint seniores, vel aliqui quos æquum est revereri; nisi forte ipsi quoque, ut nos exhilarent, urbane aliquid et lepide dixerint. Sed neque apud quoslibet ridendum est, neque in omni loco, sed neque omnibus, neque propter omnia. Maxime enim in adolescentulis et mulieribus risus facile ad calumniam trahitur. Rigorem autem præ se ferre eminus, eos qui accedunt abigit. Gravitas enim vel solo aspectu petulantiæ impetus frangere ac reprimere valet. Omnes vero, ut verbo dicam, insipientes vinum

Et ridere jubet molle, et saltare libenter,

mores effœminatos convertens ad mollitiem. Est autem considerandum, quomodo hinc profecta dicendi licentia usque adeo auget petulantiam, ut ad turpiloquium eam perducat:

Et dixit, quod erat melius non dicere, verbum.

Subdolorum itaque hominum maxime in vino perspici solent mores, ut qui sunt omni simulatione nudati, propter illiberalem ejus quæ in vino oritur, petulantiæ licentiam : per quam sopitur quidem ratio, quæ in ipsa anima ebrietate oppressa est et gravata; agrestes autem excitantur affectiones, quæ in animi imbecillitatem facile dominatum occupant.

CAPUT VI.

De turpiloquio.

A turpiloquio autem et nos omnino abstinere oportet, et eis qui illo utuntur os obstruere, et aspectu severiore, et vultus aversione, et ea quæ vocatur subsannatione, et sæpe etiam asperiori oratione. « Quæ enim, *inquit*, ex ore exeunt, » coinquinant hominem [1]. » Communem, et gentilem, et indoctum, et petulantem eum ostendunt : non autem proprium, honestum, et temperantem. Cum autem turpia æque in audiendo versentur et in spectando, divinus Pædagogus eadem ratione pueris luctantibus, ne aures eorum offendantur, pudicos sermones, veluti quædam aurium munimenta, adhibet, ne possit ad frangendam animam pervadere pulsatio fornicationis : oculos autem dirigit ad rerum honestarum spectaculum, melius esse dicens labi pedibus, quam oculis. Hoc turpiloquium propulsans Apostolus, « Omnis, *inquit*, malus sermo ex ore vestro non procedat, » sed si quis bonus [2]. » Et rursus : « Sicut decet sanctos, ne » nominetur in vobis turpitudo, et stultiloquium, vel scurrilis urbanitas, quæ non conveniunt : sed potius gratiarum » actio [3]. » Si autem, « qui stultum dixit fratrem, obnoxius » est judicio [4], » quid de eo qui stulta loquitur pronuntiabimus? An non etiam de eo scriptum est : « Qui locutus » verbum fuerit otiosum, reddet rationem Domino in die » judicii [5]? » Et rursus : « Ex sermone tuo justificaberis, *in- » quit*, et ex sermone tuo condemnaberis [6]. » Quænam sunt ergo salutares aurium defensiones, et quænam sunt lubricorum oculorum disciplinæ? Quæ cum justis sunt conver-

[1] Matth. xv, 18. — [2] Ephes. iv, 29. — [3] Ibid. v, 3, 4. — [4] Matth. v, 22. — [5] Id. xii, 36. — [6] Ibid. 37.

sationes, quæ aures præoccupant, et prius obstruunt adversus eos qui volunt abducere a veritate.

Corrumpunt bonos mores colloquia prava,

inquit Poëtica. Præclarus autem Apostolus : « Estote, » *inquit,* odio habentes malum, adhærentes bono[1]. » Qui enim cum sanctis versatur, sanctificabitur. Omnino ergo abstinendum est a turpibus auditionibus, et verbis, et spectaculis : sed multo magis a factis turpibus mundos esse oportet; partim quidem in ostendendis et nudandis aliquibus partibus corporis, quas non decet; partim autem in contemplandis secretioribus partibus. Neque enim turpem justi hominis denudationem aspicere sustinuit modestus filius; sed texit modestia, quod nudarat ebrietas, spectandum lapsum inscientiæ[2]. Mundos autem nihilosecius esse oportet et a vocum prolationibus, quibus nullum esse oportet aditum ad aures eorum qui in Christo crediderunt. Hac ratione mihi videtur Pædagogus nihil quod sit indecorum nobis loqui permittere, longe ante nos præmuniens adversus incontinentiam : præclare enim et mira arte solet vitiorum radices excindere. Illud, verbi causa, *Non mœchaberis,* per illud, *Non concupisces*[3]. Adulterium enim fructus est concupiscentiæ, quæ quidem est mala radix. Similiter ergo hic quoque Pædagogus nominum licentiam tanquam usum reprehendit, ut licentiam ad intemperantiæ congressionem amputet : insolenter enim se in vocibus gerere, facit ut meditemur inhoneste facere. In vocibus autem esse modestum[4], est seipsum exercere ad fortiter sustinendam libidinis impressionem. Prolixiori autem oratione ostendimus, quod neque in nominibus, sed neque in partibus ad coitum pertinentibus, et nuptiali congressione, pro qui-

[1] Rom. xii. 9. — [2] Gen. ix, 23. — [3] Exod. xx, 13, 17.
[4] Vide D. Guillon, p. 427.

bus supponuntur nomina quæ usu minime trita sunt, ejus quod vere turpe est ponitur appellatio. Nam neque genu, et tibia, et hujusmodi membra, et quæ eis imposita sunt nomina, sunt turpia, nec quæ per ea fit actio : membra autem et hominis verenda, verecundia quidem plena, non autem turpia censenda sunt. Turpis autem res est eorum operatio quæ fit præter leges, ideoque probro digna et supplicio. Turpe enim solum revera est vitium, et quæ per ipsum aguntur. His ergo consequenter jure vocetur turpiloquium, quæ de vitiosis factis habetur oratio. Ejusmodi est, si de adulterio, vel de puerorum amore disseratur, et quæ sunt hujusmodi. Quinetiam inepti ac futiles sermones vitandi sunt. « Ex multiloquio enim, *inquit,* non effugies pecca- » tum[1]. » Luet ergo pœnas linguæ vitium. « Est *enim* tacens » qui invenitur sapiens, et est qui odio habetur propter mul- » tam loquacitatem[2]. » Quinetiam ipse nugator affert sibi ipsi fastidium ac satietatem : « Qui enim multiplicat sermo- » nem, odit animam suam[3]. »

CAPUT VII.

Quænam observare oporteat eos qui honeste simul victitant.

Absit quoque a nobis, ut irrideamus quemquam, a quo primum incipit contumelia, ex quibus lites, pugnæ et inimicitiæ erumpunt. Diximus autem contumeliam esse ebrietatis ministram. Non ex solis autem factis, sed etiam ex verbis homo judicatur. « In convivio autem, *inquit,* ne ar- » gueris proximum, et ei opprobrii sermonem ne dixeris[4]. » Si enim vel maxime cum sanctis conversari præcipitur, sanctum irridere peccatum est. « Ex ore *enim* insipientium, » *inquit Scriptura,* baculus contumeliæ[5] : » baculum di-

[1] Prov. x, 19. — [2] Eccli. xx, 5.— [3] Ibid. 8.— [4] Ibid. xxxi, 41.— [5] Prov. xiv, 3.

cens, fundamentum contumeliæ, cui innititur, et super quem requiescit contumelia. Unde admiror Apostolum, qui hic quoque suadet, « neque scurrilia, neque quæ non con» venit [1], » verba effundere. Si enim propter charitatem convenitur ad convivia, convivii autem finis est, in eos qui conveniunt benevolentia; charitatem autem consequuntur cibus et potus : quomodo non est ut ratio postulat conversandum, et nec propter charitatem dubitandum? Si enim convenimus ut mutuam benevolentiam augeremus, quare inimicitias irridendo provocamus? Satius autem est tacere, quam contradicere, peccatum peccato addendo. «Beatus revera vir » ille est, qui non est lapsus in ore suo, vel non compunctus » est in molestia peccati[2] : » videlicet ductus pœnitentia propter ea quæ locutus peccavit; vel ideo, quod locutus neminem molestia affecerit. In summa ergo adolescentes et adolescentulæ ab ejusmodi conviviis omnino abstineant, ne labantur in quibus minime decet. Inusitatæ enim auditiones, et indecora spectacula, dum in eis adhuc fides fluctuat, mentem eorum eventilant : ætatis autem instabilitas simul ad hoc confert, ut in cupiditates ferantur præcipites. Quinetiam nonnunquam aliis causæ sunt offensionum, dum florem ætatis suæ, in quo maximum est periculum, ostentant. Recte enim videtur præcipere Sapientia : « Cum muliere » quæ viro subjecta est, ne omnino sedeas, et ne super cu» bitum cum ea accubueris[3] : » hoc est, ne cum ea frequentius cœnes, neque cum ea comedas. Et ideo subjungit : « Neque cum ea in vino congrediaris, ne quando inclinet » cor tuum in ipsam, et sanguine tuo labatur ad interitum. » Lubrica enim res est libertas in vino, et apta ad deflorescendum. *Viro* autem *subjectam* nominavit, quod majus sit periculum ei qui connubii vinculum conatur dissolvere. Quod si aliqua necessitas evenerit quæ eas jubet accedere,

[1] Ephes. v, 4. — [2] Eccli. xiv, 1. — [3] Ibid. ix, 12.

illæ quidem exterius amictu pulchre tegantur, intus autem pudore. Quæcumque autem non sunt viro subjectæ, iis est extremum probrum interesse convivio virorum, idque vinolentorum. Qui in reclinatorium autem oculos fixerint, immobiles, innixi cubitis, adsint solis auribus. Quod si etiam sederint, ne pedes sæpe permutent, nec alterum femur alteri superponant, nec manum mento sustentent. Illiberale enim est, seipsum non ferre, idque datur vitio adolescenti. Sæpe autem moveri, habitumque et figuram mutare, signum est levitatis. Jam vero modesti etiam est, et in cibo et in potu quod minus est eligere, idque tardius, et non proclivus, tam in principio, quam etiam in intervallis. Quinetiam priorem desinere, et se istis rebus minime esse deditum ostendere : « Comede, *inquit*, ut homo, quæ » apponuntur : cessa autem primus disciplinæ gratia. Et si » in medio plurium sederis, ne ante ipsos manum porri- » gas[1]. » Non debemus ergo ante alios prosilire, ab ingluvie incitati : sed nec, quamvis cupientes, non nisi aliquanto post porrigere oportet, longa mora intemperantiam fatentes. Sed neque interim videri tanquam feras cibo inhærere, eumque avide arripere. Porro autem nec obsonii multum ingerendum est : neque enim obsonio, sed frumento vesci homini naturale est. Quinetiam temperati hominis est ante alios plerosque surgere, et e convivio leniter sese subtrahere. « Cum est, *inquit*, tempus surgendi, ne sis postremus, » et revertere in domum tuam[2]. » Quinetiam dicebant duodecim, cum evocassent discipulorum multitudinem : « Non » est bonum nos, relicto verbo Dei, ministrare mensis[3]. » Quod si hoc diligenter caverunt, multo magis vitabant ingluviem. Hi autem ipsi Apostoli scribentes « fratribus qui » erant in Antiochia, Syria, et Cilicia, Visum est, *dixe-* » *runt*, Spiritui sancto et nobis, nullum vobis majus onus

[1] Eccli. XXXI, 16, 17, 18. — [2] Ibid. XXXII, 11. — [3] Act. VI, 2.

imponere, præterquam necessaria hæc : ut abstineatis ab immolatis, et sanguine, et suffocatis, et fornicatione : a quibus si vobis caveatis, recte facietis[1]. » Oportet autem insolentiam non secus fugere, quam cicutam : ambo enim ad mortem subtrahunt. Oportet vero et profusum risum rcere, et immodicas lacrymas : sæpe enim temulenti cum maximum cachinnum sustulerint, deinde rursus, nescio qua persuasi vini insolentia, descendunt ad lacrymas. A atione enim alienum est, cum esse effœminatum, tum etiam esse petulantem. Senes autem adolescentes tanquam filios respicientes, rarissime quidem, sed aliquando tamen cum eis luserint, salsum aliquod dictum in eos torquentes, quod eos decorum doceat. Videlicet cum taciturno et verecundo facete et urbane licet hoc modo agere : Meus autem filius (eum qui tacet, intelligo) non cessat loqui. Adolescentis enim verecundiam auget talis ludificatio, lepide ostendens bona quæ in eo insunt, per falsam insimulationem malorum quæ ei non insunt. Est enim hoc aptum ad docendum artificium, per id quod non adest, id quod adest confirmans. Certe tale quid etiam facere proponit ibi, qui eum qui aquam bibit et est sobrius, temulentum dicit esse et petulantem. Quod si sint etiam nonnulli qui alios libenter irrideant, nobis quidem tacendum est, et verba superflua sunt, tanquam plena pocula, a nobis transmittenda : lubricus enim et periculosus est ejusmodi udus : « Os autem temerarii appropinquat contritioni[2]. » « Non suscipies autem inanem auditionem : neque cum injusto consenties, ut sis falsus testis[3], » neque in calumniis, neque in maledictis, sed neque in improbitate. Atque ego quidem mihi videor modestorum voci posse modum imponere, quibus permittitur ut is qui cum alio disserit loquatur. « Silentium enim est virtus mulierum : a periculo

[1] Act. xv, 23, 28, 29. — [2] Prov. x, 14. — [3] Ibid. Exod. xxiii, 1.

» autem remotum præmium adolescentum est : probat
» autem ætatis bona est oratio. Senior, loquere in convivi
» te enim decet : sed citra impedimentum loquere, et i
» perfecta scientia. Adolescens, *tibi quoque permittit Sa-*
» *pientia*, loquere, si te opus sit, vix cum bis interrogat
» fueris : sermonem autem tuum paucis in summam re
» dige [1]. » Uterque autem qui disserit, vocem suam mo
tiatur justa proportione. Elatus enim clamor pronunti
tionis, est res insanissima. Cum proximis autem ita loq
ut non audiaris, ejus est qui nullo est sensu præditu
neque enim audient : et est hoc quidem pusilli et abjec
animi indicium; illud vero, arrogantiæ. Absit etiam vehe
mens contentio verborum pro inani victoria : nobis eni
finis est esse a perturbatione alienos, et hoc sibi vult illud
Pax tibi [2]. Priusquam autem audieris, ne verbum respon
de. Jam vero vox quoque fracta et enervata est effœmi
nati : modesti autem et prudentis est in voce moderati
qui a magnitudine simul, et prolixitate, celeritateque, e
multitudine orationem temperabit. Neque enim prolixo e
unquam sermone utendum, neque multum loquendu
nec nugandum : sed neque rapide et præcipitanter col
quendum est. Ipsi enim voci, ut ita dicam, jus aliquod t
buendum est, importunisque vociferatoribus et exclam
toribus ora sunt obstruenda. Ea enim de causa Thersit
plagis castigavit prudens Ulysses :

> Immodicis verbis turbabat nam omnia solus :
> Plurima mente sua temere is confusa tenebat,
> Sed nihil ut decuit.

Terribilis enim in interitu suo vir linguosus [3]. Nugat
rum itaque, non secus ac veterum calceorum, reliq
quidem vitio detrita sunt, sola autem lingua reliqua est

[1] Eccli. XXXII, 3, 7, 8. — [2] 3 Joan. 15. — [3] Eccli. IX, 18.

mnum. Ea de causa quæ sunt vitæ utilissima præcipit pientia : « Ne nugeris in multitudine seniorum [1]. » Quinam nugas nostras radicitus excindens, a Deo incipiens, moderate nos geramus, hoc modo constituit : « Sermoem ne iteraveris in oratione tua. » Poppysmata autem, et ili, et digitis expressi soni, quibus accersuntur famuli, m signa sint a ratione aliena, ratione præditis hominis vitandi sunt. Frequenter etiam spuere, et violentius creare, et etiam emungere in convivio, vitandum est. onvivarum enim habenda est utique ratio, ne præ nausea lem aversentur turpitudinem, quæ arguit intemperanm. Non enim sicut bobus et asinis, ibidem est præsepe sterquilinium : multi enim eodem tempore se emungunt, sunt, et cœnant. Sternutatio autem si cui evenerit, sicut iam ructus, non oportebit sono proximos ciere, quod ssimæ est institutionis testimonium : sed ructus quidem m expirato aëre est transmittendus, ore decenter comsito, nec instar larvarum tragicarum diducto et hiante. ernutationis autem qui conturbat strepitus, respiratione aiter repressa ac retenta, auferendus est. Hac enim rame, quam honestissime fieri poterit, conglobatæ spiritus ınæ intus sunt extinguendæ, providendo ut ita transeat etiam cæteros celare conetur, si vi expressus aër aliquod cum excrementum eduxerit. Arrogantiæ autem et insontiæ signum est, ipsis velle sonis aliquid addere, non tem detrahere. Jam vero qui dentes scalpunt, et ulcera nentant, tum sibiipsis molesti sunt, tum invisi proximis. rro autem aurium quoque fricationes, et sternutamenrum irritationes, sunt suilli pruritus et confricationes, æ intemperantem meditantur fornicationem. Fugiendæ oque sunt turpitudines quæ sub aspectum cadunt, et pes qui de eis fiunt sermones. Sit autem gravis quoque

[1] Eccli. VII, 14.

aspectus, collique conversio ac motus constans et decorus, et manuum quoque in loquendo gestus. In summa enim, quies, pax, et tranquillitas, est Christiani propria.

CAPUT VIII.

An unguentis et coronis utendum sit.

Coronarum autem et unguentorum usus non est nobis necessarius [1] : ad libidines enim et voluptates impellunt, maxime cum nox prope est. Scio quod cum *unguenti alabastrum* [2] ad sanctam cœnam mulier attulisset, unxit pedes Domini, et eum delectavit : scio etiam veteres Hebræorum reges auro et lapide pretioso ornata gestasse diademata. Sed mulier quidem quæ Verbi nondum fuerat particeps (erat enim adhuc peccatrix), eo quod apud se esse pulcherrimum existimabat, nempe unguento, honoravit Dominum : itaque etiam ornamento corporis, nempe capillis suis, abstersit unguentum quod redundabat, libans Domino lacrymas pœnitentiæ : propterea ejus *peccata remissa sunt* [3]. Potest autem hoc esse signum ac symbolum doctrinæ Dominicæ, et ejus passionis : pedes enim qui unguntur unguento odorifero, doctrinam divinam significant, quæ cum insigni gloria orbem terræ pervadit : « Exiit » enim sonus eorum in fines terræ [4]. » Atque adeo, si non nimium importunus videor, *pedes* Domini unguento delibuti sunt Apostoli, prophetia suaveolentis unguenti, scilicet sancti Spiritus, participes. Itaque Apostoli, qui universum orbem terræ obierunt, et Evangelium prædicarunt, per allegoriam dicuntur pedes Domini, de quibus per Psalmographum quoque prædicit Dominus : « Adoremus in loco

[1] Vide D. Guillon, p. 427.
[2] Matth. xxvi, 7. Marc. xiv, 3. Luc. vii, 37. — [3] Luc. vii, 47. — [4] Psal. xix, 5. Rom. x, 18.

» ubi steterunt pedes ejus [1] : » hoc est, quo *pedes* ejus pervenerunt, nempe Apostoli, per quos prædicatus venit *ad fines terræ*. Lacrymæ autem sunt pœnitentia : et soluti capilli prædicabant liberationem a nimio amore superflui ornatus, et, quæ cum prædicatione propter Dominum suscipienda erat, afflictionem in tolerantia, veteri illa per novam fidem soluta vana gloria. Quinetiam significat passionem Domini. Mystice sic intelligentibus, oleum est ipse Dominus, a quo ad nos pervenit misericordia. Unguentum autem, quod est adulterinum oleum, est Judas proditor, quo pedes unctus est Dominus, dum a conversatione in mundo liberabatur : unguntur enim mortui. Lacrymæ autem nos sumus peccatores, qui in ipsum credidimus, quibusque peccata remisit. Et capilli soluti, flens est Hierusalem, quæ inuncta fuerat, propter quam propheticæ fuerunt Lamentationes. Nos autem docebit ipse Dominus Judam esse illum adulterinum : « Qui intinxerit mecum, *dicens*, » in catinum, hic me tradet [2]. » Vides convivam dolosum : hic enim ipse Judas osculo prodidit Dominum : fuit enim idem hypocrita, ac dolosum habens osculum, alium veterem imitans hypocritam : et populum illum arguit propter quem dictum est : « Hic populus labiis me honorant, cor » autem eorum longe est a me [3]. » Est ergo satis probabile, eum quidem oleum significare, ut discipulum qui consecutus fuit misericordiam; fraudulentum autem, utpote proditorem, oleum infectum ac venenatum. Hoc ergo erat quod prædicebant pedes unguento delibuti, Judæ nempe proditionem, cum Dominus pergeret ad passionem. Quinetiam ipse Servator *lavans pedes* discipulorum [4], ad præclara eos mittens agenda, eorum abitum ad benefaciendum Gentibus innuit, idonee et pure propria eas præparans

[1] Psal. CXXXII, 7. — [2] Matth. XXVI, 23. — [3] Isai. XXIX, 13. — [4] Joan. XIII, 5 et seq.

potestate : iis fragravit unguentum, et suavis odoris opus ad omnes perveniens ab iis celebratum est. Domini enim passio nos quidem bono odore replevit, Hebræos autem peccato. Hoc apertissime ostendit Apostolus, dicens : « Deo gratia, » qui nos semper facit triumphare in Christo, et odorem » suæ cognitionis per nos manifestat in omni loco, quoniam » Domini bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, et » in iis qui pereunt : his quidem odor ex morte in mortem, » illis vero odor ex vita in vitam[1]. » Porro autem reges Judæorum ex auro et gemmis composita ac varia corona utentes, atque etiam uncti, Christum in capite symbolice gestantes, imprudentes capite Domini ornabantur. Lapis quidem certe pretiosus vel margarita, vel smaragdus, ipsum Logon significat. Aurum autem rursus est ipse Logos ab interitu alienus, qui corruptionis virus minime recipit. Atque ipsi quidem nato aurum obtulerunt Magi, quod est regni symbolum : manet autem hæc corona immortalis ad imaginem Domini : non enim, veluti flos, flaccescit. Jam vero novi illa Cyrenæi Aristippi. Molli ac luxuriosæ vitæ erat deditus Aristippus : is ejusmodi sophisticam proponebat orationem : « Equus qui unguento ungitur, in equi virtute » non læditur, nec unctus canis in virtute canis. » Subjunxit, « ergo nec homo : » et ita conclusit syllogismum. Atqui equo quidem et cani nulla est ad unguentum cognoscendum ratio; quibus autem sensus est ratione magis præditus, iis unguenti usus est magis vituperandus, cum puellares odores adhibent. Horum autem unguentorum sunt infinitæ differentiæ: Brenthium, Metallium, et Regium, Plangonium, et Psagdas Ægyptiæ. Simonides autem in Iambis non veretur dicere:

Ungebar unguine et bonis odoribus,
Et baccari......

nam quidam mercator aderat. Porro autem utuntur etiam

[1] 2 Cor. II, 14, 15, 16.

unguento ex liliis, et e cypro : et nardus apud eos est in maximo pretio : unguentum quoque ex rosis, et alia quibus utuntur mulieres, et humida, et sicca, et quæ asperguntur unguenta, et quibus fiunt suffitus : indies enim ab eis nova excogitantur, ut inexplebili cupiditati infinitam odoris varietatem gratificentur : quocirca nimiam quamdam decori pulchrique curam redolent. Atque eæ quidem et sua vestimenta, et vestes stragulas, domosque suas suffumigant et aspergunt : atque adeo vel ipsas propemodum matulas olere cogunt unguentum deliciæ. Quamobrem recte mihi videntur nonnulli, cum ægre ferrent tantum studii in unguenta conferri, ut vel virilitatem ipsam effœminarent, et eorum artifices, nempe unguentarios, a bene institutis civitatibus expellere, atque ipsos etiam floridarum lanarum infectores. Nefas est enim dolosa vestimenta et unguenta in civitatem veritatis ingredi : oportet autem viros in primis apud nos unguenta non olere, sed vitæ probitatem : spiret autem fœmina Christum, qui est regalis unctio, non unguenta et diapasmata : divina autem semper ungatur pudicitiæ unctione, sancto delectata unguento, nempe Spiritu. Hanc suavis odoris unctionem discipulis suis Christus parat, ex aromatibus cœlestibus hoc unguentum componens. Hoc autem unguento ipse quoque Dominus ungitur, sicut per David declarat : « Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo » lætitiæ præ participibus tuis. Myrrha, et stacte, et casia » a vestimentis tuis[1]. » Cæterum ne forte sicut vultures unguenta abhorreamus, aut sicut scarabæi (hos enim rosaceo unguento delibutos mori aiunt), pauca quædam ex his unguentis sunt eligenda fœminis, quæ viro minime caput gravent. Nimiæ enim unguentorum unctiones, justa quæ fiunt mortuis potius quam familiarem vitæ redolent consuetudinem. Quanquam ipsum quoque oleum apibus et

[1] Psal. XLV, 7, 8.

insectis est inimicum, verum id prodest nonnullis hominibus, nonnullos autem ad pugnam excitat, et qui prius erant amici, id unctos in stadiis eo deducit, ut omni contentione omnibusque viribus in certamine depugnent. Unguentum autem, cum molle sit oleum, non existimatis generosos mores posse effœminare? Maxime. Sicut autem delicias a gustu amovimus, ita certe a visu et odoratu profectam voluptatem amandamus, ne intemperantiæ, quam fugavimus, per sensus, tanquam per portas quibus desunt custodes, in animam aditum patefaciamus. Quod si suavis odoris *suffitum*[1], pontificem magnum, nempe Dominum, dicant Deo offerre, ne id esse sacrificium et suavis odoris suffitum intelligant; sed gratam et acceptam charitatem, spiritalem scilicet odoris suavitatem, Dominum altari offerre accipiant. Sufficit itaque ipsum oleum et ad superficiem cutis irrigandam, nervosque relaxandos, et ad corporis graviorem reprimendum odorem, si vel oleo ad hoc opus habeamus : suavis autem odoris studium est esca mollitiei, quæ ad libidinosam cupiditatem paulatim attrahit. Qui est enim intemperans, undequaque ducitur ac trahitur, et a cibo, et a strato, et a conversatione, et ab oculis, et ab auribus, et a maxillis, atque adeo etiam a naribus. Et sicut boves annulis et funibus, ita etiam intemperans suffitibus, et unguentis, et suaveolentibus coronarum odoribus trahitur. Quoniam autem voluptati nihil loci tribuimus, quæ cum nullo usu qui vitæ conferat conjuncta est, age hic quoque, distinguamus, id quod est utile eligentes. Sunt enim suaves quidam odores, qui neque caput gravant, neque ad amores impellunt, neque impudicam conjunctionem ac meretricium contubernium redolent; sed sunt una cum temperantia salubres, ac cerebrum quidem alunt, quando male affectum fuerit, et ventriculum corroborant. Multum ergo abest, ut oporteat refrigerare

[1] Exod. xxx, 7.

floribus, quando quis vult nervos leves agilesque reddere : non est enim usus eorum omnino ablegandus, sed unguento tanquam medicamento et auxilio utendum est, et ad vires languentes excitandas, et adversus catarrhos, et frigiditates, et fastidium. Quemadmodum alicubi quoque dicit Comicus: « Unguentis manus ungitur, quod est pars sanitatis maxima, » ut cerebri bonos odores faciat. » Quinetiam pedum, per eorum quæ calefaciunt aut refrigerant, unctionem, fricatio exercetur utilitatis gratia : ut scilicet iis qui sunt repleti in capite, fiat quædam attractio et diversio ad corporis partes minus principales. Voluptas autem, cui nulla accedit utilitas, meretriciorum morum suspicionem præbet, et medicamentum est ad provocandam libidinem aptum. Omnino autem multum differunt, esse unguento delibutum, et ungi unguento : illud enim est effœminàtum; unguento autem ungi nonnunquam est utile. Aristippus itaque philosophus, cum unguento unctus esset, dicebat, « malos male perdendos esse cinædos, qui ut unguenti utilitas male audiret effecerant. » « Honora autem medicum propter ejus utilitatem, *inquit Scriptura :* ipsum enim creavit Altissimus. » A Domino autem est medicina[1]. » Deinde subjungit : « Et » unguentarius faciet mixtionem : » videlicet quod data essent unguenta ad utilitatem, non autem ad suavem sensuum titillationem. Non enim in unguentis id quod ad libidinem provocat sectandum est, sed id quod est in eis utile est eligendum, cum etiam Deus hominibus oleum nasci permiserit ad levandos labores. Desipientes autem mulieres, quæ canos quidem tingunt, capillos autem ungunt, celerius canescunt propter ea, quæ desiccant, aromata : quippe fiunt qui unguntur sicciores ; facit autem siccitas caniores. Sive enim canities est pilorum exsiccatio, sive calidi defectus, siccitate humidum, quod est pilorum nutrimentum, ebi-

[1] Eccli. XXXVIII, 1, 2, 8.

behte, et efficiente canos, quomodo unguenta adhuc amaverimus, propter quæ canities fit, qui canos fugimus? Quemadmodum autem qui naribus sunt sagacibus canes, feras odore investigant : ita, ex nimis curiosa unguentorum fragrantia, qui temperantes sunt venantur intemperantes. Porro autem talis quoque usus coronarum ad comessationem et in vino proterviam comparatus effluxit. « Ne caput » mihi corona cinxeris. Ver est, in roscidis pratis et molli» bus variisque germinantibus floribus degere pulchrum » est, » nativa et sincera odoris suavitate apum ritu fruentes. Ex *puro* autem *prato contextam coronam* pro ornamento domi circumferre non est sobriorum hominum. Non enim rosarum baccis, vel violis, vel liliis, vel aliis ejusmodi floribus lascivientem comam, prata floribus nudantes, tegere convenit. Refrigerat enim capillum circumposita corona, tum propter humiditatem, tum propter frigiditatem. Ea de causa medici, cum cerebrum esse frigidum observent, pectora esse ungenda definiunt, et supremas nasi partes, ut sensim transiens calida exhalatio, ejus frigiditatem possit salubriter fovere. Longe ergo abest, ut is sit floribus refrigerandus. Accedit his, quod florum quoque delectationem perdunt ii qui sunt coronati. Quippe nec ejus visu fruuntur, qui habent coronam supra oculos revinctam; sed neque odoris suavitate, cum supra respiratoria instrumenta sint flores. Cum enim odor secundum naturam sursum emittatur et exhaletur supra caput, respiratio nulla delectatione fruitur, cum suavitas odoris abripiatur. Sicut ergo pulchritudo, ita etiam flos delectat, dum videtur : et oportet nos, eorum quæ pulchra sunt aspectu fruentes, laude et gloria afficere Opificem. Usus autem eorum est noxius, et celeriter præteriens, pœnitentia nos afficit. Statim autem probatur eorum vitæ brevitas : ambo enim flaccescunt, et flos et pulchritudo. Cæterum, eos quidem qui ea contrectant ille

quidem refrigerat, hæc vero incendit et inflammat. Ut uno autem verbo absolvam, qui præter aspectum usus eorum percipitur, petulantia est et libido, non autem delectatio. Oblectari autem nos honeste oportet tanquam in paradiso, Scripturam vere sequentes : mulieris quidem corona vir est existimandus, viri autem matrimonium, matrimonii autem flores amborum liberi, quos quidem carnalium pratorum divinus colligit agricola. « Senum autem coronæ sunt filiorum filii : filiis autem gloria, *inquit*, sunt patres[1] : » nobis autem Pater universorum, et universæ Ecclesiæ corona Christus est. Quemadmodum autem radices et herbæ, ita etiam flores proprias habent qualitates; et has quidem utiles, illas vero noxias, alias autem periculosas. Hedera itaque refrigerat : nux autem emittit spiritum qui torporem immittit, ut vel ipsa ostendit nominis etymologia. Narcissus vero flos est gravis odoris : id autem arguit nominis appellatio, ut qui nervis νάρκην, hoc est, *torporem*, afferat. Rosarum autem et violarum qui emittuntur odores, cum sint modice frigidi, gravedines capitis comprimunt et coërcent. Nobis autem nullo modo non solum una inebriari, sed ne vino quidem impleri permissum est. Quinetiam crocus et flos ligustri in somnum minime molestum deducunt. Porro autem multa ex iis cerebrum quod est natura frigidum, suis fovent odoribus, dum excrementa cerebri subtiliora efficiunt. Hinc etiam dicunt rosam græce ῥόδον fuisse nominatam, quod odoris fluxum emittit ingentem, et ideo cito marcescit. Cæterum nec apud antiquos quidem Græcos fuit ullus adhuc coronarum usus : neque enim proci, nec qui luxuriosam vitam agebant, Phæaces, eis usi sunt. In certaminibus autem, primo donum athletis datum est, secundo autem plausus et excitatio, tertio foliorum conjectio, ultimo autem fuit corona, cum Græcia post tempora

[1] Prov. XVII, 6.

Medica deliciis operam daret. Qui a Logo itaque instituuntur, a coronis arcentur, nec existimant rationem esse a se illigandam, quæ in cerebro sita est : non quod corona comessatricis petulantiæ sit symbolum, sed quod ea sit dedicata simulacris. Sophocles certe narcissum, « antiquam » magnorum deorum coronam » appellavit, id dicens de terrestribus. Sappho autem coronat Musas rosa : « Non es » rosarum Pieriarum particeps. » Junonem autem dicunt delectari lilio, et Dianam myrto. Etsi enim flores quidem maxime propter hominem facti sunt, eos tamen cum stulti acceptos non ad proprium usum, quo grato animo uti poterant, sed in ingratum dæmonum ministerium abusi sunt, ab eis abstinendum est propter conscientiam. Est autem corona tranquillitatis perturbatione vacuæ signum. Qua de causa mortuos quoque coronant; quemadmodum etiam idola, eo facto mortua esse asserentes. Nec ii qui bacchantur, absque coronis orgia sua celebrant : postquam autem flores circumposuerint, postremo mirandum in modum incenduntur. Cum dæmonibus ergo nullo modo communicandum est. Sed nec viva Dei imago, mortuorum simulacrorum ritu est coronanda. Pulchra enim amaranti corona ei est reposita qui se recte gesserit. Hunc florem terra ferre non potest : cœlum solummodo eum potest producere. Accedit his, quod a ratione alienum est ut, qui audierimus Dominum *spinis*[1] fuisse coronatum, ipsi venerabili Domini passioni insultantes, habeamus capita redimita floribus. Domini enim corona nos prophetice significabat, qui fuimus aliquando infrugiferi, qui circa illum positi fuimus per Ecclesiam, cujus ipse est caput. Quinetiam est typus fidei : vitæ quidem, propter ligni substantiam; lætitiæ autem, propter coronæ appellationem; periculi vero, propter spinam : neque enim citra sanguinem licet ad Logon acce-

[1] Matth. XXVII, 29. Joan. XIX, 2.

dere. Contexta autem hæc corona marcescit, et perversitatis sertum dissolvitur, et flos exsiccatur. Marcescit enim gloria eorum qui Domino minime crediderunt. In altum autem elatum Jesum coronaverunt, suam testantes inscitiam. Hoc enim ipsum, cum duro corde sint, sapienter prolatam non intelligunt esse prophetiam, quam ipsi appellant Domini probrum et contumeliam. « Non cognovit Dominum » populus [1], » qui aberravit : ratione minime fuit circumcisus : non fuerunt ejus illuminatæ tenebræ : non novit Deum : negavit Dominum : verum esse Israëlem perdidit : Deum persecutus est : Logon speravit afficere contumelia : et quem tanquam maleficum crucifixit, tanquam regem coronavit. Quapropter in quem hominem non crediderunt, eum benignum Deum Dominum agnoscent, et justum. Quem exacerbaverunt ut se Dominum ostenderet, hoc de eo in altum sublato testati sunt, diadema justitiæ ei super omne nomen exaltato tribuentes, per spinam semper florentem. Hoc diadema est inimicum iis qui insidiantur : iis autem qui in Ecclesia simul versantur, amicum, eos circumsepsit ac muniit. Hæc corona flos est eorum qui crediderunt in eum qui glorificatus est; cruentat autem et castigat eos qui non crediderunt. Porro autem hoc quoque signum est rei a Domino bene gestæ, cum ipse suo capite et principali parte corporis omnia mala nostra portaverit, propter quæ pungebamur. Cum ipse enim ab offensionibus et peccatis et ejusmodi spinis, nos propria passione liberasset, diabolumque infirmasset et abolevisset, orans merito dixit : « Ubi » tuus, o mors, stimulus [2] ? » Atque nos quidem uvas ex spinis colligimus, et ficus ex rubis [3] : illi autem in vulnera laniantur, ad quos *manus extendit* [4], nempe ad populum infidelem et infrugiferum. Possem aliud quoque tibi mysticum dicere. Nam cum omnipotens universorum Dominus,

[1] Isai. I, 3. — [2] I Cor. XV, 55. — [3] Luc. IV, 44. — [4] Rom. X, 21.

quando cœpit per Logon legem ferre, et Mosi suam potentiam voluit manifestare, ei divina visio ostenditur formatæ lucis in rubo ardente (spinosa autem planta est rubus): postquam Logos legem ferre et cum hominibus conversari desiit, mystice rursus Dominus corona coronatur : hinc illuc unde descenderat abiens, veteris descensus principium instaurans, ut Logos, qui primum per rubum visus fuerat, per spinam rursus assumptus, ostenderet hæc omnia esse unius potentiæ opus; cum sit unus Patris, qui unus est, Filius, principium et finis sæculi. Sed a pædagogica docendi ratione ad genus orationis quod versatur in docendis dogmatibus, digressus sum : rursus igitur revertor ad propositum. Quod ergo loco medicamenti, curationis gratia, et nonnunquam etiam moderatæ recreationis, non sit rejicienda quæ ex floribus sentitur oblectatio, et quæ ex unguentis et suffitibus accipitur utilitas, ostendimus. Quod si dixerint aliqui, Quænam est ergo amplius florum gratia iis qui eis non utuntur? Sciant ex eis quoque componi unguenta, eaque esse admodum utilia. Susinum quidem componitur ex liliis et lerinis. Est autem calefaciens, aperiens, attrahens, humefaciens, abstergens, subtilium tenuiumque partium, bilem movens, molliens. Narcissinum autem, quod componitur ex narcisso, æque juvat ac susinum. Myrsinum vero, quod ex myrtis et myrsine constat, est constipans : eos autem qui ex corpore emittuntur halitus coërcet ac continet. Quod ex rosis autem fit, est refrigerans. In summa enim, ut eis bene utamur ea facta sunt. « Exaudite me, » *inquit*, et tanquam rosa plantata in fluentis aquarum, » germinate : tanquam libanus suavem odorem emittite : » et benedicite Dominum super opera ejus[1]. » De his autem multa dici possent, cum nos flores et aromata ad necessarias utilitates, non ad deliciarum insolentiam facta esse di-

[1] Eccli. xxxix, 13, 14.

camus. Quod si est etiam aliquid concedendum, odore florum uti sufficit, nequaquam autem coronentur : hominis enim curam gerit Pater, ei soli propriam artem præbet. Dicit itaque Scriptura : « Aqua et ignis, et ferrum, et lac, » simila frumenti, et mel, sanguis uvæ, et oleum, et vestis, » hæc omnia piis ad bona sunt[1]. »

CAPUT IX.

Quomodo se in somno gerere oporteat.

Quomodo autem deinceps nos ad somnum conferamus, sobrietatis præceptorum memores, jam dicendum est. Postquam enim, finito convivio, Deo benedixerimus, quod ea participavimus quæ suppeditaverit, et ut eum diem feliciter transmitteremus concesserit, nobis convertenda est ad somnum oratio : stratorum magnificentiam, pulvinos auro intertextos, auroque variegatas glabras, stragulas, puniceasque xystidas, et pretiosissimas gaunacas, et poëtica purpurea pallia, vestesque superne molles ac delicatas, et cubilia vel ipso somno molliora valere jubentibus. Nam præterquam quod vituperandæ sint deliciæ, in lanuginosis plumis dormire est noxium, tanquam in vastum quemdam hiatum incidentibus corporibus, propter stratorum mollitiem. Neque enim eos qui in eis versantur et dormiunt continent, propterea quod, ex utraque parte corporis, cubile aggeris instar assurgat : neque ut cibi concoquantur permittunt, sed potius incendunt; quod quidem nutrimentum corrumpit. In planis autem et æquatis cubilibus decubitus, qui sunt somni veluti naturale gymnasium, ad nutrimentum digerendum conferunt. Qui autem possunt in aliis volutari cubilibus, somni veluti naturale hoc habentes gymnasium, alimenta

[1] Eccli. xxxix, 26, 27.

facilius digerunt, et se ad omnes casus aptiores efficiunt. Jam vero lecticæ quæ pedes habent argenteos, magnam arrogantiam arguunt : et ebur quod est in lectulis, cum elephantis corpus reliquit animam, non est usque adeo licitum sanctis hominibus, ut quod iners et ignavum sit quietis artificium. Non est ergo studium in ea conferendum : non est enim possessoribus eorum usus prohibitus, sed quod in eis ponitur studium est prohibitum ; non est enim sita in eis felicitas. Rursus autem habet aliquid vanæ gloriæ, qualis in Cynicis fuit, ad dormiendum, quemadmodum Diomedes, se exercere :

Agrestisque bovis constrarat tergora subtus :

nisi forte cogat casus aliquis. Ulysses autem quod in lecto nuptiali claudicabat, supposito lapide corrigebat. Tanta frugalitas, et nativa, nec extrinsecus petita operis simplicitas non solum apud privatos, sed etiam apud veterum Græcorum principes exercebatur. Quanquam quid de iis mihi dicere opus est? Jacob humi dormiebat, et lapis erat ei pulvinus : atque eo quidem tempore dignus est habitus qui visionem, quæ supra homines esset, videret. Nobis autem, ut rationi convenit, simplici cubili et frugali utendum est, quod habeat id quod nos juvet moderatum et conveniens: si æstus sit, quod protegat; si sit frigus, quod foveat. Sit autem lectus non affabre et curiose factus, pedesque habeat planos ac leves : nimis enim curiosæ tornaturæ sæpe reptilium semitæ sunt animantium, dum in incisuris artis circumvolvuntur, et minime dilabuntur. In primis autem cubilis mollities moderate, et prout viros decet, procuranda est : non oportet enim somnum esse plenam corporis solutionem, sed tantum remissionem. Et ideo eum dico esse assumendum non ad otium et socordiam, sed ad negotiorum et actionum quietem. Ita ergo dormitandum est, ut

facile excitemur. « Sint enim, *inquit*, vestri lumbi præcincti,
» et lucernæ ardentes, et vos similes hominibus dominum
» suum expectantibus, quando redibit a nuptiis, ut cum ve-
» nerit et pulsaverit, statim illi aperiant. Beati servi illi,
» quos veniens Dominus invenerit vigilantes [1]. » Dormientis enim hominis nullus usus, quemadmodum nec mortui. Quocirca sæpe etiam noctu e lecto surgendum est, Deusque est laudandus : beati enim qui in ipsum vigilarunt, seipsos assimilantes Angelis, quos nos ἐγρηγόρους, hoc est, *vigiles*, vocamus. Dormiens autem homo nullus ullius est pretii, non magis quam qui non vivit. Qui autem lucem habet vigilat, *et tenebræ eum non comprehendunt* : nec itaque somnus, quoniam non tenebræ. Ad Deum ergo vigilavit, qui fuit illuminatus. Qui autem talis est, vivit. « Quod enim factum
» est in ipso, vita erat [2]. Beatus homo, *inquit Sapientia*,
» qui me audiet, et homo qui vias meas custodiet, vigilans
» in foribus meis, interdiu observans stationem mei ingres-
» sus [3]. Ne ergo dormiamus ut cæteri, sed vigilemus, et so-
» brii simus. Qui enim dormiunt, noctu dormiunt : et qui
» ebrii sunt, noctu ebrii sunt [4] : » hoc est in tenebris ignorantiæ. « Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus. Omnes
» *enim* vos estis filii lucis, et filii diei : non sumus noctis,
» nec tenebrarum : » sed qui ut vere vivamus recteque sentiamus nostri maxime curam gerit, plurimo tempore vigilavit, id solum sibi reservans quod erat ad suam sanitatem utile. Id autem non usque adeo est usitatum; sed exercitationis meditatio perpetuas vigilias gignit ex laboribus. Ne cibi ergo nos gravent, sed allevent; ut quam maxime fieri poterit, somno minime lædamur, ut gravantur natantes quibus appenduntur onera. Contra autem, veluti ex abysso, inferne nos allevabit sobrietas ad paratam vigiliæ stationem.

[1] Luc. XII, 35, 36, 37.— [2] Joan. I, 2, 3.— [3] Prov. VIII, 32, 33.— [4] I Thess. V, 5, 6, 7, 8.

Est enim somnus, qui nos deprimit, morti similis, eo deducens per mentis carentiam ut sensu careamus, et clausis a ciliis oculis lucem amputat. Hanc ergo lucem, qui sumus veræ lucis filii, ne foras excludamus : intus autem ad nos conversi, occulti hominis visum illuminantes, et ipsam veritatem contemplantes, et ejus fluxionum effecti participes, vera somnia evidenter prudenterque revelemus. Eorum autem qui crapula gravantur ructus, et eorum qui nimio cibo onusti sunt oscitationes, stragulisque involutum stertere, ventrumque in arctum compressorum murmura, oculum animæ perspicacem obruunt, mentem infinitis pene phantasiis implendo. Causa autem est alimentum supervacaneum, quod ratiocinativam animæ facultatem eo trahit ut sensu privetur penitus. Immodicus enim somnus, nec corporibus nec animis nostris ullam affert utilitatem, nec iis quæ circa veritatem versantur omnino convenit actionibus, etsi sit secundum naturam. Loth autem justus (regenerationis enim œconomiæ in præsentia mitto expositionem) non ad illum nefarium inductus esset coitum, nisi inebriatus fuisset a filiabus, somnoque gravatus. Si ergo causas quæ ad multum ac profundum somnum nos impellunt, præciderimus, magis sobrie dormiemus : non enim oportet eos qui inhabitantem et vigilantem intus habent Logon, tota nocte dormire. Noctu autem expergiscendum est, præcipue quando dies desinunt : et huic quidem danda est opera litteris, illi vero ars sua est inchoanda; fœminas autem oportet lanificium aggredi. Nobis autem, ut ita dicam, omnibus adversus somnum decertandum est, ita nos paulatim et quasi sensim assuefacientibus, ut majori parte temporis per vigiliam simus vitæ participes. Somnus enim, non secus ac publicanus, dimidium vitæ tempus nobiscum dividit. Longe autem abest ut permittatur interdiu dormire, cum maximam noctis partem vigiliis impertiamur. Tædia autem et

dormitationes, pandiculationes, et oscitationes, sunt instabilia animæ fastidia. Postremo autem hoc sciendum est, non esse animæ id quod somno indiget; ipsa enim semper movetur : sed corpus, quod quieti traditur, remittitur, dum interea anima non amplius corporaliter operatur, sed per se ipsa operatur et cogitat : quo fit, ut quæ sunt vera somnia, recte reputanti sint sobriæ animæ cogitationes, dum ea corporis affectionibus non trahitur, et ipsa sibi ipsi quæ sunt optima consulat : animæ autem est interitus, si ipsa apud se omnino quiescat : et ideo Deum mente semper versans, per continuam cum eo consuetudinem corpori vigiliam inserens, angelicæ exæquat hominem gratiæ, vitæ æternitatem ex meditatione vigiliæ suscipiens.

CAPUT X.

Quænam de procreatione liberorum tractanda sint.

Tempus autem opportunum conjunctionis solis iis relinquitur considerandum qui juncti sunt matrimonio : qui autem matrimonio juncti sunt, iis scopus est et institutum, liberorum susceptio; finis autem, ut boni sint liberi : quemadmodum agricolæ seminis quidem dejectionis causa est, quod nutrimenti habendi curam gerat; agriculturæ autem finis est, fructuum perceptio. Multo autem melior est agricola, qui terram colit animatam : ille enim ad tempus alimentum expetens; hic vero, ut universum permaneat curam gerens, agricolæ officio fungitur : et ille quidem propter se, hic vero propter Deum plantat ac seminat. Dixit enim : *Multiplicemini*[1]. Ubi hoc subaudiendum est : « Et ea ratione fit homo Dei imago, quatenus homo cooperatur ad generationem hominis. » Non est quælibet terra apta ad suscipienda semina : quod si etiam sit quælibet, non tamen

[1] Genes. 1, 28.

eidem agricolæ. Neque vero seminandum est supra petram, neque semen est contumelia afficiendum, quod quidem dux est et princeps generationis, estque substantia quæ simul habet insitas naturæ rationes. Quæ sunt autem secundum naturam rationes, absque ratione præternaturalibus mandando meatibus, ignominia afficere, valde est impium. Videte itaque, quomodo sapientissimus Moses infrugiferam aliquando sationem symbolice repulit : « Non comedes, *inquiens*, leporem, nec hyænam. » Non vult homines esse qualitatis eorum participes, neque eis æqualem gustare libidinem : hæc enim animalia ad explendum coitum venereum feruntur insano quodam furore. Ac leporem quidem dicunt quotannis multiplicare anum, pro numero annorum quos vixit habentem foramina : et ea ratione dum leporis esum prohibet, significat se dehortari puerorum amorem. Hyænam autem vicissim singulis annis masculinum sexum mutare in fœmininum : significare autem non esse illi ad adulteria prorumpendum qui ab hyæna abstinet. Sed non oportere quidem his assimilari animalibus, per eam quam proponit interdictionem, sapientissimum Mosen citra ullam dubitationem significare, ego quoque assentior; non tamen eorum quæ symbolice dicta sunt, expositioni consentio : nunquam enim naturæ vis potest afferri, ut mutetur : quod autem semel in ipso effictum est, nefas est affectione in contrarium refingi : affectio enim non est natura. Ejus enim quod formatum est adulterare characterem, non autem ipsam formam transformare potest affectio. Etsi enim multæ aves dicuntur temporum vicibus mutare et vocem, et colorem : quemadmodum merula ex nigra quidem flava, ex suaviter autem canente obstrepera fieri dicitur ; itidem etiam luscinia et colorem, et vocem, alternis mutare asseritur : cæterum non mutant ipsam naturam, ut figura mutata fiat mas ex fœmina; sed recens quidem pen-

narum productio, novæ vestis instar, quamdam pennarum tincturam emittit : sed ea paulo post minis hibernis exhalatur; sicut flos, dum color flaccescit. Ipsa quoque vox similiter, frigore male vexata, marcescit. Cum enim exterior cutis ab aëre ambiente densatur, quæ in collo sunt arteriæ compressæ et constipatæ, spiritum quoque comprimunt : is autem in arctum valde coactus, suffocatum et oppressum edit sonum. Rursus itaque ambienti aëri assimilatur, et vere relaxatus ex angustiis liberatur spiritus, qui fertur per dilatatas, quæ tunc clausæ erant, arterias. Non profert itaque amplius cantum flaccidum et languidum, sed jam emittit canorum : etiam vox eorum latius diffunditur : et jam vocis avium quasi ver fit cantus. Nequaquam ergo credendum est hyænam unquam mutare naturam : idem enim animal non habet simul ambo pudenda maris et fœminæ, sicut nonnulli existimarunt, qui prodigiose hermaphroditos finxerunt, et inter marem et fœminam hanc masculofœmineam naturam innovarunt. Valde autem falluntur, ut qui non animadverterint quam sit filiorum amans omnium mater et genitrix Natura : quoniam enim hoc animal, hyæna inquam, est salacissimum, sub cauda ante excrementi meatum, adnatum est ei quoddam carneum tuberculum, fœminino pudendo figura persimile. Nullum autem meatum habet hæc figura carnis qui in utilem aliquam desinat partem, vel in matricem inquam, vel in rectum intestinum : tantum habet magnam concavitatem, quæ inanem excipiat libidinem, quando aversi fuerint meatus qui in concipiendo fœtu occupati sunt. Hoc ipsum autem et masculo et fœminæ hyænæ adnatum est, quod sit insigniter pathica : masculus enim vicissim et agit, et patitur : unde etiam rarissime inveniri potest hyæna fœmina : non enim frequenter concipit hoc animal, cum in eis largiter redundet ea, quæ præter naturam est, satio. Hac etiam ratione mihi vi-

detur Plato in Phædro, amorem puerorum repellens, eum appellare bestiam, quod frænum mordentes, qui se voluptatibus dedunt, libidinosi, quadrupedum coëunt more, et filios seminare conantur. « *Impios* autem tradidit Deus, *ut* » *ait Apostolus*, in perturbationes ignominiæ : nam et fœ» minæ eorum mutaverunt naturalem usum in eum qui est » præter naturam : similiter autem et masculi eorum, re» licto usu naturali, exarserunt in desiderio sui inter se in» vicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et » mercedem, quam oportuit, erroris sui in se recipien» tes [1]. » At vero ne libidinosissimis quidem animantibus concessit natura in excrementi meatum semen immittere: urina enim in vesicam excernitur, humefactum alimentum in ventrem, lacryma vero in oculum, sanguis in venas, sordes in aures, mucus in nares defertur : fini autem recti intestini, sedes cohæret, per quam excrementa exponuntur. Sola ergo varia in hyænis natura, superfluo coitui superfluam hanc partem excogitavit, et ideo est etiam aliquantisper concavum, ut prurientibus partibus inserviat : exinde autem excæcatur concavitas; non fuit enim fabricata ad generationem. Hinc nobis manifestum atque adeo in confesso est, vitandos esse cum masculis concubitus, et infrugiferas sationes, et venerem præposteram, et quæ natura coalescere non possunt, androgynorum conjunctiones, ipsam naturam sequentibus, quæ id per partium prohibet constitutionem, ut quæ masculum non ad semen suscipiendum, sed ad id effundendum fecerit. Hieremias autem, hoc est, per ipsum loquens Spiritus, quando dicit : « Spelunca hyænæ facta est » domus mea [2], » id quod ex mortuis constabat corporibus detestans alimentum, sapienti allegoria reprehendit cultum simulacrorum : vere enim oportet ab idolis esse puram domum Dei viventis. Rursus Moses lepore quoque vesci prohi-

[1] Rom. I, 26, 27. — [2] Jerem. XII, 9.

…et. Omni enim tempore coit lepus, et salit assidente fœmina, eam a tergo aggrediens : est enim ex iis quæ retro …siliunt. Concipit autem singulis mensibus, et superfœtat : …it autem, et parit : postquam autem peperit, statim a quo…is initur lepore (neque enim uno contenta est matrimo…io); et rursus concipit, adhuc lactans : habet enim matri…em cui sunt duo sinus, et non unus solus matricis vacuus …inus est ei sufficiens sedes ad receptaculum coitus (quid…uid enim est vacuum desiderat repleri); verum accidit ut, …um uterum gerunt, altera pars matricis desiderio tenea…ur et libidine furiat; quocirca fiunt eis superfœtationes. A vehementibus ergo appetitionibus, mutuisque congres…sionibus, et cum prægnantibus fœminis conjunctionibus, …lternisque initibus, puerorumque stupris, adulteriis, et li…idine abstinere, hujus nos ænigmatis adhortata est prohi…itio. Idcirco aperte, et non per ænigmata Moses prohibuit, « Non fornicaberis : non mœchaberis : pueris stuprum non inferes[1], » inquiens. Logi itaque præscriptum totis viribus …bservandum, neque quidquam contra leges ullo modo …aciendum est, neque mandata sunt infirmanda. Malæ enim …upiditati nomen est ὕϐρις, *petulantia* : et equum cupidi…atis, *petulantem* vocavit Plato, cum legisset, « Facti estis mihi equi furentes in fœminas[2]. » Libidinis autem suppli…ium notum nobis facient illi qui Sodomam accesserunt …ngeli. Ii eos qui probro illos afficere voluerunt, una cum …sa civitate combusserunt, evidenti hoc indicio ignem qui …st fructus libidinis describentes. Quæ enim veteribus ac…iderunt, sicut ante diximus, ad nos admonendos scripta …unt, ne eisdem teneamur vitiis, et caveamus ne in pœnas …imiles incidamus. Oportet autem filios existimare, pueros; …ores autem alienas intueri tanquam proprias filias : vo…uptates quippe continere, ventrique et iis quæ sunt infra

[1] Exod. xx, 14. — [2] Jerem. v, 8.

ventrem dominari, est maximi imperii. Si enim ne digitum quidem temere movere permittit sapienti ratio, ut confitentur Stoici, quomodo non multo magis iis qui sapientiam persequuntur, in eam qua coitur particulam dominatus est obtinendus? Atque hac quidem de causa videtur esse nominatum pudendum, quod hac corporis parte magis quam qualibet alia, cum pudore utendum sit. Natura enim sicut alimentis, ita etiam legitimis nuptiis, quantum convenit, utile est et decet, nobis uti permisit : permisit autem appetere liberorum procreationem. Quicumque autem quod modum excedit persequuntur, labuntur in eo quod est secundum naturam, per congressus qui sunt præter leges seipsos lædentes. Ante omnia enim recte habet, ut nunquam cum adolescentibus perinde ac cum fœminis, veneris utamur consuetudine. Et ideo « non esse in petris et lapidibus » seminandum, *dicit qui a Mose factus est philosophus,* » quoniam nunquam actis radicibus genitalem sit semen » naturam suscepturum. » Logos itaque per Mosen apertissime præcipit : « Et cum masculo non dormies fœminino » concubitu : est enim abominatio[1]. » Accedit his, quod « ab » omni quoque arvo fœminino esse abstinendum » præterquam a proprio, ex divinis Scripturis colligens præclare Plato consuluit lege illinc accepta : « Et uxori proximi tui non » dabis concubitum seminis, ut polluaris apud ipsam. Irrita » autem sunt et adulterina concubinarum semina. Ne semines » ubi non vis tibi nasci quod seminatum est. Neque ullam » omnino tange mulierem, præterquam tuam ipsius uxorem[2], » ex qua sola tibi licet carnis voluptates percipere ad suscipiendam legitimam successionem. Hæc enim Logo sola sunt legitima. Eis quidem certe qui divini muneris in producendo opificio sunt participes, semen non est abjiciendum, neque injuria afficiendum, neque tanquam

[1] Levit. XVIII, 22. — [2] Ibid., 20.

cornibus semen mandes seminandum est. Hic ipse ergo Moses cum ipsis quoque prohibet uxoribus congredi, si forte eas detineant purgationes menstruæ. Non enim purgamento corporis genitale semen, et quod mox homo futurum est, polluere est æquum; nec sordido materiæ profluvio, et quæ expurgantur inquinamentis inundare ac obruere : semen autem generationis degenerat, ineptumque redditur, si matricis sulcis privetur. Neque vero ullum unquam induxit veterum Hebræorum coëuntem cum sua uxore prægnante. Sola enim voluptas, si quis ea etiam utatur in conjugio, est præter leges, et injusta, et a ratione aliena. Rursus autem Moses abducit viros a prægnantibus, quousque pepererint. Revera enim matrix sub vesica quidem collocata, super intestinum autem, quod rectum appellatur, posita, extendit collum inter humeros in vesica; et os colli, in quod venit semen, impletum occluditur, illa autem rursus inanis redditur cum partu purgata fuerit : fructu autem deposito, deinde semen suscipit. Neque vero nobis turpe est ad auditorum utilitatem nominare partes a quibus fit fœtus conceptio, quæ quidem Deum fabricari non puduit. Matrix itaque sitiens filiorum procreationem, semen suscipit, probrosumque et vituperandum negat coitum, post sationem ore clauso omnino jam libidinem excludens. Ejus autem appetitiones, quæ prius in amicis versabantur complexibus, intro conversæ, in procreatione sobolis occupatæ, operantur una cum Opifice. Nefas est ergo operantem jam naturam adhuc molestia afficere, superflue ad petulantem prorumpendo libidinem. Petulantia autem, quæ multa quidem habet nomina et multas species, cum ad hanc veneream intemperantiam deflexerit, λαγνεία, id est, *lascivia*, dicitur; quo nomine significatur libidinosa, publica, et incesta in coitum propensio : quæ cum aucta fuerit, magna simul morborum convenit multitudo, obso-

niorum desiderium, vinolentia, et amor in mulieres; luxus quoque, et simul universarum voluptatum studium : in quæ omnia tyrannidem obtinet cupiditas. His autem cognatæ innumerabiles augentur affectiones, ex quibus mores intemperantes ad summum provehuntur. Dicit autem Scriptura : « Parantur intemperantibus flagella, et suppli» cia humeris insipientium[1] : » vires intemperantiæ, ejusque constante intolerantiam, vocans *humeros insipientium.* Quocirca, « Amove a servis tuis spes inanes, et indecora, » *inquit,* cupiditates averte a me. Ventris appetitio et co» itus ne me apprehendant[2]. » Longe ergo sunt arcendi multifaria insidiatorum maleficia : non ad solam enim Cratetis Peram, sed etiam ad nostram civitatem non navigat stultus parasitus, nec scortator libidinosus, qui posteriori delectatur parte; non dolosa meretrix, nec ulla ejusmodi alia voluptatis bellua. Multa ergo nobis per totam vitam seminetur, quæ bona sit et honesta, occupatio. In summa ergo, vel jungi matrimonio, vel omnino a matrimonio purum esse oportet : in quæstione enim id versatur, et hoc a nobis declaratum est in libro De continentia. Quod si hoc ipsum, an ducenda sit uxor, veniat in considerationem; quomodo libere permittetur, quemadmodum nutrimento, ita etiam coitu semper uti, tanquam re necessaria? Ex eo ergo videri possunt nervi tanquam stamina distrahi, et in vehementi congressus intensione disrumpi. Jam vero offundit etiam caliginem sensibus, et vires enervat. Patet hoc et in animantibus rationis expertibus, et in iis qui in exercitatione versantur corporibus : quorum hi quidem qui abstinent, in certaminibus superant adversarios; illa vero a coitu abducta circumaguntur, et tantum non trahuntur, omnibus viribus et omni impetu tandem quasi enervata. *Parvam epilepsiam* dicebat *coitum* Sophista

[1] Prov. XIX, 29. — [2] Eccli. XXIII, 4, 5, 6.

Abderites, morbum immedicabilem existimans. Annon enim consequuntur resolutiones, quæ exinanitionis ejusque, quod abscedit, magnitudini ascribuntur? « Homo enim ex homine enascitur et evellitur. » Vide damni magnitudinem : totus homo per exinanitionem coitus abstrahitur. Dicit enim : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea[1]. » Homo ergo tantum exinanitur semine, quantus videtur corpore; est enim generationis initium id quod excedit : quinetiam conturbat ebullitio materiæ, et compagem corporis labefactat et commovet. Lepide ergo ille qui interroganti « quomodo adhuc se haberet ad res venereas, respondit : Bona verba, quæso : ego vero libentissime isthinc, tanquam ab agresti et insano domino, profugi. » Verum concedatur quidem et admittatur matrimonium : vult enim Dominus humanum genus repleri : sed non dicit : estote libidinosi : nec vos, tanquam ad coitum natos, voluit esse deditos voluptati. Pudore autem nos afficiat Pædagogus clamans per Ezechielem : « Circumcidamini fornicationem vestram. » Aliquod tempus ad seminandum opportunum habent quoque rationis expertia animantia. Aliter autem coire quam ad liberorum procreationem, est facere injuriam naturæ; qua quidem oportet magistra, quas prudenter introduxit, temporis commoditates diligenter observare, senectutem, inquam, et puerilem ætatem : his enim nondum accessit; illos autem non vult amplius uxores ducere. Sed non vult homines semper dare operam matrimonio. Matrimonium autem est filiorum procreationis appetitio, non ordinata seminis excretio, quæ est et præter leges et a ratione aliena. Secundum naturam autem nobis vita universa processerit, si et ab initio cupiditates contineamus, et humanum genus, quod ex divina providentia nascitur, improbis et malitiosis non tollamus artibus : eæ enim, ut for-

[1] Gen. II, 23.

nicationem celent, exitialia medicamenta adhibentes, quæ prorsus in perniciem ducunt, simul cum fœtu omnem humanitatem perdunt. Cæterum, quibus uxores ducere concessum est, iis Pædagogo opus fuerit, ut non interdiu mystica naturæ celebrentur orgia, nec ut aliquis ex ecclesia, verbi gratia, aut ex foro mane rediens, galli more coëat, quando orationis, et lectionis, et eorum quæ interdiu facere convenit operum, tempus est. Vespere autem oportet post convivium quiescere, et post gratiarum actionem, quæ fit Deo pro bonis quæ percepimus. Non semper autem concedit tempus natura, ut peragatur congressus matrimonii: est enim eo desiderabilior conjunctio, quo diuturnior. Neque vero noctu, tanquam in tenebris, immodeste sese ac intemperanter gerere oportet; sed verecundia, ut quæ sit lux rationis, in animo est includenda. Nihil enim a Penelope telam texente differemus, si interdiu quidem texamus dogmata temperantiæ; noctu autem ea resolvamus, cum in cubile venerimus. Si enim honestatem exercere oportet, multo magis tuæ uxori honestas est ostendenda, inhonestas vitando conjunctiones: et quod caste cum proximis verseris, fide dignum e domo adsit testimonium. Non enim potest aliquid honestum ab ea existimari, apud quam honestas in acribus illis non probatur certo quasi testimonio voluptatibus. Benevolentia autem quæ præceps fertur ad congressionem, exiguo tempore floret, et cum corpore consenescit: nonnunquam autem etiam præsenescit, flaccescente jam libidine, quando matrimonialem temperantiam meretriciæ vitiaverint libidines. Amantium enim corda sunt volucria, amorisque irritamenta extinguuntur sæpe pœnitentia: amorque sæpe vertitur in odium, quando reprehensionem senserit satietas. Impudicorum vero verborum, et turpium figurarum, meretriciorumque osculorum et hujusmodi lasciviarum nomina ne sunt quidem memo-

randa, beatum sequentibus Apostolum, qui aperte dicit : « Fornicatio autem, et omnis immunditia, vel plura habendi » cupiditas, ne nominetur quidem in vobis, sicut decet » sanctos [1]. » Recte ergo videtur dixisse quispiam : « Nulli » quidem profuit coitus, recte autem cum eo agitur quem » non læserit. » Nam et qui legitimus, est periculosus, nisi quatenus in liberorum procreatione versatur. De eo autem qui est præter leges, dixit Scriptura : « Mulier meretrix apro » similis reputabitur. Quæ autem viro subjecta est, turris » est mortis iis qui ea utuntur. » Capro, vel apro, meretricis comparavit affectionem. *Mortem* autem dixit *quæsitam*, adulterium, quod committitur in meretrice quæ custoditur; *domum* autem et *urbem* in qua suam exercent intemperantiam. Quinetiam quæ est apud vos Poëtica, quodammodo ea exprobrans, scribit :

Tecum et adulterium est, tecum coitusque nefandus,
Fœdus, fœmineusque, urbs pessima, plane impura.

E contra autem pudicos admiratur :

Quos desiderium tenuit nec turpe cubilis
Alterius, nec tetra invisaque stupra tulerunt
Ulla unquam maribus.

Quandoquidem multi hæc sua peccata, voluptates esse tantum quæ sunt præter naturam existimant : qui autem sunt his paulo meliores, esse hæc quidem peccata agnoscunt, vincuntur autem a voluptatibus, et sunt eis tenebræ vitiorum integumentum : suum enim adulterio violat matrimonium, qui eo utitur meretricio more, et non audit Pædagogum clamantem : « Homo qui ascendit super lectum » suum : qui dicit in animo, Quis me videt? Circa me sunt » tenebræ, et parietes sunt tegumenta mea, et nemo aspicit » peccata mea. Quid vereor, ne meminerit Altissimus [2] ? »

[1] Ephes. v, 3. — [2] Eccli. xxiii, 18, 19.

Is quidem est miserrimus qui solos veretur hominum oculos, existimat autem fore ut Deum lateat : « Nescit enim, » *Scriptura dicit*, oculi Domini altissimi quanto sint sole » splendidiores : qui respiciunt omnes vias hominum, et » partes occultas intelligunt. » Itidem rursus Pædagogus eis minatur, per Esaiam dicens : « Væ iis qui in occulto consi» lium capiunt, et dicunt : Quis nos videt[1] ? » Sensilem enim lucem latebit fortasse quispiam, sed intelligibilem minime latere potest. « Quomodo, *ut ait Heraclitus*, id, quod » nunquam accidit, possit latere quispiam ? » Tenebris ergo minime nosmet obtegamus ; lux enim in nobis habitat : « Et » tenebræ, *inquit*, ipsum non comprehendunt[2] ? » Ipsam autem noctem illuminat honesta ac pudica cogitatio. Bonorum autem virorum cogitationes, « lucernas quæ dormire non » possunt, » appellavit Scriptura. Quanquam ipsum te dare operam ut ea lateant quæ facis, peccare est citra ullam controversiam. Quicumque autem peccat, statim quoque facit injuriam, non tam proximo, si mœchetur, quam sibi ipsi, quod mœchatus fuerit : quin et seipsum omnimo reddit deteriorem, suæque famæ detrahit. Qui enim peccat, quatenus peccat, ipse est seipso deterior, et ignominiosior : omnino autem jam ei utique adest intemperantia, ut qui vincatur a turpi voluptate. Quamobrem qui fornicatur, Deo est omnino mortuus, et a Logo, quemadmodum a Spiritu, ut cadaver relictus est. Quod enim sanctum est, ut est consentaneum, pollui aversatur. Puro autem purum semper fas est tangere. Ne simul ac exuitur tunica, pudorem quoque exuamus : nam justo temperantiam nunquam fas est exuere. Ecce enim hoc corruptibile induit incorruptionem, quando cupiditas insatiabilis, quæ fluxu quodam fertur in libidinem, per continentiam instituta, et a corruptionis amore aliena facta, æternæ temperantiæ hominem tradiderit. « In hoc

[1] Isai. XXIX, 15. — [2] Joan. I, 5.

» enim sæculo uxores ducunt, et nubunt [1] : » abolitis autem carnis operibus, ipsa pura carne induti incorruptionem, id quod angelis proportione respondet, persequimur. Hac ratione Plato quoque in Philebo, qui fuerat barbaræ discipulus philosophiæ, atheos eos mystice vocavit qui Deum in ipsis habitantem, nempe rationem, corrumpunt, et quantum in se est, vitiorum suorum conjunctione polluunt. Non ergo iis unquam mortaliter vivendum, qui Deo sanctificantur. « Neque, *ut dicit Paulus*, membra Christi facienda sunt membra meretricis: nec Dei templum faciendum est templum turpium affectionum [2]. » Recordemini quatuor et viginti millia fuisse propter fornicationem extrusa. Ea autem quæ evenerunt iis qui fornicati sunt, ut jam a me dictum est, sunt *figuræ* quæ nostras libidines corrigunt [3]. Porro autem Pædagogus monet nos apertissime : « Post tua » desideria ne ambules, et arcearis a tuis appetitionibus [4]. » Vinum enim et mulieres faciunt sapientes deficere: et qui » adhæret meretricibus, evadet audacior. Putredo et ver» mis erunt ejus hæredes, et efferetur in majori ludibrio [5].» Et rursus, non cessat enim juvare : « Qui autem volupta» tem adversis oculis intuetur, coronat vitam suam [6].» Non est ergo justum vinci a rebus venereis, nec libidinibus stolide inhiare, nec a ratione alienis appetitionibus moveri, nec desiderare pollui. Ei autem soli qui uxorem duxit, ut qui tunc sit agricola, serere permissum est, quando tempus sementem admittit. Adversus aliam autem intemperantiam optimum quidem est medicamentum, ratio. Fert etiam auxilium penuria satietatis, per quam accensæ libidines prosiliunt ad voluptates. Ergo nec sumptuosa vestis est assumenda, sicut nec cibus varius. Ipse certe Dominus in animam, et corpus, et tertio loco in ea quæ externa sunt, præ-

[1] Matth. XXII, 30. Luc. XX, 34. — [2] 1 Cor. VI, 15, 19. — [3] Id. X, 6. — [4] Eccli. XVIII, 30. — [5] Id. XIX, 2, 3. — [6] Id. XIX, 5.

cepta dividens, propter corpus quidem externa comparare consulit, corpus autem administrat per animam, animam autem erudit: « Ne solliciti sitis animæ vestræ, *inquiens*, » quid comedatis, neque corpori vestro quid induamini. » Anima enim plus est quam cibus, et corpus quam vestimentum[1]. » Et subjungit apertum doctrinæ exemplum: « Considerate corvos, qui neque seminant neque metunt, » quibus non est penus, nec horreum, et Deus nutrit ipsos. » Non vos præstatis volucribus? » Et hæc quidem de nutrimento. Similiter autem de veste quoque præcipit, quæ rerum externarum tertium locum obtinet: « Considerate, » *inquiens*, lilia; quomodo neque nent neque texunt. Dico » autem vobis, quod neque Salomon induebatur ut unum » ex his[2]. » De divitiis autem valde se jactabat rex Salomon. Quid est itaque floribus pulchrius et floridius? Quid est autem liliis, vel unguentis, vel rosis delectabilius? « Si autem fœnum, quod hodie est in agro, et cras in clibanum » mittitur, Deus sic vestit, quanto vos magis, modicæ fidei? » Et vos ne quærite quid comedatis, aut quid bibatis[3]. » Hic, hæc particula, *quid*, cibi varietatem expulit. Id enim significatur ex Scriptura: « Ne solliciti sitis quænam comedatis, aut quænam bibatis: » de his enim esse sollicitum, nimiam plura habendi cupiditatem, et delicias arguit. Sed illud *comedere* per se positum, est argumentum necessitatis, et defectus repletio, ut diximus. Quod est autem amplius, est ex superfluo: quod est autem *superfluum*, esse a Diabolo declaravit Scriptura. Sensum autem planum facit quæ sequitur dictio. Cum enim dixisset: « Ne quærite quid comedatis, et quid bibatis, » subjunxit: « Et ne » sublimes efferamini. » A veritate autem sublimes efferunt arrogantia et deliciæ: et quæ in rebus supervacaneis versatur delectatio, abducit a veritate. Quocirca pulcherrime

[1] Luc. XII, 22, 23, 24. — [2] Ibid. 27. — [3] Ibid. 28, 29.

quoque dicit: « Hæc autem omnia gentes mundi quærunt[1]. » Qui immoderati sunt et insipientes, gentes sunt. Quænam autem *hæc* dicit? delicias, delectationem, cupedias, obsoniorum voracitatem, ingluviem. Hæc sunt illud *quid*. De solo autem nutrimento, sicco scilicet et humido, ut quæ sint necessaria : « Scit, *inquit*, Pater vester, quod vobis opus » sit[2]. » Quod si nobis omnino innatum est ut quæramus, ne quærendi facultatem in deliciis perdamus, sed eam ad veritatem inquirendam excitemus. « Quærite enim, *inquit*, » regnum Dei, et quæ ad alimentum pertinent adjicientur » vobis[3]. » Si ergo curam de veste et deliciis, rebusque omnibus supervacaneis, tanquam non necessariam, tollit, quid censendum est eum dicere de nimio ornatus studio, de tinctura lanarum, varietate colorum, superflua cura gemmarum, auri elaboratione, capillis artificiosis, et intortis crinibus? Quid de fucata oculorum pictura, quid de vulsionibus, purpurissi ac cerussæ fucationibus, tinctisque pilorum coloribus, et improbis circa has fraudes artificiis? Annon hoc quoque recte putandum est, id quod de fœno paulo ante dictum est, de his ornamentorum amatoribus, qui a vero ornatu alieni sunt, optime posse dici? Ager enim est mundus, et nos herba, qui sumus Dei gratia irrigati : tonsi autem rursus exorimur, ut pluribus ostendetur in libro De resurrectione. Fœnum autem, vilis turba allegorice dicitur, quæ se ad momentaneam lætitiam applicat, quæ floret parvo tempore, quæ superflua ornamenta, quæ gloriam, quæ quidvis potius quam veritatem, sectatur; quæ non ad aliud apta est, quam ad ignis incendium. « Homo quidam, » *dicit narrans Dominus*, erat valde dives, qui induebatur » purpura et bysso, qui oblectabatur quotidie splendide[4]. » Hic erat fœnum. « Mendicus autem quidam, nomine Lazarus, abjectus erat in vestibulo divitis, ulceratus, cupiens

[1] Luc. XII, 30. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 31. — [4] Luc. XVI, 19, 20, 21 et seq.

» repleri iis quæ cadebant de mensa divitis. » Hic est herba. Sed ille quidem dives puniebatur apud inferos, ignis particeps factus : hic autem rursus germinavit in sinu Patris. Laudo ergo et admiror veterem Lacedæmoniorum civitatem [1], quæ solis meretricibus floridas vestes et aureum ornatum gestare permisit : a probis mulieribus mundi studium auferens, quod solis meretricibus se ornare concederet. Contra autem, Atheniensium magistratus, qui civilem vitæ formam expulerant, loci quasi et conversationis virilis obliti, aurum gestabant, et talaribus tunicis amiciebantur, et crobulo, quod est capillorum plicaturæ genus, aureo induebantur, consertis cicadis ornati : ortum suum revera terrestrem, cinædico quodam fastu et arrogantia, monstrantes. Horum autem principum æmulatio ad alios quoque Ionas pervasit, quos Homerus esse effœminatos ostendens, vocat ἑλκεσιπέπλους, hoc est, *vestimenta trahentes*. Ii ergo qui pulchri simulacrum, nimium scilicet ornatus studium, non autem ipsum pulchrum et honestum attendunt, specioso nomine simulacrorum cultum rursus inducentes, a veritate longe sunt relegandi, cum opinione, non scientia, pulchri naturam somnient : et est vita quæ ab eis hic agitur profundus somnus ignorantiæ : e quo oportet nos excitatos, ad id quod vere pulchrum est et ornatum, contendere; et id solum assequi desiderare, relinquentes quæ hic sunt munda ornamenta, ut cum ipso mundo valeant, priusquam penitus obdormiamus. Dico ergo hominem non alia de causa opus habere vestimentis, quam ut tegatur corpus, ad maxima frigora et vehementes æstus propulsandos, ne nos lædat ambientis aëris immoderatio. Quod si hic est vestis scopus, vide ne non alia quidem viris, alia vero fœminis vestis tribuenda sit : tegi enim utrisque commune est, quemadmodum comedere et bibere. Cum usus itaque sit

[1] Vide D. Guillon, p. 428.

communis, constructionem similem comprobamus. Quemadmodum enim utrisque commune est ut egeant iis quæ tegunt, ita a quibus tegendi sunt esse oportet similia; etsi oporteat hujusmodi tegumentum assumere quo sunt fœminarum celandi oculi. Etsi enim fœmina propter imbecillitatem longe plura concupiscat, id malæ educationis consuetudini tribuendum est, per quam sæpenumero viri in malis vitæ institutis educati, evaserunt mulieribus magis effœminati: non est igitur eis hac in re cedendum. Quod si eis aliquantulum accommodare oporteat, vestibus quidem paulo mollioribus eis uti concedendum est, dummodo nimis subtiliter per summam stultitiam elaborata opera, curiosæque in texturis plicaturæ, longissime amandentur; auri fila, et Indicos seres, et inutiles bombyces valere jubentibus: (est enim bombyx primum vermis, deinde aspera ex eo nascitur eruca, post quam in tertia metamorphosi innovatur papilio, quem nonnulli græce appellant νεκύδαλον, ex quo longum stamen nascitur, quemadmodum ex aranea tela araneæ.) Superflua enim hæc et perspicua, mentem minime constantem arguunt, quæ exigui expassione veli, tanquam quodam lenocinio, probrum corporis illiciunt. Non est enim amplius tegumentum mollis ac delicata vestis, ut quæ nudam figuram non potest occulere: ejusmodi enim vestis in corpus incidens, facilius corporis formam et impressionem recipit figuræ, carnis instar adhærens: et mulieris typum ita exprimit, ut vel non videnti manifesta sit tota constitutio corporis. Rejiciendæ quoque sunt vestimenti tincturæ: ipsæ enim et ab usu et a veritate longe remotæ sunt; præterea quoque ex eis morum oritur reprehensio: neque enim est earum usus utilis: nam nec ad frigus propulsandum est idonea, neque ad tegumentum habet aliquid amplius quam alia vestis, nisi solum vituperium. Coloris autem delectans suavitas male habet avidos,

eos ad stultam impellens lippitudinem. Atque eos quidem qui sunt candidi, et non intus adulterini, candidis et minime curiosis ac operosis vestibus uti convenientissimum. Aperte certe et pure Daniel propheta : « Positi sunt, *in-» quit*, throni, et sedit super ipsos tanquam antiquus die-» rum; et ejus vestimentum album sicut nix[1]. » Tali veste utentem Dominum, in visione se vidisse dicit Apocalypsis: « Vidi animas eorum qui testes fuerant sub altari, et data » est unicuique vestis candida[2]. » Quod si oporteat etiam aliquem alium colorem quærere, naturalis tinctura veritatis per se sufficit. Vestes autem quæ sunt floribus similes, Bacchicis nugis et Initiorum mysteriis relinquendæ sunt: deinde vero purpura, et vasa argentea, ut dicit Comicus,

Multum tragœdis conferunt, vitæ nihil.

Vita autem nostra quidvis potius, quam pompa, est existimanda. Tinctura itaque Sardyniaca, et alia omphacina seu oleagina, et alia viridis, rosacea, et coccina, et aliæ innumerabiles tincturæ, excogitatæ sunt a perniciosis delectationibus : quo fit, ut ad visum conferatur jam vestis, non ad integumentum. Quæ autem ex auro affabre facta, et quæ purpura tincta sunt, et hæ animalium quæ vento feruntur deliciæ, et ille unguentis delibutus crocotus, et suscipiendarum membranularum pretia ingentia, et variegatæ vestes quæ in purpura habent animalia, cum ipsa arte valere jubenda sunt. « Quid enim prudenter ac præclare fecerint » mulieres quæ, *ut ait Comœdia,* floribus tinctæ, cinctæ » crocotis atque fucatæ sedent ? » Aperte itaque suadet Pædagogus : « In amictu vestis ne glorieris, neque in omni glo-» ria *quæ est præter leges,* efferaris[3]. » Eos certe irridens, qui mollibus vestibus induti sunt, dicit in Evangelio : « Ecce, » qui in vestitu glorioso et deliciis degunt, sunt in terrenis

[1] Dan. VII, 9. — [2] Apocal. VI, 9, 11. — [3] Eccli. XI, 4.

» regiis[1]. » *Regias* dicit terrenas, mortales ac corruptibiles, ubi est vana honesti opinio, inanis gloriæ ambitio, error et adulatio. Qui aulam autem cœlestem incolunt, quæ est circa omnium Regem, incorruptibilem animæ vestem, nempe carnem, sanctificantur, et hac ratione induunt incorruptionem. Quemadmodum ergo quæ non nubit, soli Deo dat operam, et ejus cura non dividitur; pudica autem, quæ nupsit, vitam cum Deo et cum marito dividit; quæ autem aliter fertur, tota conjugii, hoc est, vitii, efficitur: eodem modo pudica mulier, ut ego quidem sentio, quæ marito dat operam, sincere Deum colit; quæ autem immoderato ornatus studio tenetur, et a Deo et a pudico conjugio excidit, ut quæ maritum ornamento permutet. Quemadmodum Argiva illa meretrix, Eriphyle inquam,

Auri quæ pretium sumpsit pro conjuge caro.

Quocirca Ceum sophistam jure approbo, qui virtutis et improbitatis aptas describit imagines[2]: quarum hanc quidem fecit simpliciter stantem, candida veste indutam et puram, nempe virtutem, sola verecundia ornatam (talem esse oportet fidelem mulierem, nempe virtute præditam cum verecundia); alteram autem contra inducit, nempe improbitatem, superflua quidem et varia veste indutam, alieno autem colore exultantem; motusque ejus et habitus comparatus ad delectationem describitur, non secus ac meretricis. Qui ergo Logon sequitur, nulli turpi voluptati adhærebit: et ideo quod in veste usum præbet, præferendum est. Quod si Logos hoc canit, per David dicens de Domino: « Delectaverunt te filiæ regum in honore. » Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, et fimbriis » aureis circumamicta[3]: » his verbis, non luxuriosas ac delicatas vestes, sed integrum ac incorruptum, ex fide contextum

[1] Luc. VII, 25. — [2] Vide D. Guillon, p. 428. — [3] Psal. XLV, 8, 9.

ornatum eorum qui consecuti sunt misericordiam, nempe Ecclesiæ, significavit, in qua Jesus a dolo alienus splendet ut aurum, et fimbriæ aureæ, nempe electi. Quod si etiam propter fœminas sit aliquid relaxandum, texenda quidem est suavis vestis et tactu mollis; sed non, sicut picturæ, est ad visus delectationem colorum varieganda floribus. Pictura enim tempore evanescit: ablutiones autem, extersiones, ac constipationes, quæ medicatis tincturæ succis lanas inficiunt, imbecillas vestium texturas efficiunt: hoc autem nec ad bonam quidem domus administrationem aptum est. Est autem maxime ineptum et indecorum, pepla, xystides, ephaptides, *lænas*que, ac *tunicas* stupere et admirari, *et quæ*, ut ait Homerus, *velant circumquaque pudorem*. Pudet me, ut vere dicam, cum videam tantum opum effundi ad tegenda pudenda. Vetus enim homo, qui erat in Paradiso, ramis et foliis tegumentum dimetiebatur pudoris: nunc autem cum nobis oves factæ sint, ne similiter ac oves simus insipientes. A Logo autem instituti, sumptuosas vestes redarguamus, dicentes, *Estis pili ovium*. Etiamsi se jactet Miletus, etiamsi laudetur Italia, etiamsi sub pellibus pili custodiantur, quorum nonnulli insano amore tenentur, nobis quidem certe nullum est studium in ea conferendum. Beatus autem Joannes, despectis quoque ovium pilis, qui delicias redolent, *pilos camelorum* elegit, et eis se vestiit, simplicem vitam et a dolo alienam repræsentans. *Mel enim comedebat et locustas*[1], dulcem et spiritualem cibum, a fastu alienas et moderatas vias Domini præparans. Ille enim videlicet purpura se induisset, qui omnem urbanum erat aversatus fastum, et in solitudinem quietis, tranquille cum Deo versaturus, se recepit, ab omni inani studio, unaque boni specie, ac illiberali decore remotus? Ovina autem pelle Helias utebatur indumento, et « ovinam pellem *stringebat*

[1] Marc. I, 6.

» zona facta ex pilis [1]. » Esaias vero, alius propheta, « nudus » *erat, et* nullis utebatur calceis [2] : » sæpe autem sacco quoque utebatur, quod est indumentum humilitatis. Quod si etiam vocas Hieremiam, is *cingulum* solum habuit *lineum* [3]. Quemadmodum autem bene nutrita corpora, si nuda sint, vires ac vigorem apertius indicant : ita etiam pulchritudo morum, ineptis nugis non involuta, indicat animi magnitudinem. Trahere autem vestes ad summos usque pedes demissas, valde est arrogans et superbum, quod ambulandi actionem impedit, cum vestis, instar verriculi, quæ in soli sunt superficie sordes secum attrahat : ne fractis quidem et enervatis his saltatoribus, qui cinædicam turpitudinem mutam in scenam transferunt, vestem cum tanto dedecore diffluentem despicantibus, quibus exquisitæ vestes, fimbriarumque dilatationes, et curiosi figurarum numeri, illiberalis mollitiei tractionem indicant. Quod si quis talarem Domini vestem adducit, variegata illa tunica ostendit flores sapientiæ, variasque, et, quæ non flaccescunt, scripturas, eloquia nempe Domini, quæ veritatis splendoribus refulgent. Ejusmodi alia veste Spiritus Dominum per David induit, sic psallens : « Confessionem et decorem indutus es, inducens lucem sicut vestimentum [4]. » Quemadmodum ergo vestium confectionem honestam, et ab eo quod est indecorum mundam esse oportet ; ita etiam vitanda est usus immoderatio. Neque enim, sicut Lacænas virgines, supra genu vestiri honestum est : nullam enim partem fœminæ nudari decorum est. Quamvis posset quidem honeste dici urbana illa vox, quæ dicta est ei qui dixerat, « Pulcher cubitus ; At non publicus : *et,* Tibi pulchræ sunt » tibiæ *dicenti ;* Sed solius mei mariti ; *et,* Speciosa facies ; » Sed est ejus tantum qui me uxorem duxit : » ego autem

[1] 4 Reg. I, 8 ; II, 18. — [2] Isai. XX, 2. — [3] Jerem. XIII, 1. — [4] Psal. CIV, 1, 2.

nolo pudicas fœminas præbere talium laudum causam iis qui, per ejusmodi laudes, ut probrum eis afferant venantur. Nec vero solum calcaneum est prohibitum ut nudent iis; verum etiam caput ut tegant atque obnubant, illis est impositum : neque enim honestum est corporis pulchritudinem esse hominum aucupium. Nec par est ut purpureo utens velo fœmina velit conspici. Atque utinam posset etiam a veste eximi purpura, ne in utentium faciem spectatores convertat. Atque illæ quidem cum reliquæ vestis admodum parum texant, fecerunt quidquid est purpureum, suas inflammantes libidines. Quæ autem his stolidis et mollibus purpuris impense delectantur, eas, ut sunt verba Poëtæ, *purpurea arripuit mors.* Propter hanc itaque purpuram, et Tyrus, et Sidon, et quæ regio est mari propinqua Laconico, maxime desiderantur : quinetiam earum tinctores, et purpuræ infectores, et ipsa conchylia in magno pretio habentur, propterea quod eorum sanguis producat purpuram. At etiam delicatis pannis admiscentes dolosæ mulieres, et qui sunt ex viris effœminati, fraudulentas dolosasque tincturas, insano quodam amore modi modestiæque limitem transiliunt, non amplius lintea ex Ægypto, sed quædam alia ex terra Hebræorum et Cilicum comparantes. Amorgina autem taceo, et abyssina : deliciæ enim jam nominum rationem supergressæ sunt. Porro autem oportet, ut mihi quidem videtur, id quod tegitur, ex tegumento ostendere se esse eo melius : ut templo imaginem, et corpore animam, et veste corpus. Nunc autem contra omnino : si corpus quidem earum venundetur, nunquam mille drachmas Atticas invenerit : unam autem vestem mille talentis ementes, ipsæ se vestibus inutiliores et viliores arguunt. Cur ergo quæ sunt rara et pretiosa, plus quam ea quæ sunt in medio sita et vilia, persequimini? Quoniam quod vere pulchrum et quod vere bonum est ignoratis, et pro iis quæ

sunt, ea quæ esse videntur, a stultis magno studio quæritis, qui perinde ac insani, quæ alba sunt, tanquam nigra, visione apprehendunt.

CAPUT XI.

De calceamentis.

Similiter autem in calceamentis superbæ arrogantesque fœminæ magnam quoque ostendunt mollitiem. Vere ergo turpia sunt illa sandalia quibus addita sunt aurea ornamenta: quinetiam circumcirca clavos soleis infigere æquum censent. Multæ autem eis quoque amatorios imprimunt complexus, ut vel ipsam terram incedentes concinnam efficiant, et meretricios spiritus incessu suo insculpant. Valere ergo jubendum est aureorum et gemmeorum sandaliorum vana artificia, cum crepidis Atticis et Sicyoniis, cothurnisque Persicis etiam et Etruscis: recto autem scopo, ut veritati nostræ mos est, proposito, id quod est secundum naturam eligendum est. Calceorum enim usus hic quidem est ad tegendos pedes: alius autem ad propulsandas offensiones, et a montanis asperitatibus plantam pedis conservandam. Sunt itaque mulieribus albi concedendi calcei, nisi iter ineant: tunc autem eis unctis utendum est. Sunt autem illis quæ viam conficiunt, necessariæ soleæ clavis consitæ. Quinetiam illis ut plurimum calceis utendum est; neque enim fœminam decet nudum pedem ostendere: et alioqui mulieri tener est sensus, ut facile lædatur. Viro autem pulchre convenit nullos habere calceos, præterquam si militet. Ὑποδεδέσθαι enim, hoc est, esse *calceatum*, non parvam habet affinitatem cum δεδέσθαι, quod est esse *ligatum*. Optimum quidem est exercitationis genus nudis uti pedibus, et ad sanitatem et ad expeditam facilitatem conveniens, ubi non prohibeat

necessitas. Quod si iter non ingrediamur, nec nudis incedere pedibus pati possimus, soleis utendum est : eas autem Attici vocabant κονίποδας, quod *pedes*, quantum ego conjicio, *pulveri* appropinquare facerent. Tenuis ac simplicis calceaturæ testis sufficit Joannes, qui dicebat se « non esse dignum » solvere corrigiam calceorum *Domini*[1]. » Non enim curiosos aut superfluos is habebat calceos, qui veræ philosophiæ typum Hebræis ostendebat. Hoc autem numquid aliud significet, alibi ostendetur.

CAPUT XII.

Quod non oporteat gemmas et aureum ornatum stupere et admirari.

Gemmas autem fuscas et virides, et quæ peregrini maris æstu expelluntur, et quæ ex terra deteruntur, admirari et stupere est puerile. In pellucidos enim lapillos, ac peculiares colores, atque vitra varia magno ferri studio, nihil est aliud quam stultorum hominum, qui ab iis quæ visum percellunt trahuntur. Ita etiam pueri cum ignem aspexerint, splendore adducti ad eum feruntur, quia quam sit eum tangere periculosum, propter ignorantiam minime animadverterunt. Tales stultis sunt mulieribus gemmæ monilibus alligatæ, et inclusæ torquibus, amethysi, et ceraunitæ, et iaspides, et topazion, *et Milesia*

Smaragdus, merces pretiosissima.

Maximi autem pretii margarites mulierum cubilia per summam lasciviam mirandum in modum invasit : is autem nascitur in quodam ostreo pinnis non absimili : magnitudo autem est quantus permagnus piscis oculus : nec pudet miseras totum suum studium in hoc ostreo ponere, cum eis liceat sancta ornari gemma, nempe Logo Dei, quem uti-

[1] Marc. I, 7. Luc. III, 16.

que Scriptura appellavit *Margariten*[1], pellucidum et purum Jesum, qui est in carne contemplator oculus, qui est Logos perspicuus, per quem caro est pretiosa, quæ aqua regeneratur. Illud enim ostreum in aqua natum, carnem contegit : ex ea autem margarita concipitur. Ex sanctis autem lapidibus supernam Hierusalem fuisse munitam accepimus[2] : et duodecim portas cœlestis civitatis, lapidibus pretiosis assimilatas, eximiam Apostolicæ vocis gratiam significare admittimus. In pretiosis enim lapidibus collocati sunt colores : sunt autem ii pretiosi; cætera vero, terrestris materia, relinquuntur. Merito ergo symbolice sanctorum ex his munitur civitas spiritualiter constructa. Per inimitabilem itaque illum florem lapidum, florem Spiritus, ab interitu scilicet alienam et sanctam substantiam intellexere. Quæ ergo quid sit in Scripturis symbolicum non intelligunt, totæ lapidibus inhiant, admirabilem illam defensionem afferentes : « Quæ » ostendit Dominus, cur eis non utamur? *et :* Adsunt mihi, » cur non eis me oblectabo? *et :* Quibusnam ergo facta sunt, » si non nobis ? » Eorum qui Dei voluntatem plane ignoraverunt, sunt ejusmodi voces. Primum enim quæ sunt necessaria, sicut aquam et aërem, aperte omnibus suppeditat[3] : quæcumque autem non sunt necessaria, terra et aqua abscondit. Et ideo aurum formicæ fodiunt : aurum gryphes custodiunt : a mari teguntur margaritæ. Vos autem curam supervacaneam ponitis in iis quæ non oportet. Ecce totum cœlum apertum est, et Deum non quæritis : aurum autem, quod absconsum est, et lapides ii apud nos scrutantur, qui sunt damnati capitis. Quinetiam Scripturæ repugnatis cum illa aperte clamet : « Quærite primum regnum cœlorum, et » hæc omnia adjicientur vobis[4]. » Quod si etiam vobis omnia

[1] Matth. XIII, 46. — [2] Apoc. XXI, 18 et seq.
[3] Vide D. Guillon, p. 430.
[4] Matth VI, 33.

donata sunt, et si vobis omnia concessa sunt, et si « omnia » vobis licent, *ait Apostolus*, sed non omnia expediunt[1]. » Produxit autem genus nostrum Deus ipse ad communicationem, cum ipse prior suum Filium impertiit, et suum Logon omnibus communem subministravit, et fecit omnia pro omnibus. Sunt ergo omnia communia, ne plura quam alii sibi vindicent divites. Hoc ergo, *Adsunt mihi, et supersunt, cur non me iis oblectabo?* non est humanum, nec ad societatem pertinens. Illud autem magis charitatem arguit, *Adsunt mihi, cur non impertiar pauperibus?* qui enim talis est, est perfectus, qui hoc implevit : « Diliges » proximum tuum sicut teipsum[2]. » Hæ sunt veræ deliciæ, hic est pretiosus thesaurus. Quæ autem fiunt in vanas cupiditates impensæ, interitus, non sumptus locum obtinent. Scio enim Deum potestatem usus nobis dedisse, verum eam usque ad id quod est necessarium : et usum communem esse statuit. Absurdum est autem et turpe, unum laute et luxuriose vivere, cum multi esuriant[3]. Quanto est enim gloriosius multis benefacere, quam magnifice habitare? quanto autem prudentius, in homines, quam in lapides et in aurum, impendere? quanto autem est utilius ornatos habere amicos, quam ornamenta inanima? cuinam autem agri tantum profuerint, quantum gratificari? Restat ergo nobis, ut illud quoque quod objicitur dissolvamus : Quinam ergo habebunt quæ sunt sumptuosa et magnifica, si omnes quæ sunt vilia et frugalia deligunt? Homines, respondebo, si absque ulla vehementi affectione et discrimine eis utamur : sin autem fieri non potest ut sint omnes frugi et temperantes, at saltem ut res necessariæ suppetant, ea quæ facile parari possunt sunt persequenda : hæc autem supervacanea longe rejicienda. In summa ergo, ornamenta, velut virginalis or-

[1] 1 Cor. x, 23. — [2] Matth. xix, 19.
[3] Vide D. Guillon, p. 431.

natus, rejicienda sunt ab illis qui ipsum etiam mundum rejiciunt : oportet enim eas intus esse ornatas, et pulchram mulierem internam ostendere. In sola enim anima pulchritudo apparet et turpitudo : et ideo is solus qui est virtute præditus, vere est pulcher, bonus, et honestus : et solum quod pulchrum est et honestum, bonum esse statuitur. Sola autem virtus vel per pulchrum corpus apparet, et in carne efflorescit, amabilem temperantiæ ostendens speciem, quando mores, tanquam lux quædam, in forma resplenduerint. Uniuscujusque enim plantæ et animalis pulchritudo, in uniuscujusque virtute est posita. Hominis autem virtus est justitia, temperantia, animi magnitudo, et pietas. Pulcher ergo et honestus homo est, qui justus et moderatus, et, ut summatim dicam, qui bonus est, non qui dives. Jam vero milites quoque volunt auro ornari, ut qui nec illud legerint poëticum,

> Quique aurum gestans, in bellum, ut stulta puella,
> Ibat.

Cæterum ornatus quidem studium, quod virtutis minime curam gerit, sed corpus sibi vindicat, boni et honesti studio converso ad vanam gloriam, funditus expellendum est. Quæ enim corpori non conveniunt, perinde ac si ei conveniant, adjungens, mendacii usum, et consuetudinem fraudis progeneravit, non honestatem, simplicitatem, et veram pueritiam, sed fastum, arrogantiam, mollitiem, et luxuriam ostendens. Istæ vero veram pulchritudinem obscurant, auro eam adumbrantes : nec intelligunt quantum in se delictum admittunt, se innumerabilibus vinculis alligantes : quemadmodum dicunt apud Barbaros, scelestos et maleficos homines auro vinciri. Captivos hos vinctosque hæ divites videntur mihi æmulari mulieres. Annon enim colli vinculum est collarium aureum, moniliaque, et quæ καθετῆρες vocantur, catenarum locum obtinent? quinetiam

Attica lingua eodem nomine, nempe ἁλύσεις, hoc est, *catenæ*, appellantur. Talares autem compedes, indecorum in pedibus fœminarum ornamentum vocavit Philemon in Synephebo :

Illustrem amictum, compedemque qui siet
Auratus.

Quid ergo est hic a vobis tantopere expetitus ornatus, nisi quod vos velitis, o fœminæ, videri esse compedibus astrictas ? Si materia enim probrum eluit, est hoc quidem vitium quod minime interit. Quare mihi quidem videntur sua sponte vinculis alligatæ, de opulentis suis gloriari calamitatibus. Ac fortasse etiam poëtica fabula adulterium committentem Venerem dicit fuisse comprehensam ejusmodi vinculis, nihil aliud, quam hæc ornamenta adulterii esse signa, significans. Illa enim aurea quoque fuisse dixit Homerus. Jam vero vel apertissima Maligni signa nequaquam pudet eas inducere. Quemadmodum enim Evam serpens decepit, ita etiam mulieres alias mundus aureus, tanquam esca utens, serpentis figura, in probra furiose impulit; nempe muræ-nulas quasdam aureas et serpentes ad decorem effingens. Dicit itaque comicus Nicostratus, « Catenas, monilia, an- » nulos, armillas, serpentes, periscelides, elleborum. » Summa autem earum ignominia omnem mundum muliebrem recensens Aristophanes ostendit in Thesmophoriazusis. Adducam autem ipsa verba Comici, quæ importunum vestræ insolentiæ fastum aperte arguunt :

Mitræ, redimicula, nitrum, et arcus,
Pumex, strophium, quæ post locatur funda,
Et posterius operculum, fucus, torques,
Componendorum oculorum instrumenta, vestis linea,
Zona, instita, prætexta delicata, [vitta,
Multitia, cithon, barathrum, encyclos tunica,
Quæ sunt autem horum non dixi maxima.

B. Quid insuper?

A. Inaures, gemmæ, plastra, molochion,
Botrychlidon, fibulæ, amphileæ,
Monilia, pedicæ, sigilla, catenæ,
Annuli, cataplasmata, ampullæ,
Capitis ligamina, olisbi, sardia, ventilabra, elicteres.

Ego quidem defessus sum, et indignor, dicendo tot earum ornamentorum multitudinem : mihi autem subit admirari, quod non enecentur dum tantum onus bajulant. O curam valde inanem! O vanam et insanam gloriæ cupiditatem! Ritu meretricio opes effundunt in probra ac dedecora, suaque improba et arroganti stoliditate Dei dona corrumpunt et adulterant, artem Mali imitantes. Dominus autem in Evangelio eum divitem qui in horreis recondebat, et apud se dicebat : « Habes multa bona in multos annos reposita, » comede, bibe, lætare, *aperte* stultum *vocavit:* hac *enim* » nocte animam tuam accipiunt : quæ ergo parasti, cujus » erunt[1]? » Apelles pictor, cum vidisset quemdam ex suis discipulis pinxisse Helenam multo auro ornatam : « O ado- » lescens, *inquit,* cum non posses pingere pulchram, fecisti » divitem. » Tales sunt Helenæ, quæ nunc sunt mulieres, non vere pulchræ, sed multis effictæ et ornatæ divitiis. Eis prædicit Spiritus per Sophoniam, « argentum et aurum ipsarum » non posse eas eximere in die iræ Domini[2]. » Eis autem quæ a pædagogo Christo erudiuntur, non auro, sed Logo exornari convenit, per quod solum apparet aurum. Beati quidem fuissent Hebræi veteres, si mundum mulierum cum abstulerunt, abjecissent, vel solummodo fudissent : nunc autem cum aureum bovem conflassent, et in eo adorando idololatriæ peccatum admisissent, ipsi quidem nec ex arte, nec ex suo instituto commodi quidquam ceperunt, expressissima autem figura nostras mulieres docuerunt, ut ab or-

[1] Luc. XII, 19, 20. — [2] Sophon. I, 18.

namentis abstineant. Quæ itaque cupiditas in aurum fornicatur, fit idolum, cum igne examinatur : cui quidem soli reservantur deliciæ, ut quæ sint simulacrum, non veritas. Hinc Logos per prophetam Hebræos probris insectans : « Argentea et aurea, *inquit*, fecerunt Baal[1], » ornamenta scilicet. Et aperte comminans : « Et vindicabo, *inquit*, super ipsam dies Baalim, in quibus ei sacrificavit, et inaures » ei apposuit, et torques suos[2]. » Et ornatus causam subjungit, dicens : « Et ambulavit post amatores suos, mei » autem oblita est, dicit Dominus. » Cum ipso ergo improbo sophista, diabolo scilicet, nugas has rejicientes, ne sint hujus meretricii ornatus participes, nec per speciosum prætextum, idololatriæ crimen admittant. Admodum ergo pulchre dixit beatus Paulus : « Mulieres, *inquit*, similiter non » in plicaturis, vel auro, vel margaritis, vel veste sumptuosa, » sed, quod decet mulieres, profitentes pietatem, per bona » opera seipsas ornantes[3]. » Etenim jure ab his ornatum abesse jubet. Si sunt enim pulchræ, sufficit natura : non contendat ars contra naturam ; hoc est, fraus minime litiget cum veritate. Sin autem sunt natura turpes, ex iis quæ sibi applicant, quod non habent arguunt. Eas ergo quæ Christo serviunt, frugalitatem convenit amplecti. Frugalitas enim revera curam gerit sanctitatis, ut quæ ea quæ redundant exæquet, et e quibuslibet eum, qui ex supervacaneis capitur, usum percipiat. Quod enim frugale est, ut ipsum etiam nomen indicat, non eminet, neque ulla in re in molem assurgit aut intumescit ; sed est universum planum, lene, æquale, et minime superfluum, et ea de causa sufficiens. Est autem sufficientia, habitus quidam qui ad suum finem pervenit, ita ut neque quid desit, neque redundet. Eorum autem mater est justitia ; nutrix autem, virtus ea quæ græce dicitur αὐτάρκεια, quæ est per quam *contenti* sumus :

[1] Ose. II, 8. — [2] Ibid. 13. — [3] I Tim. II, 9, 10.

ea igitur est habitus iis quibus oportet contentus, et qui per se ea præbet quæ ad beatam vitam conferunt. Sit ergo in vestrarum manuum carpis sanctus ornatus, nempe facilis ad largiendum communicatio, et familiæ administrandæ opera. « Qui enim dat pauperi, fœneratur Deo[1] : » Et, « Manus fortium ditescunt[2]. » Fortes vocat eos qui pecunias contemnunt, et qui sunt ad communicandum et largiendum faciles. In pedibus autem appareat impigra alacritas ad benefaciendum, et ingressus ad justitiam. Torques autem et collaria sunt pudor et modestia : talia Deus fundit monilia. « Beatus homo qui invenit sapientiam, et mortalis qui vidit » prudentiam, *dicit Spiritus per Salomonem.* Ejus enim » est melior mercatura quam thesauri auri et argenti : est » autem pretiosis gemmis pretiosior[3] ; » hæc est enim verum ornamentum. Eis autem ne perforentur aures præter naturam, ut aureæ ab eis inaures pendeant : neque enim fas est vim afferre naturæ, præter id quod voluit. Nec alius fuerit melior aurium ornatus, descendens per meatus qui sunt secundum naturam, quam vera catechesis, hoc est, quæ per auditum suscipitur institutio. Oculi autem Logo inuncti, et aures ad sensum perforatæ, divinarum rerum auditorem, et sanctarum rerum contemplatorem efficiunt; ipso Logo vere veram ostendente pulchritudinem, quam « oculus non vidit, nec auris *prius* audivit[4]. »

[1] Prov. xix, 17. — [2] Id. x, 4. — [3] Id. iii, 13, 14, 15. — [4] 1 Cor. ii, 9.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

De vera pulchritudine.

Est ergo, ut videtur, disciplinarum omnium pulcherrima et maxima, seipsum nosse [1] : si quis enim seipsum norit, Deum cognoscet. Quod si Deum cognoscat, ei assimilabitur; non aurum gestans, nec talarem vestem ferens, sed benefaciens, et quam paucissimis fieri poterit indigens. Solus autem Deus nulla re omnino indiget, et maxime quidem gaudet quando videt mentes nostras ornatu mundas, deinde et eo qui casta corporis veste, nempe temperantia, indutus est. Cum sit itaque anima triplex, intelligentia, quæ ratiocinandi facultas appellatur, internus homo est, qui huic homini qui videtur imperat : eum ipsum autem alioqui Deus agit. Illa pars quam iræ tribuunt, quæ est fera et immanis, haud ita procul a furore habitat. In varias autem formas se mutat, quæ tertia est, cupiditas, quæ plusquam Proteus, marinus dæmon varius, nunc hanc, nunc illam, nunc aliam figuram suscipit, et ad libidines, stupra et adulteria allicit,

Efficiturque leo primum, cui maxima barba est :

et dum ornatum adhuc retinet, virum esse, barbæ pili ostendunt.

Sed post illa draco, vel pardus, sus quoque magnus:

[1] Vide D. Guillon, p. 428.

jam prolapsum esse vides nimium cultus studium ad intemperantiam. Non amplius forti feræ similis esse homo videtur, sed

Humida lympha, et ramis sublimibus arbos.

Effunduntur affectus, erumpunt aquæ instar voluptates, flaccescit pulchritudo, et citius quam folia humi decidit, quando contra illam amatoriæ libidinis procellæ flant; etiam priusquam venerit autummus, marcescit et interit. Omnia enim fit cupiditas, et omnia effingit, et vult fucum facere, ut occultet hominem : homo autem ille, cui Logos cohabitat, non variatur, non fingitur, formam habet Logi, Deo assimilatur, pulcher est, non ut pulcher videatur se exornat, vera est pulchritudo : est enim Deus : Deus autem ille fit homo, quoniam Deus vult. Recte ergo dixit Heraclitus : « Homines dii, dii homines » : Logos enim ipse est evidens hoc mysterium : Deus in homine, et homo Deus : et voluntatem Patris intercessor efficit. Intercessor enim est Logos, qui est communis ambobus. Dei quidem Filius, Servator autem hominum : et illius quidem minister, noster autem pædagogus. Atque cum caro quidem serva sit, quemadmodum testatur Paulus, quomodo quis jure ancillam lenonis instar exornaverit? Quod enim id quod carneum est sit servi forma, dicit de Domino Apostolus, « eum seipsum exinaniisse servi forma accepta[1], » externum hominem servum appellans priusquam serviisset et carnem suscepisset Dominus. Misericors autem Deus, ipse carnem effecit liberam, cumque ab interitu acerbaque et lethifera servitute liberasset, incorruptionem ei adjunxit, sanctum hoc et æternitatis ornamentum carni, immortalitatem videlicet, apponens. Est autem alia quoque hominum pulchritudo, charitas : « Charitas autem, *ut ait Apostolus*, est patiens, benigna;

[1] Philip. II, 7.

» non æmulatur, non agit perperam, non inflatur[1]. » Perpera enim actio dicitur cultus, qui superfluitatem et inutilitatem aperte indicat. Et ideo subjungit : « Non indecore » se gerit. » Indecora enim est, quæ aliena, et non est secundum naturam, est figura : quæ autem ficta est, est aliena. Quod quidem aperte explicat, dum dicit : « Non quærit quæ » sua sunt. » Nam veritas suum vocat id quod proprium est. Quod alienum est autem quærit nimium ornatus studium, ut quod sit remotum a Deo, Logo, et charitate. Ipsum autem Dominum fuisse aspectu deformem (3), testatur Spiritus per Esaiam : « Et vidimus ipsum, et non habebat » speciem nec pulchritudinem ; sed species ejus vilis et de- » ficiens præ hominibus[2]. » Quis autem Domino præstantior? Sed non carnis pulchritudinem, quæ visione apprehenditur, sed veram animæ et corporis ostendit pulchritudinem : animæ quidem beneficentiam ; carnis vero, immortalitatem.

CAPUT II.

Quod non sit cultu utendum.

Non externi ergo hominis aspectus, sed animus probitatis ornamento ornandus est. Dici potest, ornandam quoque esse carnem ornamento continentiæ. Istæ autem non animadvertunt, dum colunt id quod est extrinsecus, quæ intus in profundo sita sunt, esse plane inculta, horrida, et sterilia : cujusmodi sunt etiam ornamenta Ægyptiorum, apud quos templa, eorumque porticus, vestibula ac luci magnifice instructi, eorumque atria multis columnis cincta sunt : parietes autem lapidibus externis et artificiose depictis resplendent, ita ut nihil desit : ædes autem auro, argento et electro collucent, et ex India ac Æthiopia variis fulgent

[1] 1 Cor. XIII, 4, 5. — [2] Isai. LIII, 2, 3.

apillis: adyta vero intextis auro obumbrantur peplis. Sed si enetralia septi subieris, et ad ejus quod est præstantius specaculum properans, imaginem quæ templum habitat quæieris, sacerdos quispiam ex iis qui in templo sacrificant, ravi vultu aspiciens, et Ægyptiorum lingua Pæanem coninens, cum veli aliquantum contraxerit, tanquam Deum stensurus, magnam suppeditat occasionem irridendi nuinis: neque enim intus invenitur Deus, qui quærebatur, d quem festinabamus, sed felis, vel crocodilus, vel serpens ndigena, vel aliqua ejusmodi bellua, quæ templo quidem st indigna, sed antro, spelunca aut cœno dignissima. Apparet Deus Ægyptiorum, bellua, quæ super stragulam purpuream volutatur. Ita etiam mihi videntur fœminæ quæ auum gestant[1], et in crispandis crinibus exercentur, et in enis ungendis oculisque pingendis et pilis tingendis versanır, et aliam mollitiem arte improba persequuntur, septum oc carnale ornantes, et vere Ægyptios imitantes, infelices matores attrahere. Sed si quis veli templum aperuerit, vitım, inquam, vestem, aurum, fucum, tincturam, et quæ eis itrita et incrustata sunt, hoc est, velamentum quod ex eis ontextum est, tanquam illic veram inventurus pulchritunem, satis scio eum esse abominaturum. Neque enim Dei naginem intus inveniet habitantem, quam est consentaeum: sed loco ejus fornicatrix et adultera animæ occuıvit adytum, et vera esse bestia convincetur, fuco scilicet trita simia: et seductor ille serpens, qui mentis exedit telligentiam per gloriæ cupiditatem, pro spelunca habet nimam; et cum omnia exitialibus venenis impleverit, et roris sui virus eructaverit, mulieres in meretrices transrmat hic draco, fungens lenonis officio: non est enim ulieris, sed meretricis, illud nimium sui ornandi studium.

[1] Vide D. Guillon, p. 429.

Quæ quidem mulieres, domus apud maritos servandæ, administrandæque familiæ curam gerunt exiguam; sed soluta mariti crumena, quæ eis suppeditantur convertunt in suas cupiditates, ut pulchræ esse videantur, illiusque rei multos habeant testes: et ornandi artificio toto die dantes operam, ære emptis vacant mancipiis. Carnem ergo, tanquam condimentum, mollem et suavem reddunt: et interdiu quidem in thalamis delitescentes, arti ornandi affixæ sunt, ne vernantibus fucatæ coloribus deprehendantur: vespere autem tanquam ex antro ad lucernam prorepit hæc adulterina pulchritudo. Nam et ebrietas, et lux obscurior, incrustationi earum opem ferunt. Atque eam quidem quæ suos pilos reddebat flavos, Menander comicus domo arcet:

> At nunc abi ex his ædibus: nam fœminam
> Turpe est pudicam facere flaventes pilos:

sed et genas fucare, et oculos depingere. Non intelligunt autem miseræ, se propriam perdere pulchritudinem, dum externam inducunt. Summo itaque mane se lacerantes, et extendentes, variisque ac confusis mixtionibus effingentes, vivum quidem cutis colorem refrigerant, carnem autem venenis effodiunt, curiosisque abstersionibus proprium decoris florem corrumpunt. Quocirca a cataplasmatibus quidem pallidæ cernuntur, a morbis autem facile arripiuntur, ut quæ adumbratam carnem venenis jam liquefactam habeant: hominum Opificem contumelia afficientes, tanquam qui sufficientem non fuerit eis largitus pulchritudinem. Jure ergo quod ad domum servandam attinet ignavæ fiunt, ut quæ sedeant, veluti depictæ, ad spectaculum, non autem ad domus custodiam. Et ideo apud Comicum prudens et mulier: « Quid providi fecerimus nos fœminæ, vel splendidi, quæ tot colorum floribus sparsæ sedemus, liberarum » in nobis fœminarum characterem oblitterantes, domorum

» eversiones, et nuptiarum perniciem, et liberorum in se » accusationes concitantes. » Hac etiam ratione Antiphanes comicus in Malthaca irridet meretriciam mulierum consuetudinem : dicens verba omnibus communia, adversus illam earum fucationem et intritionem : « Venit ; Ipsa transit, » accedit, non transit ; Venit, adest, abstergitur, accedit ; » Smegmate saponeve purgatur, pectitur, ejecit, teritur ; » Lavatur, se contemplatur, componitur, unguentis perfun- » ditur ; Ornatur, ungitur, et si quid habeat, enecatur. » Ter enim non semel dignæ sunt quæ pereant, quæ crocodilorum excrementis utuntur, et spuma sepiarum unguntur, et supercilia fuligine illinunt, et fuco genas terunt. Quæ ergo vel poëtis ethnicis erant odio propter mores, cur non magis a veritate rejiciendæ fuerint ? Alius itaque comicus eas reprehendens, Alexis (ejus enim verba afferam, quæ curiosa rerum explicatione, obstinatam earum impudentiam pudore afficiunt : neque enim erat, quantum credo, tam superfluus : me autem puderet fœminis quæ usque adeo in comœdiis punguntur, ferre auxilium velle) : « Deinde vero » marito quoque affert exitium : primum quidem in lucro, » et in spoliandis proximis : omnia enim alia opera ab eis » fiunt obiter. Est aliqua parva ? suber in calceis insuitur. » Longa est aliqua ? tenues gestat soleas : caput in humerum » demittens egreditur : hoc ei detrahit de longitudine. Depressiores coxæ et femora sunt alicui ? eis aliquid assuit, ut qui ingrediuntur eam pulchras habere nates exclament. Mollem ac prominentem habet ventrem ? ut comicorum nutrices, appositis nonnullis eum erigit. Depressior est venter ? veluti contis quibusdam adhibitis, efficit ut is anterius procedat. Supercilia flava habet aliqua ? depingit fuligine. Alicui ut ea nigra sint contigit ? tollit cerussa nigrorem. Sunt alicui nimis alba ? unguento ei rei facto deterit alborem. Habet aliquam corporis partem candidam ?

» eam nudam ostendit. Bellos habet dentes? rideat necesse » est, ut præsentes videant quam sit ei os venustum: et » quamvis læta non sit, toto tamen die ridet, in labris ha- » bens tenuem myrsinæ tabellam, ut velit nolit ea tandem » cogatur diducere. » Hæc ad dehortandum nimium sui ornatus studium ex mundana adduxi sapientia, cum velit omni ratione nos conservare Logos: mox autem divinis quoque Scripturis id muniam. Solet autem qui non latet, propter reprehensionum dedecus abstinere a peccatis. Quemadmodum autem manui impositum cataplasma, et inuncti oculi, vel ipso aspectu præbent morbi suspicionem: ita fuci, tincturæ, et colores illiti, animam intrinsecus ægrotare significant. Ne ad *alienum* autem *fluvium accedamus*, nobis suadet Pædagogus: per alienum fluvium, alienam uxorem libidini deditam allegorice significans, ut quæ ad omnes dimanet, et per meretriciam intemperantiam in omnium voluptatem effundatur: « Ab aliena, *inquit*, aqua abstine, et ex fonte alieno ne biberis: » delectationis *fluentum* nos vitare admonens, ut « longo tempore vivamus: » adjiciantur autem nobis anni vitæ, » sive alienam voluptatem non venantibus, sive etiam hæreses declinantibus. Porro cibo vel vino nimis deditum esse, etsi sint magna vitia, non tamen tanta quantum est nimium sui ornandi studium. « Mensa plena, et frequentes calices, » satis sunt ad implendam ingluviem: at qui auri, purpuræ, et gemmarum nimio studio tenentur, iis nec quod super terram, nec quod sub terra est, aurum sufficeret; neque mare Tyrium, nec quæ ab Indis et Æthiopibus deportantur onera; sed nec Pactolus, cujus sunt fluenta aurea: sed nec si quis eorum Midas forte evaserit, impleri poterit, sed adhuc pauper erit, alias opes desiderans: sed et una cum auro vel commori parati sunt. Quod si cæcus sit Plutus, ut revera

[1] Prov. IX, 18.

cæcus est, quomodo non cæcæ sunt quæ eum stupent, et admirantur, et in eum affectæ sunt? Dum ergo cupiditatis limites sibi non constituunt, in impudentiam impingunt. Eis enim opus est et theatro, et pompa, et spectatorum multitudine, et obambulatione in templis, et diuturna mora in triviis, ut sint manifestæ omnibus. Ornantur enim ut aliis placeant, quæ in facie, non in corde gloriantur. Sicut enim stigmata servum fugitivum, ita etiam floridi colores adulteram indicant: « nam etsi coccino induaris, » et aureo ornamento orneris, et oculos tuos ungas stibio, » frustra est pulchritudo tua[1], » dicit Logos per Hieremiam. An vero non absurdum est, equos quidem, et aves, et alia animantia, ex herba et pratis surgere ac evolare, proprio contenta ornamento, jubis et colore naturali, et pennis variis: mulierem vero, perinde ac si sit bestiis inferior, se esse adeo deformem existimare, ut externa, emptitia, et adumbrata pulchritudine egeat? Vittæ certe, et earum permultæ differentiæ, et operosæ capillorum plicaturæ, et crinium innumerabiles figuræ, et pretiosæ speculorum structuræ, quibus se componunt dum venantur eos qui, puerorum more insipientium, formas admirantur, sunt fœminarum quæ omnem pudorem exuerunt: quas qui meretrices vocaverit, is non aberraverit, ut quæ ex vultibus suis personas faciunt. Nobis autem suadet Logos, « non ea » considerare quæ videntur, sed ea quæ non videntur. » Quæ enim videntur, sunt temporalia; quæ autem non vi- » dentur, æterna [2]. » Quo autem nihil dici aut fingi potest absurdius, fictæ istius suæ formæ, perinde ac si res ab eis bene gesta et confecta sit, specula excogitarunt, cum huic fraudi esset potius admovendum operculum. Neque enim (ut est in Græcorum fabulis) formoso Narcisso recte successit, quod suæ fuerit contemplator imaginis. Quod si

[1] Jerem. IV, 30. — [2] 2 Cor. IV, 18.

Moses præcipit hominibus, nullam facere imaginem quæ Deum arte repræsentet; quomodo hæ recte fecerint mulieres quæ fallaci personæ fictione suas per reverberationem imitantur imagines? Cæterum prophetæ quoque Samueli, cum mitteretur ut ungeret in regem unum ex filiis Jesse, et vidisset ejus filium natu maximum pulchrum et magnum, quando eo lætatus Samuel chrisma protulit, « dixit, *inquit*, ei Dominus : Ne respexeris ad aspectum ejus, » et altitudinem magnitudinis ejus, quoniam repuli eum. » Homo enim respiciet ad oculos, et Dominus ad cor[1] : » et non unxit eum qui erat pulcher corpore, sed eum qui pulcher erat animo. Si ergo naturalem corporis pulchritudinem minus quam pulchritudinem animæ æstimat Dominus, quid sentit de adulterina, qui quidquid falsum est omnino expulit? « Per fidem enim ambulamus, non per » speciem[2]. » Apertissime ergo docet Dominus per Abraham, et patriam[3], et cognatos, et possessiones, et omnes divitias contemnere eum qui Deum sequitur, cum eum fecit advenam. Et ideo eum appellavit *amicum*[4], ut qui suas facultates habuisset contemptui : erat enim honesto loco natus, et valde dives : *trecentis* itaque et *octodecim* suis famulis quatuor reges subegit qui Loth captivum abduxerant[5]. Solam *Esther* juste invenimus ornatam[6] : mystice ornabatur mulier regi suo, sed ejus pulchritudo pretium invenit, quo liberatus fuit populus interficiendus. Quod autem cultus faciat mulieres meretrices, viros autem effœminatos et adulteros, testis est nobis Tragicus, sic narrans :

Ex Phrygibus ille cum appulisset qui Deas
Dijudicavit, Graia ut inquit fabula,
Lacedæmona, cultu discolore vestium,
Et Barbarorum texu et auro splendidus,

[1] 1 Reg. XVI, 7. — [2] 2 Cor. V, 7. — [3] Gen. XII, 1 et seq. — [4] Jac. II, 23. — [5] Gen. XIV, 14 et seq. — [6] Esther, V.

Amans amantem vi recessit auferens
Helenam ad Idæ caulam, abesset cum domo
Menelaüs.

) adulteria concitantem pulchritudinem[1] ! Græciam evertit
arbarum sui ornandi studium, et effœminatæ deliciæ : La
onicam pudicitiam corrupit vestis, et luxus, et pulchra
pecies : barbaricum sui ornandi studium meretricem pro-
avit Jovis filiam. Non erat eis Pædagogus, qui rescinderet
ibidines ; nec qui diceret, *Non mœchaberis*[2] ; nec qui di-
eret, *Non concupisces*, nec ad adulterium iter ingrediéris
er concupiscentiam, sed neque appetitiones inflammabis
er immoderatum tui ornandi studium. Sed hæc cujusmodi
onsecutus est exitus ? et quot mala senserunt, qui nimium
ui amorem prohibere noluerunt ? Propter effrænatas volup-
ates Græcia et Asia commotæ sunt, a barbaro adolescen-
ulo omnia agitantur, tota Græcia navigat, mare in arctum
ogitur terras ferens, longum bellum excitatur, et vehe-
entia erumpunt prælia, campique implentur cadaveribus :
lassi insultat Barbarus, dominatum obtinet iniquitas, et
eti illius Jovis oculus Thraces respicit : ingenuus sanguis
arbaros potat campos, et fluviorum fluenta sistuntur mor-
is corporibus : pectora pulsantur planctibus, et luctus ter-
am possidet : Idæ autem multis fontibus irriguæ omnes
oncutiuntur pedes, et omnia cacumina, Trojanorumque
bes, et Achivorum naves. Quo fugiemus, o Homére, et ubi
onsistemus ? Ostende nobis terram quæ tumultus hujus
expers.

Puer, ne habenas tetigeris, qui es insciens :
Currumque, agendi ignarus, haud ascenderis :

iobus aurigis cœlum lætatur, quibus solis ignis agitur.
ens enim per voluptatem abducitur, et rationis integritas,
æ Logo pædagogo non utitur, labitur in libidinem : lap-

[1] Vide D. Guillon, p. 429.
[2] Exod. xx, 13, 17.

sus autem mercedem recipit, quod excidat. Harum rerum tibi sunt indicio *Angeli*[1] qui Dei reliquerunt pulchritudinem[2] propter pulchritudinem quæ flaccescit, atque adeo e cœlis in terram ceciderunt. Quinetiam *Sicimitæ*[3] puniuntur, qui lapsi sunt, sanctæ virgini probrum inferentes. Sepulcrum eis est supplicium, et pœnæ monimentum nos ducit ad salutem.

CAPUT III.

Adversus viros qui formam colunt.

Eousque ergo processit luxus, ut non solum fœminæ inani hoc studio laborent, sed etiam viri hoc vitium sequantur. Qui enim a corporis cultu puri non sunt, ii nequaquam sani sunt : verum ad mollitiem declinantes, plane effœminantur, illiberali quidem tonsu ac meretricio se tondentes, subtilibus autem ac pellucidis vestibus induti, gloriose undequaque obeuntes, mastichen rodentes, et unguenta olentes. Quid de iis dixerit quispiam qui eos viderit? certe tanquam metoposcopus, ex habitu divinat esse adulteros, effœminatos, utrique veneri deditos, pilis infestos, glabros, florem virilem abhorrentes, comas autem non secus ac mulieres ornantes. « In nefariis *autem* et audacibus cœptis scelerati viventes, stolida admittunt atque improba facta, *ait Sybilla.* » Propter eos plenæ sunt civitates iis qui effœminatos hos picant, radunt, et vellunt. Officinæ autem ubique constructæ et apertæ sunt, et hujus meretriciæ fornicationis artifices multum pecuniæ lucrantur ab iis qui seipsos pice oblinunt, et pilos vulsoribus quoquo modo præbent vellendos, quos nec eorum qui vident, nec eorum qui accedunt, nec sui ipsorum qui viri

[1] Gen. VI, 1, 2.
[2] Vide D. Guillon, p. 429.
[3] Gen. XXXIV, 25 et seq.

sunt, pudet. Tales sunt, qui turpes sequuntur perturbationes, quorum corpus violentis picis vulsionibus totum glabrum est et læve. Nihil est certe, quo possit ulterius progredi talis impudentia. Si enim nihil ab eis infectum relinquitur, nec silentio est a me prætereundum. Quemdam ex hac degeneri turba pædagogi ritu increpans Diogenes, cum venderetur, magno et forti animo dixit : « Veni adolescens, eme tibi virum : » ancipiti oratione meretricium ejus animum castigans. Eos enim qui viri sunt, radi ac lævigari, quomodo non est degeneris? Quod pilos autem tingant, et canos ungant, ac coloribus oblinant, quæ perditorum androgynorum studia sunt; quod etiam muliebriter se pectant, omnino prætermittendum est. Putant enim se, sicut serpentes, posse senium capitis exuere, dum seipsos pingentes transformant ac renovant. Quod si pilos confingant, rugas tamen non effugient : sed neque mortem latebunt, etsi tempus per artem ementiantur. Non enim malum est, non est, inquam, malum, senem videri, cum te senem esse celare non possis. Quo ergo magis homo festinat ad finem, tanto est vere venerabilior, ut qui Deum solum habeat se seniorem. Nam ille quoque est æternus senex, qui est iis quæ sunt antiquior. *Antiquum dierum* illum vocavit prophetia[1] : « Et capilli capitis ejus tanquam lana pura, » ait Propheta. Nullus autem alius, inquit Dominus, « potest » album pilum facere, vel nigrum[2]. » Quomodo ergo opus Deo contrarium fabricantur, vel potius ei adversari contendunt impii qui pilum transmutant qui ab eo canus factus est? « Senum autem coronà, *inquit Scriptura*, est multa » experientia[3] : » et vultus eorum canities, flos est multæ experientiæ. Illi vero eum qui canos eorum tingit, unde illis præcipua reverentiæ prærogativa, dedecore afficiunt. Fieri autem non potest, non potest, inquam, fieri ut veram osten-

[1] Dan. VII, 9. — [2] Matth. V, 36. — [3] Eccli. XXV, 6.

sit animum, qui caput habet adulterinum. « Vos autem non
» sic, inquit, Christum didicistis, siquidem ipsum audistis,
» et in ipso docti estis, sicut est veritas in Jesu, ut depo-
» natis secundum priorem conversationem veterem homi-
» nem : non comam, sed eum qui corrumpitur secundum
» desideria deceptionis. Renovamini autem non tinctoriis
» et cultibus, sed spiritu mentis vestræ; et induite novum
» hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia
» et sanctitate veritatis [1]. » Eum autem qui vir est, pecti
et tonderi, crines componentem ad speculum, genasque
radi, velli, ac deglabrari, quomodo non est plane muliebre?
et certe nisi quis eos nudos viderit, mulieres esse putaverit.
Etsi enim eis aurum gestare non sit permissum, per mulie-
brem tamen libidinem, quasdam auri fimbrias et quasdam
(illa ?) in illis circumplectentes, vel ex eadem materia sphæras,
nescio quas, figuras facientes, talis appendunt, et a collo
suspendunt. Quod est inventum fractorum hominum, qui
permeabuntur ad gynæceum, ancipitis vitæ et libidini dedi-
tarum bestiarum. Hæc est fornicatoria et impia insidiarum
ratio : Deus enim voluit feminam quidem esse glabram ac
lævem, sua coma, sicut equum juba, sponte naturæ exsul-
tantem : virum autem cum sicut leones barba ornasset, vi-
rilem etiam fecit hirsuto pectore, quod quidem est roboris
et imperii indicium. Ita etiam gallos, qui pro gallinis decer-
tant, cristis, tanquam galeis, ornavit. Hos autem pilos Deus
tanti fecit, ut eos simul cum prudentia jubeat adesse ho-
minibus : atque adeo honestate delectatus, gravitatem as-
pectus honoravit veneranda canitie. Prudentia autem, et
accuratæ exactæque rationes, canæ intelligentia, una cum
tempore ad summum suum vigorem perveniunt, et intensis
multæ experientiæ viribus senium confirmant, amabilem
venerandæ prudentiæ florem, qua fides illi concilietur, ca-

[1] Ephes. iv, 20, 21, 22, 23, 24.

tiem proferentes. Hoc viri signum, barba scilicet, per 'od vir apparet, est Eva antiquius, et signum melioris na-ræ. Eum Deus æquum censuit hirtum esse oportere, et r totum viri corpus pilos disseminavit : quidquid autem s erat læve ac molle, a latere abstulit, ad seminis suscep-nem mollem ac tractabilem fœminam fabricatus, quæ ge-ationis et domus custodiæ esset opitulatrix. Ille autem od læve enim erat projecerat) et vir mansit, et virum ndit; et ei agere, quemadmodum illi pati, concessum s sunt enim natura sicciora et calidiora, quæ sunt hir-a, lævibus. Quocirca et masculina fœminis, et coleata tis, et perfecta imperfectis, et hirsutiora sunt et cali-ra. Id ergo violare quod est virilis naturæ signum, sci-t hirsutum, est impium. Lævoris autem ornamentum num enim Verbum me accendit) si propter viros fiat, est minati; si propter fœminas autem, adulteri : utrum-e autem est a nostra republica longissime relegandum. ineliam vestri quoque capitis omnes capilli numerati t, *ait Dominus*[1]. » Sunt autem etiam pili in barba nu-ati, atque adeo etiam qui sunt in toto corpore : non est vellendus præter Dei institutum, qui voluntate ejus umeratus est. Nisi utique « vos ipsos non agnoscitis, *in-uit Dominus*, quod Christus Jesus est in vobis[2] : » quem habitantem nobis scivissemus, nescio quomodo ipsum ro afficere in animum induxissemus. Picari autem ac s (vereor hanc turpitudinem vel nominare) aversos, rvatos, et arcana naturæ aperte denudantes, prodentes, ndos, et, cum erubescendæ sint eorum figuræ, ipsos erubescentes, in ipso juvenum cœtu et medio gymna-, ubi virtus virorum exploratur, se indecore gerentes, præter naturam persequi exercitium, quomodo non est remæ intemperantiæ? Qui enim in aperto hæc faciunt,

[1] Matth. x, 30. — [2] 2 Cor. xiii, 5.

vix ullos domi fuerint reveriti. Quæ in publico autem est impudentia, testatur eam quæ est in obscuro in summa licentia libidinem. Qui enim in manifesta solis luce virum abnegat, clarum est eum noctu convinci mulierem. « Non erit » autem, *dixit Logos per Mosen*, meretrix ex filiabus Israel; » et non erit scortum ex filiis Israel[1]. » At pix juvat, inquiunt : imo vero facit ut quis male audiat. Nemo autem sanæ mentis vellet scortum videri, nisi eo morbo laboraret, et studere ut pulchra imago vituperetur. « Si eos enim qui » sunt vocati secundum propositum, Deus præscivit confor- » mes imagini sui Filii[2], » propter quos, ut vult Apostolus, prædestinavit Beatum, « ut sit ipse primogenitus in multis » fratribus : » quomodo non sunt impii qui conforme Domino corpus injuria afficiunt? Ei autem qui pulcher esse velit, quod est in homine pulcherrimum ornandum est, nempe mens, quam oportet quotidie pulchriorem exhibere. Vellendi autem sunt non pili, sed cupiditates. Mihi vero misereri subit mangonum pusiones, qui ad contumeliam patiendam ornantur : et tamen probro et injuria non a seipsis afficiuntur, sed jussu alieno ad turpem quæstum miseri ornantur. Qui autem libentes ea faciunt ad quæ si cogerentur morte vindicarent, si viri essent, quomodo non sunt execrandi? At nunc quidem vita eo processit intemperantiæ, insultante et lasciviente iniquitate[3] : et quidquid est impudicum, diffusum est in civitatibus, et jam pro lege habetur. Apud ipsos stant in fornice mulieres, carnem suam ad probrum voluptatis venundantes : et pueri docti abnegare naturam, mulieres simulant. Omnia immutavit luxus: hominem probro affecit : mollis et luxuriosa curiositas quærit omnia, omnia aggreditur, naturam coërcet : homines patiuntur muliebria, et fœminæ præter naturam viri

[1] Deut. XXIII, 17. — [2] Rom. VIII, 28, 29.
[3] Vide D. Guillon, p. 430.

agunt; et nubunt, uxoresque ducunt fœminæ: nullus est meatus ad quem non pateat aditus impudicitiæ. Jam vero eis quoque communis venus publicatur, domestica est luxuria. O miserandum spectaculum! o nefandum studium! Hæc civilis vestræ intemperantiæ ostenduntur trophæa : hæ flagitia arguunt quæ prostant in fornicibus. Oh! quanta est hæc iniquitas! Sed neque intelligunt, miseri, quantas sæpe tragœdias excitet incertus coitus. Cum meritorio filio et meretricibus filiabus sæpe patres coëunt, expositorum liberorum immemores : et viros esse eos qui genuerunt, ostendit nimia libidinis licentia. Hæc sapientes leges permittunt : licet autem eis peccare ex lege, et nefandam voluptatem appellant indifferentiam. Esse se ab adulterio liberos existimant, qui naturam adulterant : eos autem consequitur eorum quæ flagitiose ab eis perpetrata sunt, ultrix justitia; et in seipsos inevitabilem attrahentes calamitatem, parvo nummo mortem emunt. Harum mercium miseri mercatores navigant, tanquam frumentum, tanquam vinum, fornicationem importantes : alii autem longe miseriores, tanquam panem, tanquam obsonium, voluptates comparant. Et nec illud quidem Mosis eis venit in mentem : « Non profanabis filiam tuam, ut eam facias meretricem : et non » fornicabitur terra, et terra implebitur iniquitate [1]. » Hæc olim prophetice dicta sunt : est autem manifestus exitus : omnis jam terra et fornicatione et iniquitate plena est. Suspicio autem et admiror veteres Romanorum legislatores : ii muliebre et effœminatum vitæ studium odio habuerunt, et corporis cum fœmina consuetudinem præter naturæ legem, terræ infodi ex lege justitiæ æquum existimarunt. Nefas est enim barbam vellere, quæ est pulchritudo congenita, pulchritudo ingenua :

Primo barbatum : namque hæc gratissima pubes.

[1] Levit. XIX, 29.

Deinde inungitur, dum *barba* delectatur in quam *unguentum descendit* propheticum, dum *Aaron* honorabatur[1]. Oportet autem eum qui a Pædagogo recte instituitur, super quem pax habitavit, etiam cum pilis suis pacem agere. Quid non igitur admiserint fœminæ ad libidinem propensæ, dum vident viros talia audere? Imo vero ii non viri, sed batali et fœminelli dicendi sunt, quorum voces sunt compressæ et graciles, vestis autem cum tactu, tum tinctura ipsa est effœminata. Ex moribus autem externis aperte arguuntur hi homines, ex amictu, calceatu, habitu, incessu, tonsu, aspectu : « Ex aspectu *enim* vir cognoscetur, *inquit* » *Scriptura*, et ex occursu hominis homo agnoscetur. Vestitus viri, et gressus pedis, et risus dentium de ipso annuntiabit[2]. » Ii enim, etsi aliis pilis maxime cani sint, eorum qui sunt in capite solummodo curam gerunt vittis, non secus ac fœminæ, comas propemodum alligantes. Atque leones quidem de hirtis suis pilis se jactant; sed in pugna eis armantur. Apri quoque ipsi gloriantur juba; sed eos pilis inhorrescentes pertimescunt venatores.

Lanigeræ quoque oves denso sunt vellere onustæ :

atqui eorum quoque pilos multiplicavit benignus Pater in tuum, o homo, usum, dum te vellera tondere docuit. Et ex gentibus quidem Galli et Scythæ comam nutriunt, sed non se ornant : et terribile quiddam præ se fert densum barbari capillitium, et flavus ille color bellum minatur, ut qui videatur cognationem habere cum sanguine. Ambo hi barbari luxum odio habent. Apertos testes proferent, Germanus quidem Rhenum, Scytha vero plaustrum. Quanquam nonnunquam quoque evenit ut Scytha plaustrum contemnat : divitiæ barbaro, ejus esse videtur magnitudo, et relictis deliciis vitam agit frugalem : domum sufficien-

[1] Psal. CXXXIII, 2. — [2] Eccli. XIX, 29, 30.

am, et plaustro agiliorem, equum scilicet acceptum, conscendens Scytha, eum ducit quo vult. Fame autem laboans petit ab equo alimentum : ille vero præbet venas, et, uem solum possidet, sanguinem domino suppeditat. Porro utem equus quoque Nomadi est et vehiculum et cibus. ater Arabes autem (sunt hi alii Nomades) qui ad pugnandum apta sunt ætate, camelos conscendunt : parientes hi amelos educunt : illæ vero simul et pascuntur et currunt, ominosque suscipientes una quoque cum eis domum ferunt. Quod si potus quoque barbaris defecerit, lac mulgent : exinanito autem nutrimento, ne sanguini quidem arcunt, ut fertur de lupis rabie agitatis. Illæ vero barbaris ansuetiores, etiam injuria affectæ, mali accepti non recordantur, sed solitudinem confidenter percurrunt, dominos simul portantes et alentes. Pereant ergo immanes belluæ quibus est cibus sanguis. Neque enim hominibus fas est angere sanguinem [4], quibus corpus nihil est aliud quam aro exculta sanguine. Logi particeps fuit humanus sanguis, t gratiæ per Spiritum habet communionem. Si quis eum njuria affecerit, non latebit : licet ei, etiamsi sit nudatus gura, ipsum alloqui Dominum. Barbarorum autem probo implicitatem : expeditam vitæ rationem diligentes, reliquerunt delicias. Tales nos vocat Dominus nudos fastu et arrogantia, nudos vana gloria, avulsos a peccatis, solum vitæ gnum ferentes, solam salutem obtinentes.

CAPUT IV.

Cum quibusnam habenda sit consuetudo.

Verumenimvero imprudens transilii spiritu ordinem, ad uem rursus est revertendum, et reprehendenda multorum ervorum possessio. Cum enim ipsi agere singula et minis-

trare nolint, ad famulos confugiunt, obsonatorum, et mensæ structorum, eorumque qui carnes in frusta artificiose dissecant, magnam ementes multitudinem. In multas autem et varias partes eis sunt divisi mercenarii. Ac nonnulli quidem eorum laborant in iis quæ ad explendam gulæ ingluviem pertinent, structores, et ciborum conditores, et alii quidem bellariorum, alii vero liborum ac placentarum, alii pulmentorum ac sorbitionum sunt compositores et architecti : alii vero ponunt operam in vestibus superfluis : alii autem aurum custodiunt, ut gryphes : alii argentum servant, et abstergunt pocula, et conviviorum apparatus præparant : alii fricant jumenta : comparatur etiam ab illis turba pocillatorum, formosorumque adolescentum greges, tanquam pecorum, quibus emulgent pulchritudinem. Ornatores autem et ornatrices mulieribus ornandis deserviunt : et hæ quidem speculis, illæ autem vittis, aliæ vero præsunt pectinibus. Eunuchi multi, iique lenones, propterea quod sit probabile eos libidini non posse operam dare, iis qui volunt vacare voluptati inservientes citra ullam suspicionem. Eunuchus autem verus est, non qui non potest, sed qui non vult dare operam voluptati. Transgressis itaque Judæis per Samuelem prophetam Logos protestans, petenti regem populo non humanum pollicetur dominum, sed quemdam se insolentem daturum eis minatur tyrannum, libidini et voluptati deditum : « Qui vestras, *inquit*, filias accipiet » in unguentarias, coquas, et panificas[1] : » ut qui belli lege eas invaserit, non autem sequatur pacificam reipublicæ administrationem. Et qui mulierum quidem lecticas in altum tollant, et in humeris eas ferant, multi Galli sunt : lanificium autem, telæque texendæ artificium, muliebreque opus, ac domus administratio et custodia, nusquam est : sed qui mulieribus falsa narrant, toto die cum eis versantur, ama-

[1] 1 Reg. VIII, 13.

orias fabulas nugaciter referentes, earumque corpus et animas falsis factis et verbis mendacibus corrumpentes. « Non eris *autem, inquit,* cum multis propter vitium, nec adjicieris cum multitudine[1] : » quoniam sapientia in paucis, confusio autem et immoderatio in multis cernitur. Atque hæ quidem non propter honestatem, quod nolint aspici, qui lecticas earum portent conducunt : recte enim agerentur, si hoc modo affectæ velamentum sibi injicerent; sed per summas delicias vehuntur a famulis, ostentare se cupientes. Aperto itaque velo eos qui ipsas respiciunt acrius intuentes, mores suos ostendunt : sæpe autem etiam intus respiciunt, hanc, quæ est superficie tenus, honestatem per hanc lubricam diligentiam probro afficientes. « Ne circumspicias autem, *inquit,* in vicis civitatis : nec erres in ejus solitudinibus[2] : » est enim vere solitudo, etiamsi adsit turba incontinentium, ubi non est homo pudicus. Circumferuntur autem per templa sacrificantes et divinantes, cum præstigiatoribus et circulatoribus, et cum sceleratis vetulis, quæ domos corrumpunt, quotidie una pompas celebrantes, et aniles susurros ad pocula sustinentes, nonnullaque amatoria et carmina in matrimonii perniciem composita a præstigiatoribus ediscentes : et alios quidem viros habent, ab iis possidentur, alios autem eis vates pollicentur. Illæ autem falli sese nesciunt, et seipsas quidem, tanquam vas voluptatis, iis tradere qui volunt explere libidinem : suam autem pudicitiam probro turpissimo permutantes, vituperandum in primis exitium pro magno lucro ducunt. Multi autem sunt meretriciæ impudicitiæ ministri, alii aliunde subeuntes. Facile enim ad libidinem feruntur intemperantes, sicut porci ad eam alvei partem quæ deprimitur. Unde Scriptura constantissime admonet : « Ne introducas quemvis hominem in domum tuam : dolosi enim hominis multæ

[1] Exod. xxiii, 2. — [2] Eccli. ix, 7.

» sunt insidiæ[1]. » Alibi autem : « Viri justi, *inquit*, sint » tui convivæ, et in timore Domini tua permanebit gloriatio[2]. » Abeat in malam rem fornicatio. « Hoc enim scitote, » *inquit Apostolus*, quod omnis fornicator, vel immundus, » vel avarus, qui est cultor idolorum, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei[3]. » Istæ vero effœminatorum virorum delectantur congressibus : intro autem confluunt cinædorum turbæ lingua effrænatæ, corpore pariter atque oratione impuræ, ad ministeria impudica viriles, adulteris deservientes, impudice ridentes, et susurrantes, et fornicatorium ad lasciviam sonum per nares edentes, impudicis verbis et figuris delectare conantes, et ad risum, qui est fornicationis præcursor, provocantes : nonnunquam etiam vel qualibet ira incensi; nempe qui ipsi scorta sunt, vel qui etiam cinædorum turbam in suam perniciem sectantur, naribus, non secus ac ranæ, plausum edunt, ac si in naso bilem veluti habitantem habeant. Quinetiam quæ sunt ex eis paulo urbaniores, aves Indicas pavonesque Medicos nutriunt; et si quod est acuto capite, monstrum verius quam homo, ei accumbunt, et cum eo ludunt, lascivis saltationibus ... portentis se oblectantes : et rident quidem, cum Thersiten audiunt; ipsæ vero Thersitas maximi pretii ementes, ... de conjugibus, sed de illis quæ sunt terræ pondus, se j... tant : et modestam quidem viduam, Melitæo catello lo... præstantiorem, despiciunt, et justum senem negligunt, q... est, nisi fallor, monstro ære empto magis decorus. Puerum autem orphanum non admittunt, quæ psittacos et charadrios enutriunt : sed filios quidem domi natos exponunt; gallinarum autem pullos excipiunt : et quæ sunt expertia rationis, iis quæ ratione sunt prædita præferunt : cum oporteret senes alere, qui temperantiam profitentur, et sunt, ut ego quidem existimo, simiis formosiores, et loqui possunt

[1] Eccli. xi, 29. — [2] Ibid. ix, 16. — [3] Ephes. v, 5.

melius lusciniis; et illud in medium adducere : « Fœneratur Deo, qui miseretur pauperis [1]; » et hoc : « Quatenus uni horum minimorum fecistis, mihi fecistis [2]. » Eæ autem contra imperitiam prætulere modestiæ, ut quæ suas facultates in lapides converterint, margaritas scilicet et smaragdos Indicos. Quinetiam in futilibus et evanidis tincturis, et in emptitiis mancipiis temere opes profundunt et abjiciunt, non secus ac gallinæ satiatæ, vitæ stercora fodientes. « Paupertas autem, *inquit*, virum humiliat [3]. » Per *paupertatem* volunt eum dicere parcimoniam, per quam pauperes sunt ii divites qui bona non communicant.

CAPUT V.

Quomodo in balneis se gerere oporteat.

Cujusmodi autem sunt eis lavacra? domus artificiose compactæ, perspicuæ, quæque circumferri possunt, teguntur sindone : et cathedræ aureæ, argenteæ, et vasa innumerabilia aurea et argentea : quorum hæc quidem ad propinandum, illa vero ad vescendum, alia autem ad lavandum circumferuntur. Quinetiam carbonum craticulæ. Eo enim inventum est intemperantiæ, ut cœnent, et sint ebriæ, dum lavantur : et argenteam supellectilem, cum qua tanquam in pompa se venditant, arroganter in balneis proferunt; atque adeo fortasse etiam divitias, per immodicam superbiam, maxime autem voluntariam insolentiam, per quam viros pusilli et effœminati animi arguunt, utpote victos a fœminis, ostentant; et quomodocumque seipsas non posse convenire, nec sine multis vasis sudare, comprobant. Etenim quæ sunt pauperes, etsi pompæ non sint participes, lavacris ex æquo fruuntur. Habent itaque sordes divitiarum,

[1] Prov. XIX, 17. — [2] Matth. XXV, 40. — [3] Prov. X, 4.

opes nimias maledictorum. Hac veluti esca irretiunt miseros, auri splendorem ore hiante admirantes. Ea enim ratione ejus quod honestum est ignaros in stuporem adducentes, ut ipsas mirentur amatores, callido comminiscuntur artificio, qui eis paulo post nudis insultant. Cum coram maritis suis vix se exuerint, opinionem pudoris simulatione affectantes, cuipiam alii qui velit licet eas, quæ domi clauduntur, nudas videre in balneis : hic enim se exuere spectatoribus, tanquam corporum cauponibus, non erubescant. Sed Hesiodus quidem,

Corpus fœmineo non exhilarare lavacro

suadet. Viris autem et fœminis communia aperta sunt balnea [1], et hic exuuntur ad intemperantiam (ab aspectu enim hominibus amor proficiscitur), perinde ac si eis pudor in lavacris ablueretur. Quæ autem non usque adeo omnem pudorem exuerunt, externos quidem excludunt : una autem cum suis ministris lavantur, et coram servis nudæ exuuntur, et ab eis fricantur, libidini, quæ fortasse cætera pertimescit, securum saltem contactum concedentes. Qui enim nudis dominabus ad lavacrum introducuntur, student se exuere ad cupiditatis audaciam, malo more metum circumscribentes. Ac veteres quidem athletæ virum nudum ostendère erubescentes, dum certamen peragebant, accinctis subligaculis servabant verecundiam : istæ autem cum simul cum tunica pudorem exuerint, volunt quidem videri pulchræ; verumtamen malæ vel invitæ convincuntur. Etenim per ipsum corpus maxime apparet lasciva concupiscentia, quemadmodum hydropicis per cutis superficiem, id humidum quod continetur : quod autem in utroque ægrotat, ex visu cognoscitur. Oportet ergo viros, generosum veritatis fœminis præbentes exemplum, erubescere una cum

[1] Vide D. Guillon, p. 430.

is exui, lubricumque aspectum effugere. « Qui enim curiosius, *inquit*, respexit, jam peccavit [1]. » Oportet ergo domi quidem parentum et famulorum pudore affici; in viis autem, eorum qui fiunt obviam; in lavacris vero, mulierum; in solitudine autem, sui ipsius; ubique autem, Logi, qui est ubique, « et sine ipso factum est nihil [2]. » Hac enim solum ratione fit ut quis nunquam labatur, si Deum sibiipsi semper adesse existimat.

CAPUT VI.

Quod solus Christianus sit dives.

Sunt itaque habendæ divitiæ ut est rationi consentaneum : suntque benigne, non autem sordide, nec insolenter communicandæ : nec est honesti studium in sui amorem superbiamque et arrogantiam consumendum, ne forte et nobis utique dicat quispiam : Equus ejus est pretii quindecim talentorum, vel fundus, vel servus, vel aurum ; ipse vero trium obolorum est aut paulo amplius. Jam enim aufer mundum a fœminis, et servos a dominis, nihil invenies dominos differre ab emptitiis mancipiis, non incessu, non aspectu, non sermone, adeo sunt similes mancipiis. Quamvis in hoc discrepent, quod sint servis imbecilliores, et ita educti sint ut sint magis valetudinarii. Hoc ergo ex dogmatibus optimum est perpetuo canendum, quod *Vir* quidem *bonus, qui est moderatus et justus* [3], in cœlo recondit thesaurum pecuniæ [4]. Is qui terrena vendidit, et dedit pauperibus, invenit thesaurum in quem non cadit interitus, *ubi nec tinea est, nec latro.* Is ergo est vere *beatus*, etiamsi *sit parvus, imbecillis, et inglorius* : isque revera magnas possidet divitias. « Quod

[1] Matth. v, 28. — [2] Joan. I, 3. — [3] Matth. VI, 20; XIX, 21. Luc. XVI, 19.
[4] Vide D. Guillon, p. 430.

» si sit vel Mida et Cinyra ditior, sit autem injustus » et insolens, quemadmodum qui purpura et bysso luxuriose vestiebatur, Lazarum autem contemnebat, et « miser est, et in » mœrore vivit, » neque vivet. Divitiæ ergo sunt serpenti similes, quem si quis nescit inoffense accipere eminus, sine periculo bestiam summa cauda apprehendens, ea manu circumplicabitur et mordebit. Pulchre norunt serpentum instar repentes divitiæ, dum a perito vel ab imperito apprehenduntur, inhærere et mordere. Sed si quis se magnificum præbens scienter eis utatur, Logi quidem carmine bestiam punget, ipse vero illæsus manebit. Cæterum, ut videtur, non satis animadvertimus quod sit is solus dives qui quæ sunt pretiosissima possidet. Magni autem pretii sunt, non gemma, non argentum, non vestis, non corporis pulchritudo, sed virtus. Ea est autem Logos traditus per Pædagogum ad exercitationem. Hic est Logos, qui abjurat delicias, et eam quæ per se fit operationem in ministerium evocat, laudatque frugalitatem, temperantiæ filiam : « Accipite, inquit, disciplinam, et non argentum, et cognitionem super » aurum probatum. Melior est enim sapientia lapidibus pre» tiosis : quidquid est autem pretiosum, nequaquam est ea » dignum [1]. » Et rursus « Colligite me super aurum, et lapi» dem pretiosum, et argentum : germina enim mea meliora » sunt argento electo. [2] » Quod si etiam distinguere oporteat, sit quidem dives qui multa possidet, auro onustus, ut sordidum marsupium : at qui justus est, est et decorus : decorum enim, est ordo : quemadmodum autem oportet et decorum est, in administrandis bonis suis et distribuendis, moderatus. « Sunt *enim* qui seminant, et plura colligunt [3], » de quibus scriptum est : « Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi [4]. » Quare non qui habet et servat, sed qui impertit, est dives : et impertitio ac

[1] Prov. VIII, 10, 11. — [2] Ibid, 19. — [3] Id. XI, 24. — [4] Psal. CXII, 9.

communicatio, non autem possessio, beatum reddit. Animæ autem fructus est benigna communicatio. Divitiæ ergo sunt in anima. Jam vero bona possideri solum possunt a bonis : boni autem Christiani. Homo autem insipiens vel intemperans neque boni sensum habere potest, neque consequi possessionem : a solis ergo Christianis possunt bona possideri. His autem bonis nihil est divitius : hi sunt ergo soli divites. Veræ enim sunt divitiæ, justitia, et Logos, qui est quovis thesauro pretiosior. Quæ quidem divitiæ ex pecoribus et prædiis non augentur, sed a Deo donantur, divitiæ quæ auferri non possunt, quarum est thesaurus sola anima, possessio ei qui illam possidet optima, quæ hominem vere reddit beatum. Cui enim adest, nihil eorum ut expetat quæ non sunt in nostra potestate, ea autem quæ expetit, ut consequatur : quinetiam quæ sancte desiderat, ea cum petit, a Deo ut accipiat, quo modo non is multa, imo vero omnia possidet, qui thesaurum æternum, nempe Deum, habet? « Petenti, *inquit*, dabitur, et pulsanti aperietur[1]. » Si Deus nihil negat, ejus sunt omnia qui pius est.

CAPUT VII.

Quod pulchrum viaticum Christiano sit frugalitas.

Deliciæ autem, quæ in voluptatibus vagantur, grave sunt hominibus naufragium. A vero enim honesti studio, et quæ viro bono conveniunt voluptatibus, aliena est hæc jucunda et laudis expers multorum vita. Homo enim est natura excelsum et erectum animal, et quod veri quærendi desiderio tenetur, ut qui Unius opus sit. Ea autem quæ in ventrem incumbit, ejus vita, nihil habet augusti, cum sit digna opprobrio, et fœda, et ridicula. A divina autem vita nihil

[1] Matth. VII, 7, 8.

rum, et propriis frui, si Filium servet. Hoc quoque adest, ut nullam sentiat indigentiam. Hic noster Logos fungens munere Pædagogi, dat nobis divitias; nec ditescere ulla est invidia iis qui per ipsum id possident, ut nullius egeant. Qui has habet divitias, hæres regni Dei fiet.

CAPUT VIII.

Quod similitudines et exempla sint rectæ doctrinæ pars maxima.

Si quis autem vestrum delicias perpetuo fugerit, a frugalitate eductus, involuntarios labores facilius sustinere meditabitur, voluntarias afflictiones pro persecutionum perpetuis habens exercitiis; ut cum ad necessarios venerit labores, et dolores ac metus, ad eos tolerandos non sit inexercitatus. Et ideo patriam non habemus in terra, ut possessiones terrenas contemnamus. Est itaque ditissima frugalitas, ut quæ par sit sumptibus non deficientibus, qui in ea in quæ oportet, et quantum oportet, impendendi sunt. Nam τέλη sunt sumptus. Et quomodo oporteat quidem uxorem simul cum marito vivere, et de ministrando sibi, et de domus administratione, et usu famulorum, præterea etiam de tempore matrimonii, et de iis quæ ad mulieres pertinent, superius disseruimus in sermone de nuptiis. Quæ autem ad pædagogicam institutionem pertinent, ea nunc nobis adumbranda restant, christianam vitam delineantibus. Et plurima quidem jam dicta, et in formam pædagogicæ institutionis redacta sunt. Quod autem restat, subjiciemus. Neque enim parvi ad salutem momenti sunt exempla. *Ulyssis uxorem vide*, ait Tragœdia,

Non eam letho dedit
Telemachus, ut quæ non superduxit viro
Virum, at cubile castum in ædibus colit.

Flagitiosum exprobrans adulterium, pulchram temperantiæ imaginem ostendit, in maritum amorem. Ilotas autem (servorum nomen sunt Ilotes) Lacedæmonii cogentes inebriari, sibiipsis sobriis ea quæ faciebat ebrietas, ut hoc quasi remedii loco sibi esset, et ad vitæ emendationem conduceret, ostendebant. Observantes ergo illorum turpitudinem, docebantur ne in idem quod damnabant vitium inciderent, ex ebriorum probro hoc consequentes, quod ipsi non peccarent. Ex hominibus enim alii quidem aliorum edocti exemplis servantur : alii vero sua sponte virtutem vel amplecti solent, vel quærere.

Optimus ille quidem est, qui percipit omnia per se :

Ipse est Abraham, qui Deum quæsivit.

Is bonus est rursus, qui paret recta monenti :

Hi sunt discipuli, qui Logo crediderunt : et ideo ille quidem appellatus est *amicus* [1], illi autem Apostoli : unum et eumdem Deum ille quidem magna cura et studio inquirens, hi vero prædicantes : sunt autem ambo, populi. Horum autem amborum auditores, ille quidem per inquisitionem commodum consecutus est, hic vero salvus evasit per inventionem.

Sed qui nec per se sapit, et cum recta monetur
Non tamen ad mentem revocat, vir inutilis ille est :

Populus alius est gentilis, inutilis : hic est populus qui Christum non sequitur. Multis tamen modis juvans Pædagogus, qui est hominibus benignus, alia suadet, alia exprobrat. Jam vero aliis quoque peccantibus, eorum nobis ostendit turpitudinem, et quod eam consequitur supplicium, simulque et alliciens, et admonens, hoc consilio ut nos a vitio averteret, ea quæ illis evenerunt clementissime ob oculos ponens. Per quas imagines manifeste iis qui male affecti

[1] Jac. II, 23.

erant, remedium attulit; eos vero qui iis similia audebant prohibuit : alios ad tolerantiam fundavit : alios a vitio repressit : alios vero etiam curavit, per contemplationem ejus quod est simile, traducendo ad id quod est melius. Quis enim quempiam in via sequens, non caverit, si prior in fossam ceciderit, ut devitet periculum, peccatum sequi declinans? Quis vero athleta, qui viam quæ ad gloriam ducit didicerit, aliumque viderit athletam, qui eum præcessit, præmium habuisse, non contendit ad coronam, ipsum priorem imitans? Multæ sunt ejusmodi similitudines divinæ sapientiæ. Unius autem exempli meminero, et paucis exponam. Id quod accidit Sodomitis, fuit quidem iis qui scelus admiserant judicium; pædagogica autem institutio iis qui audiverint. Sodomitæ cum per multas delicias in libidinis vitium impegissent, adulteria quidem secure committentes, puerorum autem insano amore ardentes, respexit eos Logos, qui videt omnia, quem latere non possunt qui nefaria perpetrant[1]. Neque vero eorum libidini acquievit vigilans humani generis Custos : nos autem ab illorum imitatione avertens, ad suamque moderationem et temperantiam instituens, aliquos interim invadens peccatores, ne si impunita relinqueretur impudicitia, ea frueretur nimia securitate, jussit comburi Sodoma : providi illius ignis exiguam partem effundens in intemperantiam, ne si non castigata esset eorum libido, fores nimis aperiret iis qui feruntur ad voluptatem. Fuit ergo justum Sodomorum supplicium hominibus imago, qua de adipiscenda salute recte ratiocinari discerent. Qui enim non similiter peccarint ac ii qui puniti sunt, nunquam peccatoribus similes pœnas dederint; ut qui non peccando, pœnam quoque caverint. « Volo enim vos scire, *inquit Judas*, quod Deus, qui semel servavit populum ex Ægypto, » secundo perdidit eos qui non crediderunt; et Angelos

[1] Genes. xv.

» qui non custodierunt suum imperium, sed reliquerunt proprium habitaculum, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine agrestium angelorum custodiit[1]. » Et paulo post eorum qui judicantur imagines admodum ad docendum apposite explicat : « Væ eis, quod in via Cain ambulaverunt, et in terrore Balaam effusi sunt, et in contradictione Core perierunt[2]. » Eos enim qui non possunt attingere libertatem adoptionis filiorum Dei, arcet metus, ne se insolenter gerant. Ideo enim sunt minæ ac supplicia, ut timentes pœnas a peccatis abstineamus. Possum tibi narrare pœnas nimiæ ornatus cupiditatis et inanis gloriæ, non autem solius intemperantiæ ; et præterea maledicta afferre in eos qui propter divitias male sentiunt et se gerunt, in quibus Logos terrendo prohibet a maleficiis. Cæterum parcens prolixitati operis, adducam Pædagogi præcepta quæ sequuntur, ut minas prætercam.

CAPUT IX.

Quanam de causa sit balneum accedendum.

Balnei ergo (ab eo enim digressa est oratio) quatuor sunt causæ propter quas ad ipsum accedimus : vel enim causa munditiei, vel caloris, vel sanitatis, vel postremo voluptatis. Voluptatis autem causa quæ instituitur lotio, est rejicienda : impudens enim voluptas est omnino excindenda. Sumendum est autem lavacrum, mulieribus quidem mundationis causa et sanitatis; solius autem sanitatis causa, viris. Caloris vero causa lavari est superfluum, cum quod frigore collapsum est possit aliter recreari. Porro autem balnei frequentes usus vires adimunt, naturalemque roboris vehementiam relaxant : sæpe autem vi-

[1] Jud. 5, 6. — [2] Ibid. 11.

rium defectiones et deliquia inde proveniunt. Quodammodo enim corpora, non secus ac arbores, non solum ore, sed etiam iis qui per totum corpus inter lavandum aperiuntur, meatibus bibunt. Hujus autem rei est indicium, quod qui sitierint, deinde in aquas descenderint, siti remedium sæpe invenerunt. Nisi ergo ad aliquid prosit lavacrum, non oportet nos eo resolvere. Veteres ea ἀνθρωπογναφεῖα, hoc est, *fullonicas hominum officinas*, vocarunt, quoniam citius quam par erat pannosa corpora efficiunt, et ante tempus cogunt ea decoquendo consenescere, dum non secus ac in ferro, calore caro mollificatur; hinc frigidi veluti tinctura et temperatura opus habemus. Neque vero semper est lavandum, sed sive paulo fueris inanior, vel rursus paulo repletior, respuendum est balneum : sed eo certe utendum est habita ratione ætatis, corporis, et temporis anni. Non enim omnes semper, nec semper juvat, ut qui earum rerum sunt periti fatentur. Nobis autem sufficit symmetria, quam semper, ut vitæ nostræ opem ferat, advocamus. Neque enim balneo adeo utendum est, ut manus alterius egeamus adminiculo : neque vero assidue et sæpe in die lavandum est, sicut frequenter in forum ventitamus. Jam vero multos quoque habere qui perfundant, est proximos injuria afficere per delicias : et est eorum qui non intelligunt, oportere esse commune eorum qui lavantur balneum. Oportet autem maxime quidem lavare animam purgante Logo, et nonnunquam etiam corpus propter sordes quæ ei adnascuntur. Quinetiam sunt nonnunquam resolvendi labores : « Væ enim vobis, Scribæ et Pharisæi hy» pocritæ, *dicit Dominus*, quoniam similes estis sepulcris » dealbatis. Sepulcrum pulchrum apparet extrinsecus : in» tus autem plenum est mortuis ossibus, et omni immun» ditia [1]. » Et rursus dicit eisdem : « Væ vobis, quoniam

[1] Matth. XXIII, 27.

mundatis quod est extrinsecus poculi et patinæ, intus autem plena sunt immunditia : munda primum quod intus est poculi, ut sit etiam mundum quod est exterius[1]. » Optimum ergo lavacrum expurgat sordes animæ, estque spiritale : de quo dicit aperte Prophetia : « Abluit Dominus sordes filiorum et filiarum Israel, et mundabit sanguinem ex medio ipsorum[2], » sanguinem iniquitatis, et cædes Prophetarum. Purgationis autem modum subjunxit Logos, dicens : *In spiritu judicii, et in spiritu ustionis.* Quod est autem e corpore carneum, vel per solam aquam abluitur : ut fit sæpe ruri, ubi non est balneum.

CAPUT X.

Quod exercitia quoque sint diligenda iis qui vitam agunt rationi consentaneam.

Adolescentibus autem sufficit gymnasium, etiamsi adsit balneum. Etenim ut hæc viri quoque longe balneis anteferant, forte non malum fuerit; ut quæ habeant aliquid quod juvenibus confert ad sanitatem, studiumque ac laudis cupiditatem afferunt, ut non solum bonæ corporis habitudinis, sed etiam animi hilaritatis curam gerant. Quod si fiat ita, ut a rebus interim melioribus non abstrahantur, scitum est, et non inutile. Neque vero hic sunt abducendæ mulieres a labore corporis : sed non ad luctam et cursum exhortandæ sunt; verum in lana et tela sunt exercendæ, et ut pistrici adsint, si opus sit. Præterea autem suas per se uxores oportet ex penu afferre ea quibus opus habemus : et neque eis ad pistrinum accedere turpe est : sed neque in coquendo obsonio versari, ut id fiat marito gratum, mulieri domus custodi et auxiliatrici est

[1] Matth. XXIII, 25, 26. — [2] Isai. IV, 4.

dedecus. Jam vero, si et per se vestes stragulas excusserit, et sitienti marito potum præbuerit, cibumque apposuerit honestissime, seque ad moderatam sanitatem ita exercuerit, talem mulierem suscipit Pædagogus, quæ « cubitos extendit ad ea quæ sunt utilia, manus suas colo fulcit, easdemque pauperi aperit, carpum vero mendico porrigit[1], » nec, quod præcipuum est ministerium, ad imitationem Saræ viatoribus succurrere erubescit : dixit enim ei Abraham: « Festina, et commisce tres mensuras similæ, et fac subcineritios[2]. Rachel autem, filia Laban, veniebat, *inquit,* » cum ovibus patris sui[3]. » Nec ea suffecerunt, sed docens quam omni esset fastu aliena, subjunxit: « Ipsa enim pascebat oves patris sui. » Alia nobis innumerabilia præbent Scripturæ exempla frugalitatis, ministerii, et etiam exercitii. Ex viris autem, alii quidem nudi luctentur : alii vero parvo quoque globo ludant, præcipue eo ludo quem phaeninda dicunt, in sole. Aliis vero sufficit deambulatio rus euntibus, vel in urbem descendentibus. Quod si etiam ligonem tractaverint, non est hæc illiberalis quæstus œconomici accessio ad agricolam pertinentis exercitii. Cæterum oblitus sum propemodum dicere, quod Pittacus ille, rex Mitylenæorum, molebat, acri utens exercitio. Pulchrum est autem etiam aquam per se haurire, et ligna scindere quibus sit usurus. *Jacob*[4] autem pascebat oves Laban, quæ relictæ fuerant, regale habens signum, *virgam styracinam,* quæ per lignum meditabatur naturam mutare in melius. Multis quoque, quæ alta fit voce, lectio est exercitium. Jam vero lucta quoque, quam admisimus, non assumatur gratia inutilis contentionis et vanæ gloriæ cupiditatis, sed ut viriles excernantur sudores. Nec vero laborandum est in ostentando ea in re artificio, sed recta lucta certandum est, collorum, manuum, laterum explicatione et motu. Est enim

[1] Prov. xxxi, 19, 20. — [2] Genes. xviii, 6. — [3] Id. xix, 9. — [4] Id. xxx, 37.

ionestior et virilior, quæ cum decoro robore fit hoc modo xercitatio, quæ utilis et conducibilis sanitatis gratia assuitur. Reliquæ sunt aliæ, quæ gymnasticæ non liberalium itæ studiorum meditationem profitentur. Modus autem est biique attendendus. Quemadmodum enim est optimum ut ibores cibos præcedant : ita supra modum laborare, est et essimum, et molestum, et morborum causa. Neque ergo portet esse omnino otiosum, neque penitus labore fatigam. Sicut enim de alimento diximus, ita etiam dicendum st ubique in omnibus. Non ad voluptatem luxuriosamue rationem vita agenda est : nec rursus ad contrariam t quæ nullum habeat temperamentum, sed eam quæ nter hæc medium locum obtinet, estque temperata, ac noderata, et pura ab utroque vitio, deliciarum scilicet t parcitatis. Jam vero, sicut etiam ante diximus, sibi ipsi ufficere, est exercitium a fastu alienum : ut, exempli graia, quis ipsi sibi calceos induat, pedes lavet, oleo unctum onfricet. Porro autem ei quoque qui fricavit mutuam lare operam, id quoque est communicativæ justitiæ exeritium : et dormire juxta amicum ægrotantem; et impotenti ninistrare; et egenti ea quæ sunt necessaria apponere. *Et apposuit* eis, inquit, tribus Abraham prandium *sub rbore*, et *astitit eis* comedentibus [1]. Piscatio quoque, uemadmodum *Petro* [2], si nobis superfuerit a necessariis Logi disciplinis otium. Hæc est autem melior piscatio, uam Dominus largitus est discipulo, qui tanquam pisces n aqua, *homines piscari* docuit [3].

[1] Genes. XVIII, 8. — [2] Joan. XXI, 3. — [3] Matth. IV, 18, 19.

dedecus. Jam vero, si et per se vestes stragulas excusserit, et sitienti marito potum præbuerit, cibumque apposuerit honestissime, seque ad moderatam sanitatem ita exercuerit, talem mulierem suscipit Pædagogus, quæ « cubitos extendit ad ea quæ sunt utilia, manus suas colo fulcit, easdemque pauperi aperit, carpum vero mendico porrigit[1], » nec, quod præcipuum est ministerium, ad imitationem Saræ viatoribus succurrere erubescit : dixit enim ei Abraham: « Festina, et commisce tres mensuras similæ, et fac subcineritios[2]. Rachel autem, filia Laban, veniebat, *inquit*, » cum ovibus patris sui[3]. » Nec ea suffecerunt, sed docens quam omni esset fastu aliena, subjunxit: « Ipsa enim pascebat oves patris sui. » Alia nobis innumerabilia præbent Scripturæ exempla frugalitatis, ministerii, et etiam exercitii. Ex viris autem, alii quidem nudi luctentur : alii vero parvo quoque globo ludant, præcipue eo ludo quem pheninda dicunt, in sole. Aliis vero sufficit deambulatio rus euntibus, vel in urbem descendentibus. Quod si etiam ligonem tractaverint, non est hæc illiberalis quæstus œconomici accessio ad agricolam pertinentis exercitii. Cæterum oblitus sum propemodum dicere, quod Pittacus ille, rex Mitylenæorum, molebat, acri utens exercitio. Pulchrum est autem etiam aquam per se haurire, et ligna scindere quibus sit usurus. *Jacob*[4] autem pascebat oves Laban, quæ relictæ fuerant, regale habens signum, *virgam styracinam*, quæ per lignum meditabatur naturam mutare in melius. Multis quoque, quæ alta fit voce, lectio est exercitium. Jam vero lucta quoque, quam admisimus, non assumatur gratia inutilis contentionis et vanæ gloriæ cupiditatis, sed ut viriles excernantur sudores. Nec vero laborandum est in ostentando ea in re artificio, sed recta lucta certandum est, collorum, manuum, laterum explicatione et motu. Est enim

[1] Prov. xxxi, 19, 20. — [2] Genes. xviii, 6. — [3] Id. xix, 9. — [4] Id. xxx, 37.

onestior et virilior, quæ cum decoro robore fit hoc modo xercitatio, quæ utilis et conducibilis sanitatis gratia assuitur. Reliquæ sunt aliæ, quæ gymnasticæ non liberalium itæ studiorum meditationem profitentur. Modus autem est biique attendendus. Quemadmodum enim est optimum ut ibores cibos præcedant : ita supra modum laborare, est et essimum, et molestum, et morborum causa. Neque ergo portet esse omnino otiosum, neque penitus labore fatigam. Sicut enim de alimento diximus, ita etiam dicendum st ubique in omnibus. Non ad voluptatem luxuriosamue rationem vita agenda est : nec rursus ad contrariam t quæ nullum habeat temperamentum, sed eam quæ nter hæc medium locum obtinet, estque temperata, ac noderata, et pura ab utroque vitio, deliciarum scilicet t parcitatis. Jam vero, sicut etiam ante diximus, sibi ipsi ufficere, est exercitium a fastu alienum : ut, exempli gratia, quis ipsi sibi calceos induat, pedes lavet, oleo unctum onfricet. Porro autem ei quoque qui fricavit mutuam lare operam, id quoque est communicativæ justitiæ exeritium : et dormire juxta amicum ægrotantem ; et impotenti ninistrare ; et egenti ea quæ sunt necessaria apponere. *Et apposuit* eis, inquit, tribus Abraham prandium *sub rbore*, et *astitit eis* comedentibus [1]. Piscatio quoque, uemadmodum *Petro* [2], si nobis superfuerit a necessariis ogi disciplinis otium. Hæc est autem melior piscatio, uam Dominus largitus est discipulo, qui tanquam pisces n aqua, *homines piscari* docuit [3].

[1] Genes. XVIII, 8. — [2] Joan. XXI, 3. — [3] Matth. IV, 18, 19.

CAPUT XI.

Compendiosa optimæ vitæ pertractatio.

Quocirca et aurum gestare, et molliori uti veste, non omnino rescindendum est: sed frænandæ sunt rationis expertes affectiones, ne per nimiam dissolutionem abripientes, ad mollem nos ac luxuriosam vitam impellant. Quæ enim in satietatem impegerunt deliciæ, mirandum in modum exultant, et resistunt, aurigamque et pædagogum excutiunt, qui procul habenas retinens, equum humanum fert et agit ad salutem: animæ scilicet partem a ratione alienam, quæ in voluptates, et vituperandas appetitiones, et gemmas, et aurum, et vestem variam, reliquumque luxum effertur. Illud autem memoria maxime tenendum est, quod sancte dictum est: « Conversationem vestram in gentibus » habentes honestam, ut in quo de vobis male loquuntur, tanquam maleficis, ex honestis operibus suspicientes Deum glorificent[1]. » Nobis ergo concedit Pædagogus frugali veste uti, albo colore, ut diximus: ut non arti variegantі, sed naturæ generanti, nos accommodantes, quidquid est fallax et veritatem ementitur repellentes, simplicem et uniusmodi veritatem amplectamur. Nimis delicatam adolescentulam reprehendens Sophocles, dicit:

Quæ fœminarum sunt amictæ vestibus.

Quemadmodum enim militis, et nautæ, et principis, ita etiam viri temperantis est propria vestis, quæ non est curiose elaborata, et est decora ac munda. Unde etiam quæ in Lege per Mosen de *lepra* lata est lex, rejicit id quod est varium et multis maculis notatum, tanquam nefarium, ut quod sit serpentis variiss quamis simile[2]. Eum ergo qui va-

[1] 1 Pet. II, 12. — [2] Levit. VIII.

ietate colorum minime efflorescit, totus autem a vertice apitis usque ad extremos pedes est candidus, mundum se vult; ut a corpore transientes, varia ac versipelli nentis affectione deposita, eum qui non est varius nec an-ceps, simplicem veritatis colorem diligamus. Qui autem n hoc quoque Mosis est imitator, longe optimus Plato, il-lam *texturam* admittit, « cui non amplius operis est ad-hibitum quam pudica mulier postulet. Albi vero colores honestati conveniunt. » Alibi quoque dicit : « Et in textura non adhibere tincturas præterquam ad ornamenta belli. » Pacificis ergo hominibus et lucidis album convenit. Quem-admodum ergo signa, quæ quidem ad causas proxime acce-dunt, si adsunt, ipsas præsentes significant; vel potius ef-fecti existentiam monstrant; quemadmodum fumus ignem, bonus autem color bonusque pulsus sanitatem : ita etiam apud nos hujusmodi amictus indicat qualis sit nostrorum morum constitutio. Pura autem est et simplex temperan-tia, quoniam munditia est habitus puram vitæ rationem præparans, et minime mixtam turpibus. Simplicitas autem est habitus qui tollit superflua. Solida autem vestis, et præcipue quæ fullonem experta non est, protegit calidum quod est in corpore : non quod in se vestis habeat calidita-tem, sed quod eam quæ est in corpore exeuntem revocet, et ei non præbeat exitum : quod si etiam aliqua in eam forte inciderit, ipsam in se comprehensam continet, et ab ipsa excalefacta corpus vicissim calefacit : quapropter hieme ea maxime utendum est. Ea autem est facilis. Facilitas au-tem est habitus ab iis quæ sunt superflua alienus, qui ad hoc ut nihil desit, suscipit ea quæ sufficiunt ad numerum eorum quæ pertinent ad sanitatem, et ad beatam vitam. Porro autem utatur etiam fœmina veste frugali et honesta; magis autem molli quam viro conveniat, sed non quæ pu-dorem omnino abjecerit, nec plane mollitie diffluat. Con-

gruunt autem vestes ætati, personæ, figuris, naturæ, studiis. Pulcherrime enim nobis præcipit divinus Apostolus, « ut Jesum Christum induamus, et ne carnis curam geramus in desideriis[1]. » Prohibet autem Logos, ne auriculas sauciemus, vim naturæ afferentes. Cur non enim illud narem? ut illud etiam impleatur quod dictum est: « Quemadmodum inauris in nare suis, ita improbæ fœminæ pulchritudo[2]. » In summa enim, si quis auro se ornari existimet, is est auro inferior: qui autem est auro inferior, is non est ejus dominus. Se autem Lydio ramento minus esse honestum et inferiorem fateri, quomodo non est absurdissimum? Quemadmodum ergo polluitur aurum suis immunditiis cœnum rostro suo conturbantis; ita quæ sunt luxui deditæ mulieres, si a nimiis copiis incitentur ad libidinem et impudicitiam, veram pulchritudinem inquinamentis veneris polluunt. Dat ergo eis annulum aureum, nec eum quidem ad ornatum, sed ut ea obsignet quæ domi digna sunt quæ custodiantur, propterea quod servandæ domus ad eam cura pertinet. Si enim rectam Pædagogi institutionem omnes probe sequerentur, nihil opus esset signaculis, cum omnes essent ex æquo justi et servi et domini: sed quoniam homines doctrinæ expertes sunt ad injurias faciendas propensiores, fuit opus sigillis. Sed nonnunquam etiam ab illa severitate est aliquid remittendum: nonnunquam etiam concedendum est illis quæ in conjugem minus continentem inciderunt, ornari, ut marito suo placeant. Hic autem eis constituatur terminus, ut a solis suis maritis laudari, eis placere ambiant. Atque ego quidem nollem eas corporum exercere decorem, sed eos quibus nupserunt pudico amore delinire, qui quidem est validum et justum medicamentum: sed quoniam ii volunt esse misera et infelici anima, propositum ipsis sit, si pudicæ esse velint, a ratione

[1] Rom. XIII, 14. — [2] Prov. XI, 22.

lenas maritorum cupiditates paulatim sedare. Ipsi autem ad frugalitatem sensim sunt inducendi, paulatim assuefaciendo ei, quod est temperatius. Honestas enim non ejus quod est putidum et importunum adjectione, sed ejus quod est supervacaneum detractione accedit. Ea ergo quæ a fœminis ad luxum comparantur, ab eis tanquam pennæ detrahenda sunt; ut quæ instabilem insolentiam inanesque voluptates procreent, quibus excitatæ et quodammodo alatæ, sæpe a matrimoniis avolant. Quocirca fœminæ honeste ornandæ, et pudico pudore constringendæ sunt, ne a veritate per insolentiam diffluant. Atque honestum quidem est, ut viri uxoribus suis fidem habentes, eis domus custodiam permittant, ut quæ eis ad id opitulatrices datæ sint. Quod si oporteat nos quoque, dum rempublicam gerimus, et in agris etiam alia opera exercemus, et sæpe etiam absumus sine uxoribus, nonnulla ut sint tutiora obsignare, dat nobis quoque unum ad hoc signaculum: alii autem sunt abjiciendi annuli. Ut vult enim Scriptura, « Aureus prudenti mundus est disciplina [1]. » Quæ aurum autem gestant mulieres, mihi videntur timere ne, si quis aurum ab eis abstulerit, existimentur ancillæ, cum non sint ornatæ. Nobilitas autem veritatis, quæ nativa animæ pulchritudine judicatur, non emptione et venditione, sed illiberali mente servum discrevit. Nobis autem non videri, sed esse liberos convenit, qui a Deo quidem instituti, et a Deo adoptati sumus. Et ideo et status, et motus, et incessus, et vestitus, et universa, ut semel dicam, vita est quam maxime libera suscipienda. Sed neque est a viris annulus in articulo ferendus; hoc enim est muliebre : sed in parvo digito, atque adeo in extrema ejus parte est collocandus : ita enim erit manus maxime ad operandum expedita in iis in quibus ea egemus; neque facile excidet sigillum, quod majore ar-

[1] Eccli. XXI, 21.

ticuli ligamento custoditur. Sint autem nobis signacula, columba, vel piscis, vel navis quæ celeri cursu a vento fertur, vel lyra musica qua usus est Polycrates, vel anchora nautica quam insculpebat Seleucus : et si sit aliquis qui piscetur, meminerit Apostoli, et puerorum qui ex aqua extrahuntur. Neque enim idolorum sunt imprimendæ facies, quibus etiam adhærere prohibitum est : sed nec ensis, vel arcus, iis qui pacem persequuntur; nec pocula iis qui sunt temperantes. Multi autem lididinosi nudatos habent amasios, vel amicas, ut ne, si velint quidem, amatorias ex animo deponere perturbationes possint, quod libido eis perpetuo in mentem revocetur. De pilis autem ita videtur : Virorum quidem caput sit rarum, nisi forte pilos crispos habeat: barba autem, hirsuta. Intorti autem capilli ne a capite nimium demittantur, in comam muliebrem dilabentes; viris enim barba sufficit. Quod si quis etiam barbam nonnihil tondeat, ea tamen non est omnino denudanda; est enim turpe spectaculum : barbæque ad cutem usque tonsura non videtur multum abesse a vulsione et lævore. Statim enim ecce Psalmographus barbæ coma delectatus, « Sicut unguentum, *inquit,* quod descendit in barbam, barbam Aaron [1]. » Is cum *barbæ* conduplicatione decorem laudasset, vultum exhilaravit unguento Domini. Quoniam autem non decoris gratia tonsura, sed propter alias necessitates assumitur, pili quidem capitis, ne, si aucti fuerint, descendentes visum impediant, et forte qui in superiori labri parte inter comedendum polluuntur, tondendi sunt, non novacula, est enim illiberale, sed duabus tonsorum forficibus: barbæ autem pili, qui nihil molestiæ afferunt, non sunt vexandi, ut qui vultui gravitatem afferant, et quemdam paternum terrorem incutiant. Porro autem multos quoque docet non peccare corporis habitus, quod inde facile de-

[1] Psal. CXXXIII, 2.

prehendantur. Iis autem qui nolunt aperte peccare, occultus habitus et non insignis est gratissimus. Quod veriti ii quibus licet peccare, propterea quod non cognoscantur, multis assimilati ut secure possent peccare consecuti sunt. Non solum ergo severum virum ostendit capillorum raritas, sed etiam efficit ut minus facile lædatur cranium, cum et frigori et æstui ipsum assuefaciat, et incommoda quæ ab eis proficiscuntur repellat, quæ quidem coma instar spongiæ in seipsam recipiens, perpetuam ex humore noxam cerebro infligit. Mulieribus autem crines mollire sufficit, et tenui aliqua fibula comam juxta collum alligare frugaliter, simplici cultura pudicas comas in germanam pulchritudinem alentibus. Meretricii enim capillorum plexus, et catenarum nexus cum eas deformes reddunt, tum etiam pilos discerpunt, artificiosis texturis evellentes : quibus etiam fit ut ne sua quidem tangant capita, ne capillos confundant pertimescentes. Quinetiam non sine metu eas invadit somnus, dum timent ne texturæ figuram imprudentes conturbent. Alienorum autem capillorum appositiones sunt omnino rejiciendæ, et externas comas capiti adhibere est maxime impium, quo fit ut mortuis pilis cranium induant. Cui enim manum imponit presbyter? cui autem benedicet? Non mulieri quæ est ornata, sed alienis capillis, et per ipsos alii capiti. Si autem « mulieris *quidem* caput est vir, viri autem caput est Christus[1] : » quomodo non est impium eas in duplex peccatum incidere? Per immodicam enim comam viros decipiunt : Dominum autem, quantum in ipsis est, dedecore afficiunt, dum meretricie ornantur in fraudem veritatis, et caput, quod vere pulchrum est, infamant. Nec ergo pili sunt tingendi, nec canis color mutandus. Neque enim vestem variare concessum est : et maxime abest ut senilis ætas, quæ venerationem et auctoritatem conciliare apta

[1] 1 Cor. xi, 3.

gruant autem vestes ætati, personæ, figuris, naturæ, stu-
diis. Pulcherrime enim nobis præcipit divinus Apostolus;
« ut Jesum Christum induamus, et ne carnis curam gera-
» mus in desideriis [1]. » Prohibet autem Logos, ne auriculas
sauciemus, vim naturæ afferentes. Cur non enim itidem
narem? ut illud etiam impleatur quod dictum est: « Quem-
» admodum inauris in nare suis, ita improbæ fœminæ pul-
» chritudo [2]. » In summa enim, si quis auro se ornari existi-
met, is est auro inferior: qui autem est auro inferior, is
non est ejus dominus. Se autem Lydio ramento minus esse
honestum et inferiorem fateri, quomodo non est absurdis-
simum? Quemadmodum ergo polluitur aurum suis immun-
ditiis cœnum rostro suo conturbantis; ita quæ sunt luxui
deditæ mulieres, si a nimiis copiis incitentur ad libidinem
et impudicitiam, veram pulchritudinem inquinamentis ve-
neris polluunt. Dat ergo eis annulum aureum, nec eum qui-
dem ad ornatum, sed ut ea obsignet quæ domi digna sunt
quæ custodiantur, propterea quod servandæ domus ad eas
cura pertinet. Si enim rectam Pædagogi institutionem om-
nes probe sequerentur, nihil opus esset signaculis, cum
omnes essent ex æquo justi et servi et domini: sed quo-
niam homines doctrinæ expertes sunt ad injurias faciendas
propensiores, fuit opus sigillis. Sed nonnunquam etiam ab
illa severitate est aliquid remittendum: nonnunquam enim
concedendum est illis quæ in conjugem minus continen-
tem incidunt, ornari, ut marito suo placeant. Hic autem
eis constituatur terminus, ut a solis suis maritis laudari, et
eis placere ambiant. Atque ego quidem nollem eas cor-
poreum exercere decorem, sed eos quibus nupserunt pu-
dico amore delinire, qui quidem est validum et justum me-
dicamentum: sed quoniam ii volunt esse misera et infelici
anima, propositum ipsis sit, si pudicæ esse velint, a ratio-

[1] Rom. XIII, 14. — [2] Prov. XI, 22.

alienas maritorum cupiditates paulatim sedare. Ipsi autem ad frugalitatem sensim sunt inducendi, paulatim assuefaciendo ei, quod est temperatius. Honestas enim non ejus quod est putidum et importunum adjectione, sed ejus quod est supervacaneum detractione accedit. Ea ergo quæ a fœminis ad luxum comparantur, ab eis tanquam pennæ detrahenda sunt; ut quæ instabilem insolentiam inanesque voluptates procreent, quibus excitatæ et quodammodo alatæ, sæpe a matrimoniis avolant. Quocirca fœminæ honeste ornandæ, et pudico pudore constringendæ sunt, ne a veritate per insolentiam diffluant. Atque honestum quidem est, ut viri uxoribus suis fidem habentes, eis domus custodiam permittant, ut quæ eis ad id opitulatrices datæ sunt. Quod si oporteat nos quoque, dum rempublicam gerimus, et in agris etiam alia opera exercemus, et sæpe etiam sumus sine uxoribus, nonnulla ut sint tutiora obsignare, dat nobis quoque unum ad hoc signaculum : alii autem sunt abjiciendi annuli. Ut vult enim Scriptura, « Aureus prudenti mundus est disciplina [1]. » Quæ aurum autem gestant mulieres, mihi videntur timere ne, si quis aurum ab iis abstulerit, existimentur ancillæ, cum non sint ornatæ. Nobilitas autem veritatis, quæ nativa animæ pulchritudine dijudicatur, non emptione et venditione, sed illiberali statе servum discrevit. Nobis autem non videri, sed esse liberos convenit, qui a Deo quidem instituti, et a Deo adoptati sumus. Et ideo et status, et motus, et incessus, et vestitus, et universa, ut semel dicam, vita est quam maxime libera suscipienda. Sed neque est a viris annulus in articulo ferendus; hoc enim est muliebre : sed in parvo digito, atque adeo in extrema ejus parte est collocandus : ita enim erit manus maxime ad operandum expedita in iis in quibus egemus; neque facile excidet sigillum, quod majore ar-

[1] Eccli. xxi, 21.

ticuli ligamento custoditur. Sint autem nobis signacula, columba, vel piscis, vel navis quæ celeri cursu a vento fertur, vel lyra musica qua usus est Polycrates, vel anchora nautica quam insculpebat Seleucus : et si sit aliquis qui piscetur, meminerit Apostoli, et puerorum qui ex aqua extrahuntur. Neque enim idolorum sunt imprimendæ facies, quibus etiam adhærere prohibitum est : sed nec ensis, vel arcus, iis qui pacem persequuntur; nec pocula iis qui sunt temperantes. Multi autem lididinosi nudatos habent amasios, vel amicas, ut ne, si velint quidem, amatorias ex animo deponere perturbationes possint, quod libido eis perpetuo in mentem revocetur. De pilis autem ita videtur : Virorum quidem caput sit rarum, nisi forte pilos crispos habeat: barba autem, hirsuta. Intorti autem capilli ne a capite nimium demittantur, in comam muliebrem dilabentes; viris enim barba sufficit. Quod si quis etiam barbam nonnihil tondeat, ea tamen non est omnino denudanda; est enim turpe spectaculum : barbæque ad cutem usque tonsura non videtur multum abesse a vulsione et lævore. Statim enim ecce Psalmographus barbæ coma delectatus, « Sicut unguentum, *inquit*, quod descendit in barbam, barbam Aaron [1]. » Is cum *barbæ* conduplicatione decorem laudasset, vultum exhilaravit unguento Domini. Quoniam autem non decoris gratia tonsura, sed propter alias necessitates assumitur, pili quidem capitis, ne, si aucti fuerint, descendentes visum impediant, et forte qui in superiori labri parte inter comedendum polluuntur, tondendi sunt, non novacula, est enim illiberale, sed duabus tonsorum forficibus: barbæ autem pili, qui nihil molestiæ afferunt, non sunt vexandi, ut qui vultui gravitatem afferant, et quemdam paternum terrorem incutiant. Porro autem multos quoque docet non peccare corporis habitus, quod inde facile d[...]

[1] Psal. CXXXIII, 2.

prehendantur. Iis autem qui nolunt aperte peccare, occultus habitus et non insignis est gratissimus. Quod veriti ii quibus licet peccare, propterea quod non cognoscantur, multis assimilati ut secure possent peccare consecuti sunt. Non solum ergo severum virum ostendit capillorum raritas, sed etiam efficit ut minus facile lædatur cranium, cum et frigori et æstui ipsum assuefaciat, et incommoda quæ ab eis proficiscuntur repellat, quæ quidem coma instar spongiæ in seipsam recipiens, perpetuam ex humore noxam cerebro infligit. Mulieribus autem crines mollire sufficit, et tenui aliqua fibula comam juxta collum alligare frugaliter, simplici cultura pudicas comas in germanam pulchritudinem alentibus. Meretricii enim capillorum plexus, et catenarum nexus cum eas deformes reddunt, tum etiam pilos discerpunt, artificiosis texturis evellentes : quibus etiam fit ut ne sua quidem tangant capita, ne capillos confundant pertimescentes. Quinetiam non sine metu eas invadit somnus, dum timent ne texturæ figuram imprudentes conturbent. Alienorum autem capillorum appositiones sunt omnino rejiciendæ, et externas comas capiti adhibere est maxime impium, quo fit ut mortuis pilis cranium induant. Cui enim manum imponit presbyter ? cui autem benedicet ? Non mulieri quæ est ornata, sed alienis capillis, et per ipsos alii capiti. Si autem « mulieris *quidem* caput est vir, viri autem caput est Christus[1] : » quomodo non est impium eas in duplex peccatum incidere ? Per immodicam enim comam viros decipiunt : Dominum autem, quantum in ipsis est, dedecore afficiunt, dum meretricie ornantur in fraudem veritatis, et caput, quod vere pulchrum est, infamant. Nec ergo pili sunt tingendi, nec canis color mutandus. Neque enim vestem variare concessum est : et maxime abest ut senilis ætas, quæ venerationem et auctoritatem conciliare apta

[1] 1 Cor. xi, 3.

gruant autem vestes ætati, personæ, figuris, naturæ, studiis. Pulcherrime enim nobis præcipit divinus Apostolus, « ut Jesum Christum induamus, et ne carnis curam gera-» mus in desideriis[1]. » Prohibet autem Logos, ne auriculas sauciemus, vim naturæ afferentes. Cur non enim itidem narem? ut illud etiam impleatur quod dictum est : « Quem-» admodum inauris in nare suis, ita improbæ fœminæ pul-» chritudo[2]. » In summa enim, si quis auro se ornari existimet, is est auro inferior : qui autem est auro inferior, is non est ejus dominus. Se autem Lydio ramento minus esse honestum et inferiorem fateri, quomodo non est absurdissimum? Quemadmodum ergo polluitur aurum suis immunditiis cœnum rostro suo conturbantis; ita quæ sunt luxui deditæ mulieres, si a nimiis copiis incitentur ad libidinem et impudicitiam, veram pulchritudinem inquinamentis veneris polluunt. Dat ergo eis annulum aureum, nec eum quidem ad ornatum, sed ut ea obsignet quæ domi digna sunt quæ custodiantur, propterea quod servandæ domus ad eam cura pertinet. Si enim rectam Pædagogi institutionem omnes probe sequerentur, nihil opus esset signaculis, cum omnes essent ex æquo justi et servi et domini : sed quoniam homines doctrinæ expertes sunt ad injurias faciendas propensiores, fuit opus sigillis. Sed nonnunquam etiam de illa severitate est aliquid remittendum : nonnunquam enim concedendum est illis quæ in conjugem minus continentem incidunt, ornari, ut marito suo placeant. Hic autem eis constituatur terminus, ut a solis suis maritis laudari, et eis placere ambiant. Atque ego quidem nollem eas corporeum exercere decorem, sed eos quibus nupserunt pudico amore delinire, qui quidem est validum et justum medicamentum : sed quoniam ii volunt esse misera et infelici anima, propositum ipsis sit, si pudicæ esse velint, a ratione

[1] Rom. XIII, 14. — [2] Prov. XI, 22.

alienas maritorum cupiditates paulatim sedare. Ipsi autem ad frugalitatem sensim sunt inducendi, paulatim assuefaciendo ei, quod est temperatius. Honestas enim non ejus quod est putidum et importunum adjectione, sed ejus quod est supervacaneum detractione accedit. Ea ergo quæ a fœminis ad luxum comparantur, ab eis tanquam pennæ detrahenda sunt; ut quæ instabilem insolentiam inanesque voluptates procreent, quibus excitatæ et quodammodo alatæ, sæpe a matrimoniis avolant. Quocirca fœminæ honeste ornandæ, et pudico pudore constringendæ sunt, ne a veritate per insolentiam diffluant. Atque honestum quidem est, ut viri uxoribus suis fidem habentes, eis domus custodiam permittant, ut quæ eis ad id opitulatrices datæ sunt. Quod si oporteat nos quoque, dum rempublicam gerimus, et in agris etiam alia opera exercemus, et sæpe etiam sumus sine uxoribus, nonnulla ut sint tutiora obsignare, dat nobis quoque unum ad hoc signaculum: alii autem sunt abjiciendi annuli. Ut vult enim Scriptura, « Aureus pru» denti mundus est disciplina [1]. » Quæ aurum autem gestant mulieres, mihi videntur timere ne, si quis aurum ab eis abstulerit, existimentur ancillæ, cum non sint ornatæ. Nobilitas autem veritatis, quæ nativa animæ pulchritudine dijudicatur, non emptione et venditione, sed illiberali mente servum discrevit. Nobis autem non videri, sed esse liberos convenit, qui a Deo quidem instituti, et a Deo adoptati sumus. Et ideo et status, et motus, et incessus, et vestitus, et universa, ut semel dicam, vita est quam maxime libera suscipienda. Sed neque est a viris annulus in articulo ferendus; hoc enim est muliebre: sed in parvo digito, atque adeo in extrema ejus parte est collocandus: ita enim erit manus maxime ad operandum expedita in iis in quibus ea egemus; neque facile excidet sigillum, quod majore ar-

[1] Eccli. xxi, 21.

ticuli ligamento custoditur. Sint autem nobis signacula, columba, vel piscis, vel navis quæ celeri cursu a vento fertur, vel lyra musica qua usus est Polycrates, vel anchora nautica quam insculpebat Seleucus : et si sit aliquis qui piscetur, meminerit Apostoli, et puerorum qui ex aqua extrahuntur. Neque enim idolorum sunt imprimendæ facies, quibus etiam adhærere prohibitum est : sed nec ensis, vel arcus, iis qui pacem persequuntur; nec pocula iis qui sunt temperantes. Multi autem lididinosi nudatos habent amasios, vel amicas, ut ne, si velint quidem, amatorias ex animo deponere perturbationes possint, quod libido eis perpetuo in mentem revocetur. De pilis autem ita videtur : Virorum quidem caput sit rarum, nisi forte pilos crispos habeat : barba autem, hirsuta. Intorti autem capilli ne a capite nimium demittantur, in comam muliebrem dilabentes; viris enim barba sufficit. Quod si quis etiam barbam nonnihil tondeat, ea tamen non est omnino denudanda; est enim turpe spectaculum : barbæque ad cutem usque tonsura non videtur multum abesse a vulsione et lævore. Statim enim ecce Psalmographus barbæ coma delectatus, « Sicut unguentum, *inquit*, quod descendit in barbam, barbam Aaron [1]. » Is cum *barbæ* conduplicatione decorem laudasset, vultum exhilaravit unguento Domini. Quoniam autem non decoris gratia tonsura, sed propter alias necessitates assumitur, pili quidem capitis, ne, si aucti fuerint, descendentes visum impediant, et forte qui in superiori labri parte inter comedendum polluuntur, tondendi sunt, non novacula, est enim illiberale, sed duabus tonsorum forficibus : barbæ autem pili, qui nihil molestiæ afferunt, non sunt vexandi, ut qui vultui gravitatem afferant, et quemdam paternum terrorem incutiant. Porro autem multos quoque docet non peccare corporis habitus, quod inde facile de-

[1] Psal. CXXXIII, 2.

rehendantur. Iis autem qui nolunt aperte peccare, occultus habitus et non insignis est gratissimus. Quod veriti ii quibus licet peccare, propterea quod non cognoscantur, multis assimilati ut secure possent peccare consecuti sunt. Non solum ergo severum virum ostendit capillorum raritas, sed etiam efficit ut minus facile lædatur cranium, cum et rigori et æstui ipsum assuefaciat, et incommoda quæ ab eis proficiscuntur repellat, quæ quidem coma instar spongiæ in seipsam recipiens, perpetuam ex humore noxam cerebro affligit. Mulieribus autem crines mollire sufficit, et tenui aliqua fibula comam juxta collum alligare frugaliter, simplici cultura pudicas comas in germanam pulchritudinem augentibus. Meretricii enim capillorum plexus, et catenarum nexus cum eas deformes reddunt, tum etiam pilos discerpunt, artificiosis texturis evellentes : quibus etiam fit ut ne sua quidem tangant capita, ne capillos confundant pertimescentes. Quinetiam non sine metu eas invadit somnus, dum timent ne texturæ figuram imprudentes conturbent. Alienorum autem capillorum appositiones sunt omnino rejiciendæ, et externas comas capiti adhibere est maxime impium, quo fit ut mortuis pilis cranium induant. Cui enim manum imponit presbyter? cui autem benedicet? Non mulieri quæ est ornata, sed alienis capillis, et per ipsos alii capiti. Si autem « mulieris *quidem* caput est vir, viri autem caput est Christus[1] : » quomodo non est impium eas in duplex peccatum incidere? Per immodicam enim comam viros decipiunt : Dominum autem, quantum in ipsis est, dedecore afficiunt, dum meretricie ornantur in fraudem veritatis, et caput, quod vere pulchrum est, infamant. Nec ergo pili sunt tingendi, nec canis color mutandus. Neque enim vestem variare concessum est : et maxime abest ut senilis ætas, quæ venerationem et auctoritatem conciliare apta

[1] 1 Cor. xi, 3.

est, tegenda sit. Dei autem decus in lucem proferendum est, ut id revereantur adolescentes. Quandoque enim evenit ut, cum impudenter se gerentibus apparuisset instar pædagogi canities, eos traduxit ad modestiam, et visus fulgore juvenilem terruit et repressit cupiditatem. Sed neque vultus suos callidæ artis illecebris illinere debent. Pudicum autem eis ornatum ostendemus. Pulchritudo enim optima primum est pulchritudo animæ, ut sæpe significavimus, quando fuerit sancto Spiritu, et iis quæ ab eo oriuntur fulgoribus ornata, justitia, prudentia, fortitudine, temperantia, bonorum amore, et pudore, quo nullus color nitidior unquam visus est. Dein ornetur etiam pulchritudo corporis, apta membrorum et partium competentia cum bono colore. Hic est sanitatis aptus et appositus ornatus, per quem ficti simulacri accedit ad verum transitus, convenienter figuræ quæ a Deo data est. Ad ornandum autem secundum naturam magne prædita est artificio potus temperatura, et cibi commoderatio. Non solum enim corpus ex his sanitatem obtinet, sed etiam facit ut ex his appareat pulchritudo. Ex igneo enim, fulgor et splendor accedit : ex humido autem, nitor et gratia : ex sicco autem, virtus et stabilitas : ex aëre autem, spirandi facilitas, et par æquilibrium : ex quibus concinna et pulchra hæc Logi statua ornata est. Sanitatis autem liberalis flos est pulchritudo : sanitas enim intus operatur, exterius autem efflorescens pulchritudo, bonum colorem manifestum ostendit. Pulcherrimæ ergo et saluberrimæ vitæ agendæ rationes, corpora exercendo, germanam et firmam efficiunt pulchritudinem, dum calor in seipsum attrahit secum omnem et frigidum spiritum. Est autem caliditas apta ad se trahere, cum motu ventilatur : postquam autem attraxerit, excalefactum, paulatim per ipsas carnes exhalat nutrimenti superabundantiam, aliquanta quidem humiditate, sed insigni caliditate : et ideo prius quoque exinanitur

nutrimentum. Corpori autem immobili cibus minime adhærescit, sed excidit : quemadmodum a frigido clibano panis, vel totus, vel solum fundum relinquens. Jure ergo iis qui per exercitiorum abstersiones non excernunt, et urinæ et stercora redundant. Redundant etiam eis alia excrementa, et præterea sudores, cum alimentum minime distribuatur corpori, sed effundatur in ea quæ sunt supervacanea. Hinc etiam excitantur libidines, cum ad partes genitales moderatis motibus affluat superfluitas. Quocirca liquefacere oportet hanc superfluitatem, et eam in concoctionem effundere, per quam rubescit species. Est autem absurdum eos qui *ad Dei imaginem et similitudinem* facti sunt [1], archetypum quodammodo contemnentes, externum ornatum inducere, pravum hominum artificium Dei opificio præferentes. Jubet autem Pædagogus eas prodire « in vestitu honesto, cum pudore et modestia seipsas exornare [2], subjectas viris propriis, ut si qui verbo non pareant, per uxorum conversationem absque verbo lucrifiant. Cum viderint, *inquit*, castam vestram, quæ est in verbo, conversationem. Quarum sit, non qui est extrinsecus plicaturæ, vel auri appositionis, vel vestium indumenti ornatus : sed occultus cordis homo, in incorruptibilitate mitis et quieti spiritus, qui est coram Deo pretiosus [3]. » Mulieribus autem, ut sibi ministrent, veram et maxime germanam affert pulchritudinem, ut quod earum corpora exerceat, et ipsas per se ornet : non ab aliis laboratum mundum immundum ac illiberalem et meretricium afferens, sed mundum uniuscujusque pudicæ mulieris, qui per manus ejus, quando maxime opus fuerit, et suppeditatur et texitur. Neque enim unquam convenit iis quæ ex foro emuntur, sed propriis ac domesticis videri ornatas operibus, quæ ex Dei legibus vitam suam instituunt. Res est enim pulcherrima,

[1] Gen. I, 26. — [2] I Tim. II, 9. — [3] I Pet. III, 1, 2, 3, 4.

mulier domus custos, quæ et se et maritum propriis ornamentis induit: per quæ omnes exultant, filii quidem propter matrem, maritus autem propter uxorem, ipsa autem propter eos, omnes vero propter Deum. Ut paucis igitur dicam, « Virtutis penus est fortis mulier, quæ cibos otiosa non » comedit: eleemosynæ autem leges sunt in ore ejus: quæ » os suum sapienter et legitime aperuit. Quam beatam di- » xerunt filii surgentes, maritus autem ejus laudavit[1], » ut sanctus Logos dicit per Salomonem. « Mulier enim pia be- » nedicitur, ipsa autem laudet timorem Domini. » Et rursus: « Mulier fortis corona est marito suo[2]. » Corrigendæ autem sunt quam maxime et figuræ, et aspectus, et incessus, et voces. Non enim eas ita se gerere oportet ut nonnullæ quæ, gestus comœdiæ imitantes, et saltatorum fractos motus servantes, effœminatis motibus mollibusque ingressibus et fictis vocibus, veluti in proscenium prodeunt, scintillantibus oculis intuentes, ad inescandum voluptate instructæ. « Mel enim a labris mulieris meretricis distillat, quæ ad gra- » tiam loquens, guttur tuum impinguat. At id quidem certe » postea felle amarius invenies, et magis acutum quam gla- » dium ancipitem. Insipientiæ enim pedes deducunt eos » qui illa utuntur, post mortem, ad inferos[3]. » Generosum certe Sampsonem vicit fornicaria: et virum suum totondit alia mulier. Sed non ita decepit Joseph alia mulier[4]: victa est autem Ægyptia fornicatrix; et sumens vincula temperantiæ, potentior apparet soluta potestate. Optime autem se habere videtur id quod dictum est: « In summa, nescio » ego susurrare, neque fractus in obliquum reflexo collo » ingredi, quemadmodum alios hic cinædos multos video » in civitate, vulsosque, ac picatos. » Muliebres autem motus, luxus, et deliciæ sunt omnino arcendæ. Mollis enim in

[1] Prov. xxxi, 26, 27, 28, 30. — [2] Id. xii, 4. — [3] Id. v, 3, 4, 5. — [4] Gen. xxxix.

accendendo motus, *effœminatique incessus*, ut ait Anacreon, sunt valde meretricia. « Ut mihi videtur, *inquit Comœdia*, meretricia vestigia relinquere formam et delicias. » Fornicatoria autem « vestigia minime figuntur in veritate, vias enim vitæ non ingrediuntur : sunt autem lubricæ ac periculosæ ejus orbitæ, et quæ non sunt cognitu faciles[1]. » Porro autem oculis maxime parcendum est, quoniam melius est labi pedibus quam oculis. Dominus itaque compendiosissime medetur huic vitio : « Si te tuus, *inquiens*, scandalizat oculus, excinde eum[2], » ex imo vellens cupiditatem : lascivi autem aspectus, et versatilibus ac tanquam conniventibus oculis intueri, nihil est aliud quam oculis mœchari, cum per eos cupiditas ineat primæ pugnæ præludia. Ante totum enim corpus corrumpuntur oculi. « Honesta autem contemplans oculus, cor lætitia afficit[3] : » hoc est, qui recte contemplari didicit, lætitia afficit. « Annuens autem oculo cum dolo, viris dolores congregat[4]. » Talem utique effœminatum Sardanapalum, regem Assyriorum, in lecto pedibus sursum sublatis sedentem, purpuram carpentem, et albuginem oculorum versantem, introducunt. Quæ hæc exercent, mulieres suo intuitu sui ipsarum lenæ sunt : « Lucerna enim corporis est oculus[5], » inquit Scriptura : per quem scilicet apparent interna luce quæ cernitur illustrata. « Fornicatio autem mulieris in elevatione oculorum[6]. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, perturbationem, cupiditatem malam, et avaritiam, quæ est idolorum cultus, propter quæ venit ira Dei super filios inobedientiæ[7], » clamat Apostolus : nos autem perturbationes animi excitamus, et non erubescimus? aliæ quidem ex iis mastichen devorantes, circum-

[1] Prov. v, 5, 6. — [2] Matth. v, 29. — [3] Prov. xvi, 2. — [4] Id. x, 10. — [5] Matth. vi, 22. — [6] Eccli. xxvi, 9. — [7] Coloss. iii, 5, 6.

euntes, diductis labris arrident iis qui ad eas accedunt ; aliæ vero, perinde ac si digitos non haberent, fibulis qu ferunt, capita scalpentes, deliciantur, et ut eas vel ex tes tudine, vel elephante, vel aliquo alio animali mortuo fact habeant, magno studio procurant : aliæ autem, tanqu quæ habeant pullulantes quosdam flores, ut decoræ vi deantur aspectantibus, floridis circumlitionibus ornat vultus suos commaculant. « Stultam *et* audacem *vocat* h
» *jusmodi* mulierem *per Salomonem*, quæ nescit verecu
» diam. Sedit in foribus domus suæ aperte super sell
» vocans eos qui in via prætereunt, eos qui vias suas rec
» dirigunt [1]. » Vocat autem per suam speciem et univers vitam, dicens scilicet : « Quis est vestrum stultissimus? a
» me declinet. Iis autem, qui egent prudentia, præcipit d
» cens : Absconsos panes jucunde tangite, et dulcem fur
» aquam : » furtivam hanc intelligens venerem. (Hinc a jutus Bœotius Pindarus, « Dulcis est, *inquit*, furtiva c
» veneris. ») « Miser autem nescit eam mortem afferre ter
» genis, et quod ad tignum inferorum tendit. Sed resili
» *inquit Pædagogus*, neque in loco diutius habites, neq
» in eam tuos defigas oculos : ita enim aquam alienam t
» jicies, et transibis Acherontem. » Quocirca hæc dicit D minus per Esaiam : « Propterea quod ambulaverunt fi
» Sion erecto collo, et in nutibus oculorum, et simul c
» incessu trahentes tunicas, et pedibus ludentes, et hu
» liabit Deus filias Sion, et revelabit figuram earum [2], figuram indecoram. Ego quidem censeo ne ancillas q dem, quæ probas sequuntur fœminas, oportere tur dicere aut facere ; sed ipsas debere castigari a domin Valde itaque acriter dicit comicus Philemon : « Cum lice
» post mulierem liberam, quæ aspicitur, ancillam retro s
» qui pulchram, et ex Platæico consequentem quempia

[1] Prov. IX, 13, 14, 15, 16. 17, 18. — [2] Isai. III, 16, 17.

eam limis intueri. » In dominam enim retorquetur ancillæ intemperantia, quæ concedit iis qui minora aggrediuntur, ut non vereantur ad majora conscendere, cum, agnoscendo turpibus, domina præ ferat se ea non damnare. Non succensere autem iis qui se dedunt libidini, est indicium animi ad similia propensi. *Qualis enim domina, talis et* (ut dicitur in proverbio) *catella*. A deambulatione autem nobis procul est amandandus furiosus incessus, sed honestus et lentus nobis est eligendus, non autem nimis tardus. Sed neque in via fluctuare, nec supina cervice obvios respicere, an ipsum rescipiant, tanquam se in scena ostentantem, et digitis monstratum. Nec si in locum decliviorem extrudantur, eos oportet a famulis in pristinum locum rejici; ut nonnullos videmus delicatiores, qui videntur esse robusti, sed sunt ab animi mollitie effœminati. In fortis autem viri vultu nullum esse oportet signum mollitiei, sed neque in ulla parte corporis. Neque ergo in motu, neque in habitu inveniatur unquam quod virilem animum dedecoret. Neque vero tanquam jumentis famulis utendum est, ei qui fuerit sanæ mentis. Quemadmodum enim illis præcipitur, ut cum omni metu dominis, non solum bonis et clementibus, sed morosis etiam et pravis, *ait Petrus*, subjiciantur[1] : » ita æquitas, et patientia, et benignitas dominis pulchre convenit. « In summa, este, *inquit*, omnes unanimes, misericordes, fratrum amantes, bonis visceribus præditi, humiles, *et quæ sequuntur*, ut, *bonæ cujusdam et amabilis* benedictionis hæredes sitis[2]. » Adolescentulæ imaginem volens describere Zeno Cittieus, eam ita effingit : Sit, *inquit*, munda facies, supercilium non demissum, nec oculus sublimis, neque fractus, cervix minime supina, nec remissa membra corporis, sed erecta, et intensis similia, et erecte extensa : in sermonem acumen, et

[1] 1 Pet. II, 18. — [2] Id. III, 8, 9.

» bona eorum quæ dicta fuerint memoria, habitusque et » motus qui nullam spem præbeat impudicis. Resideat quidem in vultu pudor, et virum aspectu præ se ferat. Procul autem absit myropolarum, aurificum, lanificum » cæterarumque officinarum caligo, in quibus more meretricio ornatæ, tanquam sedentes in prostibulo, totum » diem transigunt. » Neque ergo viri, in tonstrinis et cauponis versantes, futiliter garriant, et assidentes mulieres cessent quandoque venari; qui etiam ut risum moveant non cessant pluribus maledicere. Jam vero prohibendus quoque est tesserarum ludus : et præterea ex talorum ludo lucri studium, quod nonnulli acriter sequuntur. Talia enim improvida luxuria illis otiosis oblectamina suppeditat. Hæc causa enim est desidies. Amant autem inania, qui sunt a veritate sejuncti : neque enim aliter possunt recreare animum absque damno. In quibusvis autem hominibus vitæ ratio animum eorum imitatur. Cæterum, ut est consentaneum, ea demum prodest consuetudo quæ intercedit cum viris bonis. Contra autem, vitæ usum cum improbis hominibus esse plane suillum agnoscens sapientissimus per Mosen Pædagogus, seniori populo *porcis* vesci prohibuit [1] : significans non oportere eos qui Deum invocant, cum impuris versari hominibus, qui porcorum instar corporalibus voluptatibus, obscœnisque cibis, et impudicis titillationibus prurientes, damnosa veneris voluptate perfunduntur. Sed neque « milvium, raptoque vescentem avem, et aquilam » dicit esse comedenda [2] : Non appropinquabis iis, inquiens, qui rapina victum sibi comparant. Porro autem alia quoque similiter eamdem habent allegoriam. Cum quibusnam autem vitæ habenda est conjunctio? Cum justis, rursus dicit per allegoriam : Quidquid « enim bifidam habet ungulam

[1] Levit. XI, 7. Deut. XIV, 8. — [2] Levit. XI, 13, 14. Deut. XIV, 12.

et ruminat[1] est mundum. Quod bifidam enim habet ungulam, justitiæ ostendit æquilibrium, quæ ruminat proprium justitiæ nutrimentum, nempe Logon : qui extrinsecus quidem ingreditur per catechesin, quemadmodum nutrimentum ; ex cogitatione autem, tanquam a ventre, ad rationalem reminiscentiam intrinsecus revocatur. Ruminat autem justus spiritale nutrimentum, cum Logon habet in se. Bifida autem jure est justitia, ut quæ et hic sanctificet, et sæculumque futurum transmittat. Ne ad spectacula quidem ergo nos Pædagogus deducet[2]. Nec inconcinne stadia et theatra, *pestium cathedram* quis vocaverit[3] : nam hic quoque scelestum est *consilium*, quemadmodum adversus justum ; et ideo maledictis devovetur quæ adversus eum fit congregatio. Magna quippe confusione et iniquitate hi cœtus pleni sunt, et occasio conventus causa est turpitudinis, cum viri et fœminæ mixtim conveniunt, alter ad alterius spectaculum. Hic perperam jam agitur concilium. Dum enim lasciviunt oculi, calescunt appetitiones, et oculi per otium ibi concessum proximos impudentius respicere assueti, intendunt cupiditates. Prohibeantur ergo spectacula et acroamata, quæ scurrilitate ac vaniloquentia plena sunt. Quod enim turpe factum non ostenditur in theatris? quod item verbum impudens non proferunt, qui risum movent, scurræ et histriones? qui autem ex vitio, quod in se est, delectationem aliquam perceperunt, evidentes domi imagines imprimunt. Contra autem qui his demulceri et affici nequeunt, in ignavas voluptates non prolabentur. Si dixerit enim, pro ludo assumi spectacula ad recreandos animos : dicemus non sapere civitates quæ seriam ludis operam dant. Neque enim ludus est sæva gloriæ cupiditas, quæ tot mortes infert : sed neque vana studia, et rationis

[1] Levit. XI, 3. Deut. XIV, 6.
[2] Vide D. Guillon, p. 431 et seq.
[3] Psal. I, 1.

» mus et bibamus, cras enim morimur[1]. » Ii autem non vivere, sed jam Deo mortui sunt, *sepelientes* suos *mortuos*, hoc est, seipsos in mortem infodientes. Eis autem fortiter resistit Apostolus : « Ne erretis, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, » neque ebriosi, neque maledici, » et quæcumque alia adjungit, « regnum Dei possidebunt[2]. » Quod si in regnum Dei vocati simus, digne regno ambulemus, Deum diligentes et proximum. Dilectio autem non in osculo censetur, sed in benevolentia. Illi autem nihil aliud osculo quam ecclesias conturbant, cum ipsam non habeant intus amicitiam. Etenim hoc utique turpem movit suspicionem et maledicentiam, quod impudenter osculo uterentur, quod esse oportebat mysticum. Id *sanctum*[3] vocavit Apostolus. Regnum digne gustato, ore modesto et clauso benevolentiam animi dispensemus, per quod maxime se exerit mansuetudo morum. Est autem aliud quoque osculum incestum, veneno plenum, sanctitatem simulans. An nescitis, quod etiam phalangia, si ore tantum tangant, graves dolores hominibus afferunt ? Oscula autem impudicitiæ sæpe virus immittunt. Manifestum itaque nobis factum est, osculum non esse dilectionem : « dilectio enim est Dei[4]. Hæc est autem » dilectio Dei, *inquit Joannes*, ut mandata servemus : » non ut nos invicem ore demulceamus : « et mandata ejus » gravia non sunt[5]. » Cæterum dilectorum quoque in viis salutationes, cum stulta libertate plenæ sint, et ab iis fiant qui volunt per res externas sese ostentare, ne minimam quidem habent gratiam. Si enim in *adyto* mystice Deum oscu convenit, consequens fuerit *proximum* quoque, quem secundo loco jubemur *diligere*, similiter ac Deum, et mystice intus complecti, « occasionem redimentes : nos enim

[1] 1 Cor. xv, 32. — [2] Id. vi, 9, 10. — [3] Rom. xv, 16, etc. — [4] 1 Joan. iv, 7. — [5] Id. v, 3.

[illegible] terræ. Qui autem amico mane magna voce benedix[illegible] qui execratur nihil videbitur differre [1]. » [illegible]idetur aut[illegible]omnia esse aversandus mulierum aspectus : non solu[illegible] tangantur, sed etiam si spectentur, peccari potest : [illegible]ime vitare oportet eum qui recte instituitur. « Ocul[illegible] tui recta videant, supercilia autem recta annuan[illegible] Etsi enim fieri potest ut, quamvis viderit, se fortiter [illegible]tamen ne cadat [illegible]endum est. Fieri enim pote[illegible]it labatur : [illegible] non potest ut qui non vider[illegible]at. Non [illegible]mperantibus satis est ut sin[illegible]d etiam adhiben[illegible]ut sint ab omni rep[illegible]e alieni, [illegible]t sit consumm[illegible]mni exclusa s[illegible]is causa[3] : [illegible]t non simus solum fid[illegible]tiam vi[illegible] fide digni. Etenim hoc quoque cavendu[illegible]tolus, « ne quis nos reprehendat : providen[illegible] non solum coram Domino, sed etiam coram hominibus [4]. Averte autem oculum a muliere gratiosa, et ne discas alienam pulchritudinem [5], » inquit Scriptura. Et si causam roges, ipsa [illegible]bi enarrabit : « In pulchritudine enim mulieris multi seducti sunt, et ex ea, tanquam ignis, accenditur amicitia, » [illegible]æ ad ignem nunquam cessaturum deducit propter peccatum : amicitia, inquam, quæ ex igne oritur, quam appel[illegible]runt amorem.

CAPUT XII.

[illegible]vis optimæ vitæ similiter pertractatio, et quot loca Scripturæ sanctæ vitam Christianorum describant.

Ego vero iis quoque qui uxores duxerint, consuluerim [illegible] unquam uxores suas coram famulis osculentur : nam

[1] Prov. XXVII, 14. — [2] Id. IV, 25.
[3] Vide D. Guillon, p. 433.
[4] 2 Cor. VIII, 20, 21. — [5] Eccli. IX, 8.

nec famulis quidem unquam arridere permisit Aristoteles, tantum abest ut in eorum conspectu videatur quisquam complecti uxorem. Melius est autem ut domi, a matrimonio incipientes, honestatem ostendamus; est enim maxime hæc temperantiæ conjunctio, quæ puram spirat ac redolet voluptatem. Admodum enim pulchre dicit Tragœdia:

O fœminæ, quam in rebus humanis nihil,
Non regna et aurum, non opum vis maxima
Tot comitates, tot voluptates ferunt,
Quot temperantis fœminæ et viri boni
Mens justa, si non illa negligit virum?

Hæc præcepta justitiæ, quæ ab iis qui mundanam sequuntur sapientiam dicta sunt, sunt minime recusanda. Scientes ergo suum cujusque officium, «in timore conversemini tempore vestri incolatus, scientes quod non corruptibilibus, » argento et auro, redempti sumus ex vana conversatione a » patribus tradita, sed pretioso sanguine, tanquam agni im» maculati, et in quem nulla cadit reprehensio, Christi[1]. Satis ergo fuit præteritum tempus, *ait Petrus*, ad faciendam » gentium voluntatem, dum ambulavimus in lasciviis, con» cupiscentiis, temulentiis, commessationibus, potationi» bus, et nefariis idolorum cultibus[2]. » Limitem habemus crucem Domini, qua, tanquam vallo, cingimur, et separamur a prioribus peccatis. Regenerati ergo, in veritate affigamur, resipiscamusque, atque sanctificemur: quoniam «oculi Domini super justos, et aures ejus in deprecatione » ipsorum: vultus autem Domini super facientes mala[3]. Et » quis est qui sit nobis male facturus, si bonum secuti fue» rimus[4]? » Optima autem institutio, est moderatio, quæ est decorum undequaque perfectum, ac stabilis et ordinata potestas, ea quæ sunt inter se invicem conjuncta et co-

[1] 1 Pet. I, 17, 18, 19. — [2] Id. IV, 3. — [3] Psal. XXXIV, 15, 16. — [4] 1 Pet. III, 13.

..entia, factis recte distribuens, virtute insuperabilis. ..ec quidem si asperius dixerim, procurans emendationis ..træ salutem, atqui a me quidem dicta sint, inquit Pæ..gogus, quoniam « qui libere arguit est pacificus [1]. » Vos ..tem si me quidem audieritis, salvi eritis. Quod si ea ..æ dicta sunt non attenderitis, non est mihi curæ : et sic ..non curæ est : « peccatoris enim mavult pœnitentiam ..uam mortem [2]. Sin autem me audiveritis, bona terræ ..omedetis [3], » dicit rursus Pædagogus : bona terræ hu..ma bona nominans, formam, divitias, sanitatem, vires, alimentum : vere enim bona sunt ea, « quæ neque auris ..udivit, neque unquam in cor ascenderunt [4] : » quæ sunt ..ad eum qui vere rex est, quæ vere sunt, et vere sunt ..a, et nos expectant; bonorum enim est et donator et ..tos : per illorum autem participationem quæ hic sunt, ..lem nomine appellantur : scilicet hoc modo hominum ..becillitatem Logos in Deo deducit a sensilibus ad intelli..tiam. Quæcumque sunt ergo domi observanda, et quo..do vita sit corrigenda, nobis abunde disseruit Pædago... Quæ itaque solet in via libenter dicere pueris, donec ..ad magistrum deduxerit, ea a nobis veluti in summa ..ipsas Scripturas subjicit et apponit, nuda præcepta ad..ens, tempori quidem deductionis atque institutionis ea ..mmodans, interpretationes autem eorum magistro re..ens. Ejus enim lex vult timorem solvere, liberum ani.. arbitrium in finem liberans. Audi, inquit, o puer qui ..e institueris, capita salutis : aperiam enim mores meos, ..ibi pulchra hæc præcepta suggeram, per quæ pervenies salutem : duco autem te per viam salutarem : discede a erroris; « quoniam novit Dominus viam justorum, et ..a impiorum peribit [5]. » Sequere, o puer, bonam viam,

[1] Prov. x, 10. — [2] Ezech. xviii, 23. — [3] Isai. i, 19. — [4] I Cor. ii, 9. — ..l. i, 6.

qua ego te deducam, aures mihi præbens au
» bo tibi thesauros arcanos, occultos, et qui
» deri[1] » a gentibus, a nobis autem possunt: s
thesauri non possunt deficere: quos admirans
» profunditas, *inquit*, divitiarum et sapienti
autem multi ab uno Deo suppeditantur: hi
gem, illi vero per Prophetas revelantur: ali
no, alius vero heptachordo Spiritus concini
tem unus Dominus, est idem per hos omn
Hic est ergo, quod omnia summatim comp
ceptum, et ad vitam utilis admonitio: « Q
» vultis ut vobis faciant homines, vos quoque
Possunt etiam duobus omnia præcepta co
dicit Dominus: « Diliges Deum tuum in toto
» in tota anima tua, et in tota virtute tua;
» tuum sicut teipsum[4]. » Deinde ex his infert:
» pendent tota Lex et Prophetæ. » Jam vero
rogavit, « Quid faciam ut vitæ æternæ hæredi
» deam? Nosti mandata[5]? » respondit. Qui cum
Hoc fac, inquit, et salvus eris. Verumtamen
tinctius adducenda Pædagogi benignitas per vari
taria præcepta, ut ex copiosa salute et Scriptur
natione ea promptius inveniamus. Est nobis, qui
datus est, Decalogus, simplici et unius generis
significans, salutarem peccatis appellationem
« Non mœchaberis. Idola non adorabis. Pueris stu
» inferes. Non furaberis. Non dices falsum tes
» Honora patrem tuum et matrem tuam[6], » et
consequuntur. Hæc sunt a nobis servanda, et q
alia in lectione ipsa Bibliorum præcipi videbi
Porro autem præcipit etiam per Esaiam: « La

[1] Isai. xlv, 3. — [2] Rom. xi, 13. — [3] Luc. vi, 31. — [4] Matth, xx
Luc. x, 27. — [5] Id. xviii, 18, 20; x, 25, 26, 27, 28. — [6] Exod.

), auferte scelera ab animabus vestris coram discite bonum facere, quærite judicium, li- qui injuria afficitur, judicate orphano, et jus- am; et venite, et disceptemus, dicit Domi- ta etiam apud alios præcepta invenerimus : m, verbi gratia, de precatione, « Bona opera, ino accepta, » dicit Scriptura. Et exponitur orationis : « Si videris, *inquit*, nudum, operi essarios seminis tui non despicies : tunc erum- men tuum, et medelæ tuæ cito exorientur, et nte te justitia tua, et gloria Dei te complec- uis est autem fructus hujus orationis? « Tunc t Deus te exaudiet. Adhuc loquente te, dicet : n[3]. » De jejunio autem : « Curnam mihi jeju- *Dominus*. Non hoc jejunium ego elegi, et diem humiliet animam suam. Ne si collum quidem eris ut circum, et saccum ac cinerem substra- ic quidem vocabitis jejunium acceptum. » Quid ult jejunium? « Ecce hoc est, *inquit*, jejunium i, dicit Dominus : solve omne vinculum iniqui- solve perversos nexus violentorum contractuum : os qui sunt offensi in acceptilatione, et injustam scripturam discerpe. Frange esurienti panem t pauperes qui tecto carent introduc in domum » Jam vero de sacrificiis quoque : « Quid mihi do sacrificiorum vestrorum? dicit Dominus. Ple- n holocaustis arietum : et adipem agnorum, et san- taurorum et hædorum nolo, nec veneritis ut a me ini. Quis enim requisivit hæc de manibus vestris? meum calcare non adjicietis. Si similam afferatis, incensum mihi est abominatio, neomenias vestras

1, 16, 17, 18. — [2] Id. LVIII, 7, 8. — [3] Ibid. 9. — [4] Ibid. 4,

» et sabbata non fero [1]. » Quomodo ergo sacrificabo Do-
mino? « Sacrificium, *inquit*, Domino spiritus contritus [2]. »
Quomodo igitur coronabo, vel ungam unguento, vel Domi
quodnam incensum offeram? « Odor, *inquit*, suavitatis Do
» est cor quod glorificat eum qui ipsum fecit. » Hæ sun
coronæ, et sacrificia, et aromata, et flores Dei. Præterea
malorum tolerantia : « Si peccaverit, *inquit*, frater tu
» ipsum argue; et si eum pœnituerit, ei remitte. Si sep
» in die in te peccaverit, et septies ad te convertatur,
» cens : Pœnitet, remitte ei [3]. » Et iis quidem « qui m
» tant, *per Joannem præcipit*, ut sint *solis* stipendiis c
» tenti : Publicanis *autem*, ut non amplius exigant : q
» sit constitutum [4]. » Judici autem, « Non accipies, inq
» personam in judicio : dona enim excæcant oculos vid
» tium, et corrumpunt verba justa, ut liberent eos qui
» ciunt injuriam [5]. » Quinetiam iis qui student œconomi
« Possessio quæ paratur cum iniquitate, minor redditur [6].
Quinetiam de charitate : « Charitas, *inquit*, operit m
» tudinem peccatorum [7]. » Et de reipublicæ administr
ne : « Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt D
» Deo [8]. » De jurejurando autem, et de injuriæ accepta
cordatione : « Numquid ego mandavi patribus vestris c
» tibus e terra Ægypti, ut offerrent mihi holocausta et
» crificia? Sed hoc mandavi vobis : Unusquisque vest
» adversus proximum in corde suo injuriæ acceptæ no
» cordetur; falsum jusjurandum non diligat. » Quinet
mendacibus et superbis minatur : illis quidem hoc mo
« Væ iis qui dicunt dulce amarum, et amarum dulce;
his vero sic : « Væ prudentes in seipsis, et coram se
» scientes. Qui enim seipsum humiliat, exaltabitur : et

[1] Isai. I, 11, 12, 13. — [2] Psal. LI, 17. — [3] Luc. XVII, 3, 4. — [4]
III, 14, 13. — [5] Exod. XXIII, 8. — [6] Prov. XIII, 11. — [7] 1 Pet. IV, 8.
[8] Matth. XII, 21. Marc. XII, 17. Luc. XX, 25. — [9] Isai. V, 20, 21.

» seipsum exaltat, humiliabitur[1]. » Et « misericordes *quidem* beatos *pronuntiat*, quoniam ipsi misericordiam consequentur[2]. » *Iram* autem infelicem pronuntiat Sapientia, « quoniam ipsos quoque prudentes perdet[3]. » Jam vero jubet « quoque inimicos diligere, et iis qui nos execrantur benedicere; orareque pro iis qui nobis insultant, et nos injuria afficiunt. Ei qui te, *inquit*, percutit in maxillam, præbe ei et alteram. Et si quis abstulerit tibi tunicam, ne prohibeas quo minus tollat etiam pallium[4]. » De fide autem : « Quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis, *inquit*[5]. Infidelibus *autem* nihil est fidum, *ut ait Pindarus*. » Ac famulis quidem utendum est, tanquam nobis ipsis : sunt enim homines, sicut nos : Deus enim est omnibus, liberis et servis, ex æquo, si consideres. Oportet autem fratres quoque peccantes non punire, sed reprehendere : « Qui suo enim parcit baculo, suum odit filium[6]. » Præterea gloriæ quidem expellit cupiditatem, dicens : « Væ vobis, Pharisæi, quoniam amatis primas sedes in synagogis, et salutationes in foro[7]. » Peccatoris autem amplectitur pœnitentiam, quæ peccata sequitur pœnitentiam diligens. Solus enim Logos est, in quem peccatum non cadit. Est enim peccare natura omnibus innatum et commune : post peccatum autem resipiscere, non est cujusvis hominis, sed ejus qui est vere magnifaciendus. De communicatione autem : « Venite, *inquit*, ad me omnes benedicti, este hæredes regni vobis parati a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi comedendum : sitivi, et dedistis mihi potum : peregrinus eram, et me collegistis; nudus, et me operuistis; infirmus, et visitastis me : eram in carcere, et ad me venistis[8]. » Et quando fecimus aliquid horum Domino? Ipse

[1] Luc. xiv, 11; xviii, 14. — [2] Matth. v, 7. — [3] Prov. xv, 1. — [4] Matth. v, 44. Luc. vi, 27, 28, 29. — [5] Matth. xxi, 22. — [6] Prov. xiii, 24. — [7] Luc. xi, 43. — [8] Matth. xxv, 34, 35, 36.

rursus dicet Dominus, fratrum benevolentiam benevole in seipsum convertens, et dicens : « Quodcumque fecistis his » parvis, mihi fecistis. Et ibunt, qui tales sunt, in vitam » æternam [1]. » Tales sunt Logi leges, verba consolatoria, non in tabulis lapideis digito Domini scriptis, sed scriptæ in cordibus hominum, in quas solum non cadit interitus. Idcirco fractæ sunt tabulæ eorum qui erant duri cordis, ut fides puerorum imprimeretur in teneris mentibus. Ambæ autem leges Logo serviebant ad hominum institutionem : illa quidem per Mosen, hæc vero per Apostolos. Cujusmodi autem tradita sit per Apostolos puerilis institutio, mihi videtur de eo quoque genere necessario disserendum : imo vero sui recordans dicit Pædagogus. Atque ipsa quidem ejus præcepta rursus exponam veluti in semine : « Deposito mendacio, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, » quoniam sumus alter alterius membra. Sol non occidat » super iracundiam vestram, neque locum date Diabolo. » Qui furabatur, non amplius furetur : sed potius laboret, » operans bonum, ut possit impertiri egenti. Omnis amaritudo, et ira, et excandescentia, et clamor, et maledictum » tollatur a vobis, cum omni vitio. Estote alter in alterum » benigni, misericordes, vobis invicem gratificantes, quemadmodum Deus quoque vobis in Christo gratificatus est [2]. » Estote ergo prudentes, et Dei imitatores, sicut filii dilecti; » et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit vos [3]. » Mulieres quidem propriis viris subjiciantur, tanquam Domino [4]. Mariti autem suas uxores diligant, sicut Christus » dilexit Ecclesiam [5]. » Se ergo invicem diligant, qui sunt conjuncti, « sicut propria corpora. Filii, obedite vestris parentibus. Patres, ne provocate ad iram filios vestros, sed » educate eos in disciplina et admonitione Domini. Servi,

[1] Matth. xxv, 40, 46. — [2] Ephes. iv, 25, 26, 27, 28, 31, 32. — [3] Id. v, 1, 2. — [4] Ibid. 22. — [5] Ibid. 25.

bedite dominis secundum carnem, cum timore et tre-
nore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, ex animo
um benevolentia servientes. Et domini, benefacite servis
estris, remittentes minas, scientes quod et ipsorum et
ester Dominus est in cœlis, et non est personæ acceptio[1].
Si vivimus spiritu, spiritu et ambulemus. Ne simus vanæ
loriæ cupidi, alter alterum provocantes, alter alteri in-
identes. Alter alterius onera portate, et ita implete legem
Christi. Ne erretis, Deus non subsannatur. Quod bonum
st facientes, ne animo deficiamur, proprio enim tempore
netemus[2]. Non dissoluti, pacem in vobis agite. Adhor-
tamur autem vos, fratres, admonete insolentes, conso-
lemini pusillanimes, sustinete infirmos, patientes estote
erga omnes. Videte ne quis malum alicui pro malo red-
dat. Spiritum ne extinguatis. Prophetiam ne nihili du-
catis. Omnia autem probate, et quod bonum est tenete.
Ab omni specie mala abstinete[3]. In oratione perseverate,
vigilantes in ipsa, in gratiarum actione. In sapientia am-
bulate apud eos qui extra sunt, tempus redimentes. Ser-
mo vester semper in gratia, sale sit conditus, ut sciatis
quomodo oporteat vos unicuique respondere[4]. Enutria-
mini in sermonibus fidei. Exerceamini ad pietatem : cor-
poralis enim exercitatio ad modicum est utilis : pietas
autem est utilis ad omnia, habens promissionem vitæ
quæ nunc est, et futuræ[5]. Qui fideles habent dominos,
ne contemnant, quoniam fratres sunt : sed magis serviant,
quoniam sunt fideles[6]. Qui largitur, sit in simplicitate;
qui præest, in studio; qui miseretur, in hilaritate : cha-
ritas non ficta; malum odio habentes, bono adhærentes,
fraterna dilectione vestri invicem amantes, honore vos

[1] Ephes. VI, 1, 4, 5, 6, 7, 9. — [2] Galat. V, 25, 26; VI, 2, 7, 9. — [3] 1 Thess. , 13, 14, 15, 19, 20, 21, 22. — [4] Coloss. IV, 2, 5, 6. — [5] 1 Tim. IV, 6, , 8. — [6] Id. VI, 2.

» invicem prævenientes, studio non pigri, spiritu ferventes,
» Domino servientes, spe gaudentes, afflictionem sustinen-
» tes, in oratione perseverantes, hospitalitatem persequen-
» tes, usibus sanctorum communicantes[1]. » Hæc pauca ex
multis, exempli gratia, ex ipsis Scripturis percurrens Pæ-
dagogus, suis apponit pueris, per quæ, ut ita dicam, fun-
ditus excinditur vitium, et tollitur iniquitas. Plurima au-
tem alia præcepta, quæ ad electas personas pertinent, in
sanctis libris scripta sunt : hæc quidem presbyteris, alia
vero episcopis, alia diaconis, alia autem viduis; de quibus
fuerit aliud dicendi tempus. Multa autem etiam per ænig-
mata, multa vero per parabolas quoque possunt prodesse
iis qui in ea incidunt : sed non est meum, inquit Pædago-
gus, hæc docere, sed magistro ad sancta verba exponenda
opus habemus, ad quem nobis eundum est. Et jam quidem
certe tempus est, mihi quidem cessandi a pædagogia, vobis
autem audiendi magistrum. Cum is autem vos exceperit
bona disciplina eductos, edocebit eloquia. Recte autem c
cinit Ecclesia, et Sponsus, qui est solus magister, boni P
tris bona voluntas, sapientia germana, sanctificatio cog
tionis : « Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, »
dicit Joannes, qui medetur et corpori et animæ nostr
proprio nempe homini, Jesus : « Non solum autem p
» peccatis nostris, sed etiam totius mundi. Et in hoc co
» noscimus quod ipsum cognovimus, si ejus mandata s
» vemus. Qui dicit, Cognovi ipsum, et mandata ejus n
» servat, mendax est, et in eo veritas non est. Qui aut
» servat ejus sermonem, vere perfecta est in eo Dei dilec-
» tio : in hoc cognoscimus quod in eo sumus. Qui dicit in
» ipso se manere, debet, sicut ille ambulavit, ipse quoque
» ambulare[2]. » O alumni beatæ Pædagogiæ! impleamus pul-
chram Ecclesiæ personam, et ad bonam matrem infantes

[1] Rom. XII, 8, 9, 10, 11, 12, 13. — [2] 1 Joan. 2, 3, 4, 5, 6.

accurramus : et si simus sermonis auditores, beatam glorificemus œconomiam per quam homo instituitur, sanctificatur autem tanquam Dei filiolus, et in cœlis quidem versatur, e terra institutus, patrem autem illic sumit quem discit in terra. Omnia Logos et facit, et docet, et instituit. Equus fræno ducitur, et taurus jugo ducitur, fera laqueo capitur : homo autem Logo transformatur, quo feræ mansuescunt, inescantur natatilia, et attrahuntur volucres. Hic revera equo frænum struit, tauro jugum, feræ laqueum, pisci arundinem, avi rete. Hic rempublicam regit et agros colit, imperat et est administer, et universa fabricatur :

Hic terram, ac cœlum, maris æquoraque alta creavit,
Astraque, quæ cœlum pulchra undique cuncta coronant.

O divina opera ! o divina præcepta ! « Aqua hæc in seipsa » fluctibus reciprocetur : hic ignis iram contineat : aër hic » vagetur in æthere : terra autem et figatur, et motu fera» tur. Quando ego volo hominem formare, et materiam » desidero, elementa sunt mihi materia, una cum meo fig» mento cohabito. Si me cognoveris, ignis tibi serviet. » Talis ac tantus est Logos. Hic est Pædagogus, mundi et hominis opifex, et propter ipsum jam est mundi quoque pædagogus, cujus jussu ambo constamus, expectantes judicium. Neque enim furtivum fert hominibus vocale verbum. Erit verbum sapientia, ut ait Bacchylides : « Irreprehensi» biles autem, et integri, et inculpati Dei, *ut dicit Paulus,* » filii, in medio generationis pravæ et perversæ, tanquam » luminaria, in mundo apparete[1]. » Quod ergo restat in tali Logi celebratione, Logon oremus : « Sis propitius tuis, o » Pædagoge, pueris, pater, auriga Israel, fili et pater, unum » ambo, Domine. Da nobis ut, tua sequentes præcepta, im» pleamus similitudinem imaginis, et pro viribus sentiamus

[1] Philip. II, 15.

» bonum Deum, et judicem non acerbum : præstaque, ut
» omnes in tua pace versati, et in tuam civitatem translati,
» cum undas peccati tranquille transaverimus, placidi cum
» sancto Spiritu feramur, et ineffabili sapientia noctu et in-
» terdiu ad perfectum usque diem laudantes, gratias aga-
» mus, et gratias agentes laudemus unum Patrem et Filium,
» Filium et Patrem, pædagogum et magistrum Filium, una
» cum sancto Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia,
» per quem omnia sunt unum, per quem est æternitas, cu-
» jus membra sumus omnes, cujus sunt gloria et sæcula,
» qui est undequaque bonus, undequaque pulcher, undequa-
» que sapiens, undequaque justus : cui gloria nunc et in sæ-
» cula sæculorum. Amen. » Quoniam autem Pædagogus nos duxit in Ecclesiam, ipseque sibi ipsi, Logo, inquam, qui docet, et omnia intuetur, adjunxit, bene habuerit si nos, cum in hoc loco sumus, justæ gratiarum actionis mercedem, pulchræ pædagogiæ convenientem laudem Domino efferamus.

HYMNUS CHRISTI SERVATORIS

a S. Clemente compositus.

Frænum pullorum indocilium,
Penna volucrum non errantium,
Verus clavus infantium,
Pastor agnorum regalium,
Tuos simplices
Pueros congrega,
Ad sancte laudandum,
Sincere canendum
Ore innoxio

Christum puerorum ducem.
Rex sanctorum,
Verbum, qui domas omnia,
Patris altissimi,
Sapientiæ rector,
Laborum sustentaculum,
Ævo gaudens,
Humani generis
Servator Jesu,

astor, arator,
lavus, frænum,
enna cœlestis
anctissimi gregis.
iscator hominum
Qui salvi fiunt :
elagi vitii
isces castos
Inda ex infesta
Dulci vita inescans [1].
is dux, ovium
Rationalium pastor.
ancte, sis dux,
Rex, puerorum intactorum.
Vestigia Christi,
Via cœlestis,
Verbum perenne,
Ævum infinitum,
Lux æterna,
Fons misericordiæ,
Operatrix virtutis,
Honesta vita
Deum laudantium, Christe Jesu,
Lac cœleste
Dulcibus uberibus
Nymphæ Gratiarum,
Sapientiæ tuæ expressum,
Infantuli
Ore tenero
Enutriti,
Mammæ rationalis
Roscido spiritu
Impleti,
Laudes simplices,
Hymnos veraces,
Regi Christo,
Mercedes sanctas
Vitæ doctrinæ,
Canamus simul,
Canamus simpliciter
Puerum valentem.
Chorus pacis,
Christo geniti,
Populus modestus,
Psallamus simul Deum pacis.

[1] Vide D. Guillon, p. 433.

CLEMENTIS ALEXANDRINI

LIBER

QUIS DIVES SALVETUR.

I. Qui encomiorum munera divitibus tribuunt [1], ii vero mihi nedum adulatores et illiberales merito habendi esse videntur, qui magno se gratificari simulent quorum nulla gratia; verum etiam impii ac insidiosi : impii quidem, quod posthabitis Dei laudibus et gloria, qui unus perfectus ac bonus est, « Ex quo omnia, et per quem omnia, et in quo » omnia [2], » (quem sibi ille honorem vindicat,) hominibus tribuunt (piaculari et impura) vita volutantibus, (ipsis) proinde, in mercedem, judicio divino obnoxiis : insidiosi autem, quoniam cum et solæ opes sufficiant ad emolliendos corrumpendosque locupletum animos, deque via per quam salus paratur procul avocandos, illi contra etiam stolidiores efficiunt, divitum mentes immodicarum laudum oblectationibus fastu efferentes, idque adeo præstantes, ut cætera omnia plane flocci pendant, præter divitias ob quas in honore habentur; igni, ut dicitur, ignem addendo, fastumque fastu cumulando, ac thesauris molem apponendo, gravi elemento gravius pondus, de quo potius auferendum erat et amputandum, ceu morbo periculoso ac lethifero. Ei enim qui se extollit ac magnum facit, vicissim succedit tumentis

[1] Vide D, Guillon, p. 433.
[2] Rom. xi, 35.

imi in humile mutatio ac casus, uti docet Sermo divinus[1]: opiusque ad humanitatem existimo, quam palpare (illiraliter) divites (et laudibus evehere) pro eo quod maleerint, (monitis subvenire, et) salutem illis (procurare) ibus fieri potest mediis; nimirum Deum orando, qui res smodi suis filiis firmiter ac jucunde fruendas elargitur: m vero per gratiam Salvatoris eorum animis mederi, illminando et ad capessendam veritatem nos eis duces ofendo: quam quisquis adeptus fuerit, bonisque operibus ruerit, solus vitæ æternæ bravium præmio reportabit. imvero oratio, quæ utique ad extremum spiritum durare bet, robustum animum atque serenum: porro vitæ ra- ac disciplina, probam mentem, æquique ac justi tenam, et quæ ad omnia Salvatoris præcepta extendatur, stulat.

II. Forte autem non unum quid simplex est quod facit opulentorum salus difficilior appareat salute egenorum, d diversi generis hujus ratio extiterit. Alii enim, auditis ptim et perfunctorie illis Domini Salvatoris vocibus, « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare regnum cœlorum[2], » animum despondentes asi vitam minime consecuturi, et tanquam præsens hæc la sola illis reliqua sit, illius desiderio suspensi, longius via quæ in cœlum ducit diverterunt, ne pervestigantes idem serioque pensantes quosnam Dominus et magister pellet divites, ac nec quomodo apud homines impossibile eo sit possibile. Alii vero, hoc quidem recte convenienrque intellexerunt: neglectis tamen quæ ad salutem spect operibus, quantum par erat apparatum non fecerunt t eorum quæ in spe posita sunt compotes efficerentur. mbo hæc dicta a me sunt de divitibus quibus nota est et

[1] Matth. xxiii, 12. — [2] Id. xix, 24.

virtus Salvatoris et illustris salus : de aliis parum curo, qui-
bus ut intelligerent veritatis radius non affulsit.

III. Decet ergo ut qui veritatis fratrumque amore te-
neantur, quique nec petulanter insurgunt in divites qui
cati sunt (id est, Christiani), neque vero lucri proprii ca
rursum illis assentantur; primum quidem ex eorum ani
verbi prædicatione eximant inanem metum, congru
oraculorum Domini expositione liquido ostendant non o
nino repulsos eos ab hæreditate regni cœlorum, si m
dicto audientes sint ut mandata exequantur; deinde ad
neant, timere eos ubi nullus timendi locus, eosque
velint, Dominum placide suscipere : tumque ad hæc ost
dere et institutione catechetica docere par erit, qua ra
ratione quibusve operibus pariter affectibusque spes ala
ut quæ nec illis omnino negata sit, nec rursus temere
loque hominis conatu obveniat. Sed sicut se in athl
habet (ut parva et corruptibilia cum magnis et incorr
tibilibus conferamus), ita quoque in ipso contingere co
qui sæculi opibus dives est. Etenim quicumque de vict
et corona desperaverit, is nec omnino ut in arenam d
cendat nomen dederit; qui vero hanc ipse quidem ani
spem conceperit, labores tamen et cibos et exercitatio
in eam rem congruas non admittit, corona indonatus m
net, ac spes illum frustrata est. Sic et quisquis terr
opibus affluit, caveat ne se ipse primum a Salvatoris cer
minibus præmiisque exclusum ducat, modo fidelis exis
ac divinæ bonitatis magnitudinem intelligat; nec rur
nulla exercitatione nulloque certamine posito, citra pul
rem atque sudorem immortalitatis se corona donand
speret, sed se Verbo tradat ac Rationi tanquam palæstr
magistro, Christoque certaminum præsidi subjiciat. Cib
illi ac potus præstitutus, Novum Domini Testamentum;
exercitamenta, mandata; ornatus ac cultus, bonæ animi

ęctiones ac dotes [1]; fides, spes, charitas, veri cognitio (be-
ŋnitas), lenitas, misericordia, castitas; ut cum novissima
ba ineundi cursus signum dederit atque hinc emigrandi
lat stadio, ex mortali hac vita, bona fretus conscientia,
rtaminum Præsidi victor præsentetur, cœlesti palam dig-
s patria, in quam coronis, angelorumque præconio ac
ımsu donatus revertitur.

IV. Det igitur nobis Salvator, ut hinc ordientes sermo-
m, vera et convenientia, quæque ad fratrum salutem fa-
ınt, conferamus; primum de spe ipsa, deinde iis quæ ad
em conducunt. Ille quidem indigentibus largitur, docet-
ıe rogantes, porro ignorantiam solvit, atque desperatio-
m excutit; eosdem rursus de divitibus sermones inducens,
ı ipsi seipsos interpretantur tutoque exponant. Nihil enim
; juvet, ac ipsa rursus audire verba [2] quæ in Evangeliis ex-
ısita, nec justo satis examine atque errore auditoribus præ
fantia mentis accepta, hactenus vos conturbarunt. « Et cum
exiret in viam, accedens quidam genu flectebat, dicens :
Magister bone, quid faciam ut vitam æternam possideam ?
Jesus autem ait : Quid me dicis bonum ? nemo bonus nisi
unus, Deus. Præcepta nosti, Ne adulteres, ne occidas, ne
furreris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem fece-
ris; honora patrem tuum et matrem tuam. At ille respon-
dens, ait illi : Hæc omnia observavi. Jesus autem intuitus
eum, dilexit eum, et dixit : Unum tibi deest, si vis per-
fectus esse, vende quæcumque habes, et distribue paupe-
ribus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me.
Qui contristatus in verbo, abiit mœrens; erat enim dives,
habens multas possessiones. Et circumspiciens Jesus, ait
discipulis suis : Quam difficile qui pecunias habent, in
regnum Dei introibunt ! Discipuli autem obstupescebant

[1] 1 Cor. xv, 42.
[2] Vide D. Guillon, p. 434.

» in verbis ejus. At Jesus rursus respondens, ait illis : Fi-
» lioli, quam difficile est confidentes in pecuniis introire i
» regnum Dei ! Facilius est camelum per foramen acus i
» gredi, quam divitem intrare in regnum Dei. Qui magis a
» mirabantur, atque dicebant, Et quis potest salvus fieri? I
» intuens illos Jesus, ait : Apud homines impossibile est, s
» non apud Deum : omnia enim possibilia apud Deum. C
» pit et Petrus dicere : Ecce nos dimisimus omnia, et sec
» sumus te. Respondens Jesus, ait : Amen dico vobis, om
» qui sua reliquerit, et parentes et fratres et pecunias, pr
» ter me et propter Evangelium, centies tantum nunc i
» tempore hoc recipiet, agros et pecunias et domos et f
» tres cum persecutionibus, et in futuro vita æterna e
» Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi[1].

V. Hæc quidem in Marci Evangelio scripta sunt; q et in reliquis plane omnibus eadem habentur, paucis fo tan per singulos verbis immutatis, sed quæ eamdem ubi sententiam contineant. Decet autem nos, qui aperte sci mus nihil Salvatorem quasi humano more locutum es sed divina mysticaque sapientia suos cuncta docuisse, s mones hos non carnaliter audire, sed latentem in eis sen digna investigatione mentisque solertia ac sagacitate p quirere et addiscere. Nam cum et ipsa quoque quæ ab ip Domino videntur discipulis fuisse exposita, non minori, s majori etiamnum consideratione indigere noscantur, q quæ obscurius ac velut ænigmate dicta sunt, ob profund simam in eis altitudinem sensuum ; cumque adeo etiam i quæ ab eo scholæ domesticis videntur explanata, ac i quos ab eo filios Regni invenimus vocatos, majori adhu opus habeant indagatione, quam quæ videntur simplici ab eo prolata, quæ proinde nemo auditorum interroga ut exponerentur, pertinentia ad ipsum salutis finem, mi-

[1] Marc. x, 17, 18, etc.

ndoque ac supercœlesti mentis consideranda profundo : n perfunctorie hæc auribus haurienda, sed ita ut ad sum Salvatoris spiritum ac sententiæ arcanum animum mittamus.

VI. Jucunda certe Domino nostro ac Salvatori oblata æstio est[1], ipsi nimirum convenientissima; nempe obla quæstio Vitæ de vita, Salvatori de salute, Magistro ac ctori de capite eorum quæ dogmate tradebantur, Veati de vera immortalitate, Verbo de paterno verbo atre doctrina, Perfecto de perfecta requie, Incorruptibili firma incorruptione. De illis oblata illi quæstio est, orum etiam causa descenderat, quibus instituit, quæ dot, quæ præbet, ut ostendat Evangelii argumentum esse, t vita æterna ipsa tribuatur. Præsciebat autem ut Deus, m quæ interrogandus erat, tum quod responsum interrgans esset accepturus. Quis enim id potius fecerit quam ropheta prophetarum, omnisque prophetici spiritus arbitr ac dominus? Vocatus autem bonus, a primo hoc verbo mpta occasione inde etiam doctrinam auspicatur, convertens discipuli animum in Deum bonum, primumque ac lum vitæ æternæ præbitorem, quam ab eo acceptam nols confert Filius.

VII. Itaque maximum et præcipuum documentorum ad itam spectantium, ab initio statim animo inserendum est : t Deus æternus esse ac æternorum dator, agnoscatur; primumque ac supremum, et unum ac bonum Deum, Deum obis per scientiam et comprehensionem vindicemus. Hoc nim immobile inconcussumque principium et principale itæ fulcimentum, Dei, qui est vere, scientia, et qui ea quæ nt (æterna scilicet) largitur; ex quo etiam aliis provet ut esse accipiant, eoque incolumia sint. Hujus quippe noratio mors est; cognitio vero et necessitudo atque ad

[1] Vide D. Guillon, p. 435.

eum dilectio ductaque cum eo similitudo, sola vita existit.

VIII. Hunc ergo primum agnoscendum jubet ei qui veram vitam sit acturus : « Quam nemo novit nisi Filius, et » cui Filius revelaverit[1]. » Exinde cognoscenda est magnitudo Salvatoris post illum novaque gratia, quodque, juxta Apostolum, « Lex per Mosem data est; gratia et veritas per » Jesum Christum facta est[2] : » nec paria sunt, quæ per servum fidelem data sunt, et quæ a vero filio donata sunt. Denique si Mosis lex sufficiens erat ut vitam præstaret[3], frustra nimirum Salvator ipse adveniret, nostrique causa pateretur, ab ortu nativitatis ad metam usque emenso humanæ vitæ curriculo. Frustra quoque, qui omnia Legis mandata a juventute impleverat[4], ab alio, illi provolutus, immortalis vitæ exposceret præmia. Neque enim solum Legem servaverat, sed et a prima ætate in eam rem incubuerat. Quid enim magni aut egregii est, senectus non ita delictorum ferax? sed si quis lasciviente juventa ac ætatis æstu maturum præ se sensum ferat, et quam pro temporis ratione senior appareat; hic plane admirandus ac præclarus pugil, et judicio canus. Hic tamen cum tantus esset apprime noverat, certusque erat, nihil sibi quidem ad justitiam deesse : omnino autem illi vita opus erat; idcirco præstari rogat ab eo qui solus dare possit. At quidem ad Legem quod spectat, longe securus erat; Dei tamen Filio supplicat. Ex fide in fidem transfertur. Veluti qui non tuto in Legis navigio jactaretur ac periculose stationem habuerat, ad Salvatorem transmittit.

IX. At vero Jesus non illum redarguit, quod Legis omnia non impleverit; quin etiam diligit, et quod iis quibus fuerat institutus strenue obsecutus sit, passis ulnis amplectitur : ad vitam tamen æternam quod attinet, imperfectum eum pronuntiat, quod ea quæ perfectionis sunt non imple-

[1] Matth. xi, 17. — [2] Joan. i, 17. — [3] Gal. ii, 21. — [4] Marc. x, 20.

rit : ac Legis quidem operarium dicit, verum in æternæ
æ rebus cessatorem. Bona quidem et illa; quis eat infi-
s? Nam *mandatum sanctum*[1] hactenus ut pædagogi cu-
dam vice cum timore fungatur præviæque institutionis,
summum Legis Jesu verticem gratiamque viam sternens[2] :
nitudo vero Legis Christus ad justitiam omni credenti[3],
n qui ut servus servos faciat, sed et filios et fratres et
hæredes, Patris voluntatem facientes præstet.

X. *Si vis perfectus esse*[4]. Nondum ergo perfectus erat :
rfecto namque nihil perfectius est. Cæterum præclare il-
d atque divine, *Si vis*, colloquentis animæ liberam arbi-
i facultatem ostendit; in homine quippe, tanquam libero,
era erat voluntatis electio; in Deo autem dare, tanquam
mino atque arbitro. Dat autem volentibus et summo
dio annitentibus et orantibus; ut sic illorum propria
istat salus. Neque enim Deus cogit (vis enim inimica est
o), sed quærentibus tribuit, et petentibus præbet, ac
lsantibus aperit. Si vis igitur, si vere vis, et teipsum non
llis, illud compara quo deficeris. Unum tibi deest; illud
um quod manet, quod bonum est, quod jam supra Le-
m est, quod Lex non dat, quod Lex non capit, quod vi-
ntium proprium est. Denique qui totam Legem a juven-
te impleverat, et qui de se sic magna atque superba locutus
t, unum hoc omnibus parare nequivit, quod Salvatoris
gulare est, ut vitam æternam, cujus eum desiderium in-
sserat, arriperet : sed tristis abiit, vitæ mandato grava-
s, cujus gratia supplicatum venerat. Non enim vere vitam
ebiebat, uti verbis præferebat; sed bonæ duntaxat volun-
tis famam aucupabatur : ac quidem circa multa sollicitus
se poterat, unum vero illud, opus illud salutis ut perfice-
t, non valebat : inque rem supinus et infirmus erat. Sicut
im Marthæ dixit Dominus, cum in multis esset sollicita et

[1] Rom. VII, 12. — [2] Gal. III, 24. — [3] Rom. X, 4. — [4] Matth. XIX, 21.

ministrandi cura distraheretur ac turbaretur; sororique vi-
tio daret, quod relicto ministerio, sederet ad pedes eju
discipulæ otium captans : « Tu erga multa turbaris : Ma
» *autem* optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea[1] : i
ita hunc quoque negotiosa occupatione omissa, uni tant
adhærere jubet, ejusque assidere gratiæ, qui ipse vit
æternam proponeret.

XI. Quid ergo fuit quod illi fugam suasit, fecitque ut
a magistro, a supplicatione, a spe, a vita, a laboribus q
bus jam perfunctus erat, subduceret? nempe, « Vende q
» habes[2]. » Quid vero hoc sibi vult? Haud sane, quod q
dam obvio statim sensu accipiunt, facultates projici j
et pecunias a se amovere; sed quæ de divitiis vana jud
sunt animo exterminare, erga eas effrænem libidinem
avaritiæ labem, sollicitudines, sæculi spinas quæ suffo
vitæ semen. Haud enim magnum dignumque æmulati
temere, non ut vitam nanciscaris, divitiis carere : sic n
que qui nihil prorsus habent, sed, omni destituti vitæ s
tio, quotidiani mendici per vias inopes projecti sunt, cu
Deum ignorent Deique justitiam, ea duntaxat ratione q
extrema premantur paupertate, omnique vitæ subsidio
reant, ac vel minimis deficiantur, omnium beatissimi es
ac religiosissimi, solique compotes vitæ æternæ. Nec n
res abdicare divitias, et in pauperes atque egenos elargi
quod et multi ante Salvatoris adventum præstiterunt, q
ut litterarum studiis mortuæque sapientiæ vacarent, qu
inani jactantia nominis claritatem ac gloriolæ curam cap
rent, Anaxagoræ, Democriti, Cratetes.

XII. Quid igitur ut novum Deique proprium jubet,
solum ejusmodi ut vivificare queat, quod antiquis salut
non attulit? Quid vero eximium quid ac singulare nova cr

[1] Luc. x, 41.
[2] Vide D. Guillon, p. 455.

ıra, Dei Filius præcipit ac docet? Non hoc mandat quod ı aspectum cadit, quod alii fecere; sed aliud quid majus ivíniusque et perfectius, quod illo significatur : ut animum ;ilicet affectumque vitiis nudemus, ac quæ aliena sunt raicitus ex eo excindamus et ejiciamus. Hoc nimirum viri fielis proprium documentum, dignaque Salvatore doctrina. ntiqui enim, contemptis exterioribus, possessiones quidem eliquerunt ac amiserunt; sed vitia animi ac perturbationes rbitror et auxerunt. Superbi enim ex hoc et elati evaserunt, ıanis gloriæ pleni, et qui reliquorum contemptu ducerenır, quasi ipsi aliquid supra hominem gessissent. Quomodo gitur Salvator in æternum victuris præciperet quæ sint ocitura labemque allatura, quod attinet ad vitam quam ıncte pollicetur? Nam etsi illud contigerit, potest quis, leposito facultatum onere, nihilominus adhuc pecuniarum upiditatem ac sitim animo inolitam vigentemque habere; c usum quidem abjecisse, indigentia tamen simulque deiderio dilapidatæ rei familiaris, dupliciter dolere, tum niairum quod desint necessaria servitia, tum quod ea abjeisse pœniteat. Fieri enim non potest, nec secus unquam iat, ut cui desint necessaria quibus vitam sustentet, non nimo frangi atque a potioribus sollicita mente avocetur, um quovis modo aut undevis hæc parare conatur.

XIII. At quanto satius oppositum, ut per opes mediocres t ipse mala non toleret, et quibus oportet suppeditet. Quæ nim jam apud homines reliqua communicatio sit, si nemo uidquam habeat? Quomodo vero dogma hoc non aperte ugnet cum multis aliis ac præclaris, quæ Dominus sanxit ataque voluit? « Facite vobis amicos de mammona iniqui- » tatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna taberna- » cula[1]. Parate thesauros in cœlo, ubi neque ærugo neque » tinea demoliuntur, neque fures effodiunt[2]. » Quanam quis

[1] Luc. XVI, 9. — [2] Matth. VI, 19.

ratione esurientem alat, sitienti potum det, nudum contegat, peregrinum colligat, quæ nisi quis faciat ignem comminatur et tenebras exteriores[1], si quisque ipse prior horum omnium egenus extiterit? Quin et ipse excipi se hospitio a Zacchæo jubet et Matthæo, qui divites essent et publicani[2]. Ac quidem dimittere eos pecunias non jubet; sed adjecto justo judicio ablatoque injusto, subjungit : « Hodie salus » huic domui facta est, eo quod et ipse filius Abrahæ. » Sic vero laudat pecuniarum usum, ut cum hac adjectione communicationem præcipiat, potum dare sitienti, esurienti panem præbere, peregrinum suscipere, nudum vestire. Quod si hæc nemo munia absque pecuniis explere potest, jubetque ut divortio facto illas relinquamus; quid aliud, quam facit Dominus, quam ut eadem dare et non dare jubeat, alere et non alere, suscipere et non suscipere, communicare et non communicare? Quod omnium insulsissimum est.

XIV. Non ergo abjiciendæ sunt opes, quæ et in proximi cedant utilitatem : etenim possessiones dicuntur, quia earum ea indoles est ut possideantur; insuper opes appellantur quia opem ferunt, et humanis usibus sunt a Deo accommodatæ. Porro divitiæ ac opes præsto sunt subjacentque velut materia quædam et instrumentum, boni usus præstandi causa, his qui vim instrumenti sciant. Si ex artis rationibus utaris, artificiale est; si arte careas, imperitiæ tuæ labem contrahit, cum sit ipsum ab omni immune culpa. Tales divitiæ quoque sunt; instrumentum sunt. Potes iis uti justitia comite? ad justitiam ministræ sunt. Utitur quis illis ea non comite? ministræ rursus fiunt injustitiæ. Divitiis enim ex indole est ut inserviant, non ut præsint aut imperent. Cum igitur opes ex se neque bonum neque malum habeant, atque omni vacent crimine, haud ipsæ vituperandæ sunt; sed quod suo arbitratu, et a se illis bene aut

[1] Matth. xxv, 35. — [2] Luc. v, 29; xix, 5.

le uti potest mens scilicet humana ac judicii facultas, i liberum sit qua ratione uti velit illi ad usum concessis. mo igitur divitias et opes, et non magis affectus ac perbationes destruat, per quas non liceat uti facultatibus in num virtutis; quo nimirum bonus quis ac probus effec-, his quoque divitiis ac pecuniis probe exque honesti ione uti possit. Quod igitur cunctis opibus renuntiare emur, et ut quæ in censu sunt omnia vendamus; in ac modum intelligendum est, ut de affectibus animi ac rturbationibus dictum accipiatur.

XV. Ego certe illud etiam addiderim. Quandoquidem a quidem extra animam, alia intus inque anima sunt; ac uidem anima illis bene honesteque utatur, illa quoque na honestaque videntur; sin autem male, mala; num eso qui facultates abalienare jubet, has magis repudiat ibus sublatis adhuc vitia manent ac perturbationes, an ro illas quibus peremptis ipsæ quoque utiles divitiæ fiant? quidem igitur abjectis quis sæcularis fastus divitiis, vitiom adhuc ac affectuum segete dives esse potest, tametsi rena substantia ei non suppetit (cupiditas enim quod um est agit, animumque velut præfocat angitque et preit, alumnisque ac inolitis desideriis accendit), nihil plane profuit quod egenus divitiis factus est, qui vitiis et affecus dives sit: non enim ea abjecit quæ abjicienda erant, d quæ promiscui usus; ac sibi quidem servitia abstulit, atam vero libidinis vitiique materiam exteriori penuria ccendit. Renuntiandum ergo facultatibus quæ noxiæ sint, n iis rebus quæ, si quis rectum usum attenderit, condure etiam possint. Conducunt vero quæ prudentia comite sobrietate ac pietate dispensantur. Porro ea submovenda æ noxia: quæ autem foris sunt, ea nihil damni affent. Sic igitur Dominus etiam exteriorum usum insinuat, bens ponere non ea quibus vita sustentatur, sed quæ

illis male utantur, ægritudines animi vitiaque seu affectus.

XVI. Horum copia ipsa quidem suppetens, cunctis mortifera est; et si pereat, salutis causa est. Ab ea mundam, hoc est, pauperem nudamque animam præstare decet, sicque jam Salvatorem audire dicentem : *Veni, sequere me*[1]. Via enim ipse tunc fit habenti cor purum : in impuram autem animam Dei gratia non subit. Impura autem est quæ desideriis dives, multisque amoribus, iisque sæcularibus, fœta est atque parturit. Nam qui, possessionibus locuples, aurumque et argentum et domos tanquam Dei dona habet, Deoque largitori in hominum salutem ex eis obsequitur; novitque fratrum potius causa, quam in sui gratiam hæc se possideri; animoque quam pro illorum possessione præstantior, non ut servus hisque mancipatus, ea possidet; neque animo circumfert, nec eis vitam suam definit ac circumscribit, sed et honesti aliquid operis atque divini in laboris partem semper assumit, et si quando necesse fuerit illis privari, placido animo parique hilaritate eorum jacturam ferre potest ac abundantiam : hic ille est qui a Domino beatus prædicatur[2], et pauper spiritu vocatur, expeditus hæres regni cœlorum, non qui divitiarum impatiens earum cultu vivere non potest.

XVII. At qui fert opes in animo, et loco Spiritus Dei fert aurum in corde sive agrum, nulloque iis adhibito modo prædia et possessiones semper auget, ac quotidie alia pluraque animo cogitat, in terram pronus cernuusque, ac mundi laqueis irretitus, qui terra sit et in terram reversurus sit; unde is regni cœlorum desiderio accendatur ac ejus cura affici possit? homo scilicet, qui non cor, sed agrum aut metallum gerat, quem plane necesse sit in iis deprehendi quorum amore captus existit. Ubi enim est mens hominis, ibi et thesaurus ejus est[3]. Duplicem porro thesaurum novit

[1] Marc. x, 21. — [2] Matth. v, 3. — [3] Id. vi, 21.

minus : alterum bonum, « Bonus *enim* homo de bono thesauro cordis sui profert bonum : » alterum malum, Malus *enim* de malo thesauro profert malum : ex abundantia enim cordis os loquitur[1]. » Quemadmodum igitur thesaurus non unus apud eum, velut etiam se res in nobis habet, quo scilicet inopinato invento ingens lucrum offendenti præstatur; sed et alius est nullius frugis, nihilque expetendus, infaustæ possessionis atque damnosus : sic sunt itoque bonorum, deque malorum genere, divitiæ; siquidem divitias et thesaurum haud inter se natura dirimi scimus. Ac quidem erant divitiæ merito possidendæ ac amplexandæ, itemque ne dignæ quidem quæ possideantur ac respuendæ. Ad eumdem modum etiam paupertas spiritalis quidem beata prædicanda; unde et adjecit Matthæus, « Beati » pauperes[2]. » Quo id modo? Nimirum *pauperes spiritu*. Ac rursus : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam Dei[3]. » Igitur miseri pauperes contrariæ indolis, qui Dei expertes magisque expertes humanarum facultatum, Dei justitiam ne quidem delibarunt.

XVIII. Divites ergo qui difficile intrabunt in regnum cœlorum subtilius ac erudite intelligendi, non pravo sensu rusticiusque ac carnali intellectu. Non enim ita dictum est, nec in eis quæ foris sunt salus posita est, sive illa multa sive pauca sint, sive parva sive magna, sive laude clara sive obscura, sive probata sive reproba; sed in animi virtute, fide, spe et charitate; fraterno amore et scientia et mansuetudine et modestia et veritate, quorum præmium salus est. Neque enim vivet quispiam quod pulchro sit corpore, aut contra, peribit; sed qui caste exque divinis rationibus utitur concesso corpore, is vivet; qui vero Dei templum corrumpit, disperdetur[4]. Potest vero quis etiam deformis indulgere libidini, et qui pulcher sit, studere castitati. Ne-

[1] Matth. XII, 35. — [2] Id. v, 3. — [3] Ibid. 6. — [4] I Cor. III, 17.

que robur molesque ac proceritas corporis vitam afferunt nec membrum aliquod dat perniciem; sed causam in utrum que præbet, quæ his anima utitur. Sustine, inquit, si qui te in faciem cædit[1]; cui et robustus et prospera utens va letudine obaudire potest; et contra quis infirmus, menti petulantia ejus transgressor esse. Sic et rursus egenus qui dam et inops, cupiditatibus ebrius extiterit; quique divitii affluat, sobrius et egenus voluptatum, nempe obsequen animo, sedulus, cordatus, mundus, castigatus. Si igit quod potissimum primumque vitam est habiturum, anim est, eique vitam præstat, quæ illi virtus quasi adnascit atque comes est, vitium autem vitam perimit; aperte co stat, ipsam tum eorum egenam quæ quis divitiis labefact incolumem fore, tum iis affluentem quæ ex divitiis procliv inolescunt, interitu mergendam. Nec jam alibi quam in a mæ ipso statu et affectione, ut Deo obsequatur mundam que se præbeat, et ut transgrediendo mandata vitium a malitiam colligat, causam quæramus cur hæc ita utrinqu eveniant.

XIX. Vere igitur probeque dives est, qui fretus virtut bus est et quavis fortuna sancte et fide uti potest : fal autem dives, qui carne dives est, vitamque transtulit ad e teriorem substantiam quæ præterit atque interit, ac qua doque in alterius censum transit, et ad extremum nulli plane existit. Rursus eadem ratione est et verus pauper, spurius alius falsique nominis pauper existit : quorum nem alius pauper spiritu fit, quod est proprium; alius sæcul fastu, quod alienum. Mundi igitur fastu pauperi, ac q dives vitiis sit, non qui spiritu pauper et secundum Deu dives existat, Recede, ait, ab his quas in animo posside alienis facultatibus, ut mundo corde evadens videas Deum quod et alia verborum forma est, ut intres in regnum co

[1] Matth. v, 39. Luc. vi, 29. 2 Cor. xi, 20.

rum. Quonam vero modo ab eis recesseris? Vendendo. uid ergo? ita nimirum ut prædiorum pretio pecuniam repias? nempe opes opibus commutando, conflata quæ in alos incurrit substantia? Nequaquam. Sed ita ut loco rum quæ animo ante inerant, quem esse salvum cupis, ias divitias deificas vitæque æternæ pararias (ex divini ilicet ratione mandati consertos animi affectus) inferas; o quibus erit tibi merces ac perpetuus honor et salus æterque incorruptio. In hunc modum recte vendis quæ posles, multa illa et superflua, et quæ tibi cœlum occludunt, m illis commutans quæ salutem afferre possint. Illa habant carnali ritu pauperes et qui his indigeant: tu vero, ritalibus eorum loco receptis divitiis, thesaurum in cœlis beas.

XX. Hæc per metaphoram dicta non intelligens ille iltis pecuniis locuples et homo legalis [1], neque ut possit m et pauper esse et dives, et habere pecunias et non hare, necnon uti sæculo et non uti, abiit tristis et mœrens, icta vitæ sorte quam solummodo cupere, ac non etiam equi potuit; qui sibi nimirum quod arduum erat, impossile reddiderit. Arduum namque ac difficile non circumi animum et labefactari, affluentium bonorum floridaspecie præstigio prope obrepentium conspicuo censu ac itiis; non tamen impossibile cum his etiam nancisci salm, si quis, ab iis opibus quæ in sensum cadunt, ad eas ransferat quæ in mente intelliguntur, Deoque docente cuntur; noveritque bene uti illis quæ promiscui usus t, propriaque illi ratione et ut animi desiderio ad vitam rnam enitatur. Quin et discipuli, illi quidem primum re perculsi ac attoniti sunt. Quo nempe audito? num d ipsi quoque multas pecunias habebant? Verum ipsa que vilia retia hamosque ac piscatorias scaphas lintres-

[1] ide D. Guillon, p. 436 et seqq.

que jam olim reliquerant, quæ sola illis in censu erant. Quid ergo timentes aiunt, *Et quis potest salvus fieri*[1]? Præclare audierant, et ut discipuli, quod per parabo sensuque obscuriore a Domino dictum fuerat, ac sente altitudinem intellexerant. Et quidem quod attinet ad pec niarum abdicationem, bona spe consequendæ salutis fr erant : quod vero necdum se perfecte affectus viti exuisse sibi conscii erant (quippe nuper disciplina im recensque a Salvatore in familiam asciti) supra modum mis perculsi erant, suamque ipsi salutem, haud secus divitis illius habentis multas pecunias, direque animo familiari addicti (quam et vitæ æternæ prætulerat) in speratis habebant. Magno itaque illis timore dignum vi batur, si tum is qui pecunias haberet, tum qui affecti gravidus esset, in divitum censu habendi essent, ipsi perinde regno cœlorum ejiciendi forent. Animas enim i munes ab affectibus ac labe puras manet salus.

XXI. Dominus vero respondit : « Quod est imposs » apud homines, est possibile Deo [2]. » Et hoc rursus ma sapientiæ plenum est : idcirco nimirum quod homo ip se, suaque virtute operam ponens, studensque ac labor ut compressis affectibus tranquilli animi fiat, nihil i præstat : sin autem ejus desiderio vehementius inard diligentiamque omnem adhibeat, adjuncta illi divina tute evadet votorum compos. Deus namque volentibus mis aspirat. Sin autem a cœpta animi alacritate absce rint, etiam datus a Deo spiritus contrahitur. Invitis salutem afferre, ejus est qui vim afferat; volentibus a libero animi proposito, ejus qui liberaliter indulgeat. dormientium et in deliciis agentium est regnum cœlor *sed violenti rapiunt* illud [3]. Hæc enim sola bona viol Deo vim inferre, atque a Deo vitam rapere. Qui autem

[1] Marc. x, 26. — [2] Luc. xviii, 27. — [3] Matth. xi, 12.

eos qui strenue ac firmiter, imo qui violenter rei incum-
at, ejus copiam facit ceditque; gaudet enim Deus in his
vinci. Itaque cum hæc audisset beatus Petrus, electus
et eximius, primus ille discipulorum, pro quo uno et
pso Dominus tributum pendit[1]; sermonem confestim ra-
t vimque ejus comprehendit. Quid vero? ait : « Ecce nos
liquimus omnia, et secuti sumus te[2]. » Porro omnia, si
dicat quæ in censu habebat, relictis forsitan quæ tota
stantia esset quatuor obolis, magnifice glorietur, impru-
sque dignum horum præmium vicemque regnum cœlo-
n pronuntiet. Sin autem quas hactenus memoravimus,
eribus spiritualibus quasi facultatibus animique ægritu-
ibus atque vitiis projectis, magistri vestigia sequuntur;
vero jam illis connectat qui cœlis ascribendi sunt. Sic
im revera præstatur ut Salvatorem sequatur, qui illius
omni immunem noxa vitam colat ac perfectionem, qui-
e in illam velut speculum contuendo animum perornet
nponatque, ac in omnibus pares illi mores prorsus in-
at.

XXII. « Respondens autem Jesus, ait : Amen dico vobis,
ui reliquerit propria, et parentes et fratres et pecunias,
ropter me et propter Evangelium, recipiet centies tan-
um[3]. » At neque hoc vos turbet, nec quod adhuc durio-
us verbis alio loco editum est : « Qui non odit patrem et
atrem et filios, adhuc autem et animam suam, non po-
st esse meus discipulus[4]. » Non enim præcepit odium et
ortium a carissimis Deus pacis, qui et inimicos diligere
beat. Quod si inimici diligendi sunt, pari etiam ratione
eis ascendendo, qui sunt genere conjunctissimi; aut si
io habendi affines et cognati, potiori ratione rejiciendos
micos descendendo ratio edocet. Proinde alia aliam sen-
tiam liquido destruit. Annon invicem destruunt, neque

[1] Matth. XVII, 26. — [2] Id. XIX, 28. — [3] Marc. X, 29. — [4] Luc. XIV, 26.

ulla re adversantur, autve prope destruunt. Ex eo quippe affectu et animo, eademque regula patrem odio beat amando inimicum, qui nec inimicum ulciscatur, ne patrem plus Christo vereatur. In illo quidem verbo od resecat et voluntatem inferendi mala, in hoc vero nimi in conjunctos reverentiam, dum hæc saluti officiat. Si infidelis cuipiam pater aut filius aut frater extiterit, a horum quilibet fidei vitæque in cœlis consequendæ imp mentum præstiterit; huic ne consentiat, aut cum illo cordiam habeat, sed spiritualis inimicitiæ causa carn necessitudinem diluat.

XXIII. Rem arbitrator litis esse contestationem. quidem videatur astans pater dicere : « Ego te pro » navi, enutrivi; sequere me, pariterque inique age, » Christi legi obsequere, » ac quidquid aliud vir blasph et mortuus natura dixerit. Aliunde vero audi Salvator « Ego te regeneravi, qui male a mundo mortis victima » ses genitus : in libertatem asserui, sanavi, redemi. » Dei boni patris tibi vultum ostendam : noli patrem vo » super terram : mortui sepeliant mortuos : tu vero me » quere; sublimem enim ducam in requiem arcanoru » quæ nemo eloqui queat, bonorum; quæ oculus non v » nec auris audiat, nec in cor hominis ascenderunt[1], in » desiderant Angeli prospicere, et videre quæ præpa » Deus bona sanctis seque diligentibus filiis[2]. Ego nutr » tuus, qui me ipsum panem præbeam, quem qui gusta » nemo adhuc mortis periculum faciet; qui fundam quo » potum immortalitatis. Ego magister cœlo celsioris » trinæ ac disciplinæ. Pro te cum morte certamen desu » ac cujus reus pœnæ eras ob patrata delicta Deoque ne » tam fidem et incredulitatis crimen, ego exolvi. » Qui utrinque sermones audias, pro te ipse esto judex, in

[1] 1 Cor. II, 9. — [2] 1 Pet. I, 12.

e rem salutis ferto sententiam. Et si frater similia loqua-
r, et si filius, et si uxor, et si quivis alius, ante omnes
hristus in te vincat; quippe cujus ille gratia in arenam
escendat.

XXIV. Potes et pecuniis opponere. Dicito: « Sane non
vetat Christus ne possessiones habeam, non invidet Do-
minus. » At vides illarum te vinci libidine, et a mentis
tu ea te dimoveri? Dimitte, projice, odio habe, abrenun-
a, fuge. « Et si dexter oculus scandalizat te, *quampri-
mum* erue eum [1]. » Melius est cum uno oculo regnum Dei,
am integro ignis. Sive sit manus sive pes, sive anima,
be odio. Si enim hic Christi causa etiam pereat, futuro
ro ad vitam reparandam expecta.

XXV. Hunc sensum habent et quæ sequuntur. « Nunc,
in tempore hoc, agros, pecuniam, domos et fratres non
habere cum persecutionibus [2]. » Neque enim vocat ad vi-
am qui pecunia careant, qui sine lare et tecto, qui fratres
ullos habeant, cum vocaverit etiam divites; sed ut supra
iximus, fratres quoque illius cultos moribus, veluti Petrum
t Andream, necnon Jacobum et Joannem Zebedæi filios;
orum inter se concordes et cum Christo. Cæterum singula
æc *cum persecutionibus* habere non probat. Persecutio
ro alia quidem forinsecus obtingit, persequentibus ho-
minibus fideles et vel inimicitiæ causa, vel invidiæ, vel lu-
ri, vel suggestione diabolica. At gravissima persecutio est,
uæ oritur intrinsecus ex ipsa cujusque anima, depravata
mpiis desideriis variisque voluptatibus, necnon improba
ue inanibusque insomniis; quæ plura semper habendi cu-
iditate et ferinis amoribus rabida, æstuansque, objectis
elut stimulis aculeisque, affectibus, ac libidinibus, cruen-
etur ad furiosa studia, ad desperandam salutem Deique
pretionem. Persecutio hæc gravior est et acerbior, ex

[1] Matth. v, 29. — [2] Marc. xx, 30.

animo ipso prorumpens, semperque præsens, quam n
evitare potest qui illa appetitur : quippe qui hostem o
loco in se ipse circumferat. Similiter etiam quæ extrins
adhibetur, incensio ac tentatio, probationem operatur; q
vero intrinsecus oritur, mortem inducit. Bellum qu
accidentario ac velut casu externo agente conflatum, fac
dissolvitur; quod autem ipsi animo inest, ad mortem us
extenditur. Cum tali igitur persecutione si carnales div
habeas, si fratres carnales et alia pignora; omnem h
possessionem censumque in malum cedentem relinque,
ipse pacem præbe, prolixa liberare persecutione, ad Ev
gelium ab illis convertere, præ omnibus Salvatorem e
tuæ patronum ac solatium animæ, nullumque finem h
turæ præbitorem vitæ. « Quæ enim videntur, tempor
» sunt : quæ autem non videntur, æterna [1]. » Et in præs
quidem tempore caduca sunt nullaque firmitate fulta;
futuro autem æterna est vita.

XXVI. *Erunt primi novissimi, et novissimi, primi*
Multa hic locus habet reconditioris sensus, et quæ eg
explicatione; non tamen de illo impræsentiarum vert
quæstio. Non enim ad solos divites spectat, sed ad om
plane homines qui fidei semel nomen dedere [3]. Itaque h
modo supersedeamus quæsito : quod autem subjectum
gumento est ita demonstratum arbitror, ut satisfactum
datæ fidei; quod nempe Salvator ad ipsas divitias quod
tinet longeque copiosam substantiam, divites nullo m
excluserit aut eis salutem intercluserit, si modo possint
velint divinis inclinare mandatis, vitamque suam rebus te
poraneis præferant, necnon fixis in Dominum lumini
ejus ut boni gubernatoris nutum avida expectatione att
dant, quid velit, quid jubeat, quid mandet, quam suis na

[1] 2 Cor. IV, 18. — [2] Marc. X, 31.
[3] Vide D. Guillon, p. 440 et seqq.

det tesseram, quo tandem et unde cursum navigationis endat. Quid enim peccat aliquis aut nocet, quod ante sin susceptam animum adhibens ususque parcimonia, ntæ sufficiant ad honestam vitæ sustentationem sibi fa- lates paravit? aut, quod etiam a culpa remotius est, si tim a Deo præbente animam, in domum ejusmodi homi- a genusque copiosum inductus est, potens scilicet pe- ia et divitiis præstans? Si enim ejectus vita est, quod sponte sua inter divitias natus est, injuriam certe a Deo atore patitur, temporaria quidem prosperitate donatus, autem æterna privatus. Quorsum vero prorsus opus t opes e terra pullulare, si mortem importat ejusque tores existunt? Si quis tamen, quibus fultus divitiis est, potentia decedere animumque flectere potest, et mo- ste sapere atque sobrius esse, Deumque unum quærere ac um anhelare, et cum Deo conversationem habere: hic per præsto mandatis est, liber, invictus, nulla laborans itudine, nullo ex pecuniis vulnere. Sin minus, « facilius melus per acum ingredietur, quam dives ejusmodi in- bit in regnum cœlorum[1]. » Porro etiam altius quidpiam ificet camelus, per arctam ac coangustatam viam ante- ns divitem; quod Salvatoris mysterium in expositione cipiorum et theologiæ condiscere licet.

XVII. Verum exponamus primum de parabola quod s conspicuum est, et cujus gratia dicta fuit. Doceat lo- letes haud negligendam salutem, quasi ejus jam spes is illis sublata sit; nec vero rursus opes pelago mergen- aut improbandas, quasi vitæ insidiantes et inimicas: discendum, quomodo quave ratione illis utendum, et ut comparanda sit. Nam quia non omnino perit quis, ti- s quia dives sit; nec omnino salvus est, ea fiducia ac qua se salvum fore confidit: age consideremus, quam

[1] Matth. x, 25.

illis spem Salvator præscribat; et qua item ratione extra spem fore videtur pignoris loco fiat, quodque titur in adeptionem evadat. Ait igitur Magister, intertus quod sit maximum mandatorum : « Diliges Domi» Deum ex tota anima tua, et ex tota virtute tua[1]. » Hoc lum esse majus mandatum; et jure quidem optimo: de primo maximoque latum mandatum est, de ipso rum Deo, patre nostro, per quem facta sunt atque omnia, et ad quem rursus revertuntur quæ fiunt salv hoc igitur ante dilectos et conditos, nefas aliud quid tiquius ducere ac præstantius, quam ut hanc duntax guam gratiam maximorum munerum grata vice refer cum nihil aliud excogitari possit quod nullius egenti fecto Deo rependi a nobis possit; ipsaque ea ratio Patrem diligimus, quanta virtus ac facultas est, inco tionis munus consequamur. Quanto enim quis Deum diligit, tanto in Deum intimius quasi pervadit.

XXVIII. Alterum autem ordine, nec quidquam minus ait esse mandatum, « Diliges proximum tuum » teipsum[2]. » Ergo Deum supra teipsum. Percontante eo quocum illi sermo, « Et quis est meus proximus[3] eodem modo quo Judæi, definivit proximum, id est guineum, civem, proselytum, aut qui similiter circu sit, vel una eademque lege utitur; sed hominem inde procul ab Jerusalem descendat in Jericho : huncq tendit a latronibus confossum, projectum semivivum quem Sacerdos prætereat, Levites despiciat, Sama vero (spretus ille ac segregatus) misericordia imp venit autem non casu ut illic secus locum transiens, lis instructùs quæ sic versanti in periculo ac laboran erant, puta oleo, alligaturis, jumento; qui mercedem lario partim tribuat, partim se daturum polliceatur. «

[1] Matth. XII, 36, 37, 38. — [2] Id. XXII, 39. — [3] Luc. X, 29.

rum, *inquit*, fuit proximus ejus qui dira passus est? »
que respondente: « Qui fecit misericordiam in illum. Et
, *inquit*, vade, et fac similiter[1]: » quod videlicet charitas
eficentiæ parens sit.

XXIX. In utroque igitur mandato charitatem documento
it, ordine tamen ambo hæc distinxit: primasque chari-
partes Deo ascribit, secundas vero proximo tribuit.
vero alius fuerit quam ipse Salvator? aut quis illo ma-
nobis misericordiam impendit, a mundi scilicet rec-
tenebrarum vix non multis vulneribus, terroribus,
eriis, furoribus, mœroribus, fraudibus, voluptatibus
atis atque extinctis? Horum porro vulnerum medicus so-
est Jesus, qui radicitus vitia prorsus excindat, non sicut
nda effecta (pravarum fructus plantarum), sed qui ipse
securim malitiæ radicibus admoverit. Hic est qui vi-
(sanguinem vitis Davidicæ) sauciis animabus infudit;
ex visceribus Spiritus oleum adhibuit, abundantiorique
tate tribuit. Hic est qui sanitatis salutisque alligaturas,
tatem, fidem, spem insolubiles effecit. Hic est qui an-
et principatus et potestates, ut nobis ministerio fun-
ur, sub magna mercede subjecit; nam et ipsi libera-
ur a mundi vanitate in revelatione gloriæ filiorum Dei.
igitur æque diligere oportet ac Deum: diligit autem
tum, qui facit ejus voluntatem servatque illius man-
. « Non *enim* omnis qui dicit mihi, Domine, Domine,
trabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem
ris mei[2]. *Et*, Quid me dicitis, Domine, Domine, et non
itis quæ dico[3]? *Et*, Vos beati qui videtis et auditis quæ
e justi nec prophetæ viderunt[4]; » modo tamen feceritis
æ dico.

XX. Primus igitur hic est, qui Christum diligit; secun-

[1] ...uc. x, 36, 37. — [2] Joan. xiv, 23. Matth. vii, 21. — [3] Luc. vi, 40. —
[4] ...th. xiii, 23.

dum eum, qui ejus fideles honori habet ac colit. Quod ei in discipulum quis egerit, hoc in se Dominus factum a pit, ac quidquid illud est sibi ascribit. « Venite benedicti » tris mei, possidete paratum vobis regnum a constituti » mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; si » et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis » nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis m » carcere eram, et venistis ad me. Tunc respondebu » justi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurie » et pavimus te; et sitientem, et dedimus tibi po » quando autem te vidimus hospitem, et collegimus? et » dum, et cooperuimus? aut quando te vidimus infir » et visitavimus? aut in carcere, et venimus ad te? Et » pondens rex dicet illis : Amen dico vobis, quamdiu fe » uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis [1]. » vero e contrario, ad eos qui hæc non præbuerunt : « A » dico vobis, quamdiu non fecistis uni ex his minimis, » mihi fecistis. » Alio item loco : « Qui vos recipit, m » cipit : qui vos non recipit, me spernit [2]. »

XXXI. Hos vocat et filios et pueros et infantes et a et parvulos in præsenti, si cum futura illa in cœlis tudine conferantur. « Ne contemnatis, *inquit*, unum » pusillis; angeli enim eorum semper vident faciem » mei, qui est in cœlis [3]. » Alio quidem loco : « Nolite ti » pusillus grex : complacuit enim Patri dare vobis regn cœlorum. Hac ipsa ratione, etiam Joanne, qui maxim inter natos mulierum, qui minor est in regno cœl (suum nimirum discipulum) majorem esse dicit. Ac r « Qui recipit justum aut prophetam in nomine justi » prophetæ, illius mercedem recipiet : et qui potum ded » discipulo in nomine discipuli calicem aquæ frigidæ,

[1] Matth. xxv, 34, etc. — [2] Id. x, 40. Luc. x, 16. — [3] Matth. xviii, — [4] Luc. xii, 32. Matth. xi, 11.

perdet mercedem[1]. » Hæc igitur sola merces non peribit. Et rursus : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula[2]; » ...nimirum ut quidquid facultatum penes se quis possideat, ... esse proprium natura censum substantiamque pronun... Ex hac porro iniquitate licet etiam rem justam ac sa...tarem præstare ; ut nempe eorum aliquem reficias atque ...tentes, qui æternum apud Patrem tabernaculum nacti ... Vide primum quidem non jussisse ut a te exigi pa...ris, nec ut importunos tibi fore egenos sinas ; sed ut tu ...e quæras in quos beneficium sis collocaturus, et qui Sal...oris digni discipuli existant. Et præclare quidem ab Apo...lo : « Hilarem enim datorem diligit Deus[3] ; » qui largitate ...ectatur, nec seminando parcus existat, ut et ita parique ...bertate metat; sine murmuratione et distinctione, nullaque ...estitudine tribuat, quod præclaræ munus beneficentiæ ... Hoc autem melior est, quem Salvator dixit alio loco, *...mni petenti te, tribue*[4]. Dei namque vere ejuscemodi sic... facilis largitas. Cæterum doctrina hæc omni major est ...rfectione, ut nec expectes qui a te efflagitet, sed ipse in...iras quis dignus sit in quem beneficium conferas.

XXXII. Deinde tantam statuere mercedem erogationis, ...ernum tabernaculum ! o pulchram negotiationem[5] ! o di...um mercimonium ! Emit quis pecunia incorruptionem, ...tisque sæculi rebus quæ intereunt, præmii loco æternam ... cœlis mansionem recipit. Tu qui dives es, ad has, si sa...is, navigationem institue nundinas. Si necesse sit, terram ...nem peragra. Ne parcas periculis ac laboribus, ut quam...iu præsens agitur vita coëmas regnum cœlorum. Cur te ...deo recreant lapilli pretiosi et smaragdi, domusque ignis pabulum, sive temporis ludibrium, aut terræ motus aliud

[1] Matth. x, 41. — [2] Luc. xvi, 9. — [3] 2 Cor. ix, 7. — [4] Luc. vi, 30.
[5] Vide D. Guillon, p. 441.

agentis excidium, aut tyranni injuria? in votis habeto c[illegible] lorum habitaculum et ut regnes cum Deo. Hoc tibi reg[illegible] homo dabit, Deum imitans. Hic, quæ parva sunt accep[illegible] ibi te per omnia sæcula contubernalem efficiet. Supplica[illegible] accipiat: festina, enitere; time ne te ille spernat. Nec e[illegible] is in mandatis habet ut accipiat, sed tu ut præbeas. Q[illegible] ne hoc quidem dixit Dominus, Dato, præbe, benefic[illegible] utere, auxilio fove, sed, *Fac amicum*[1]. Amicus autem, [illegible] una largitione seu munere, sed longa familiaritate pr[illegible] tur. Nam neque fides aut charitas aut tolerantia unius [illegible] est, sed « qui perseveravit usque in finem, salvus erit[2]. [illegible]

XXXIII. Quonam igitur modo homo hæc tribuit? [illegible] enim non solum amicis, verum etiam amicis ami[illegible] Ecquisnam vero hic est Dei amicus? Tu quidem n[illegible] j[illegible] dicare quis dignus aut indignus sit; fieri enim potest [illegible] opinione tua errore labaris. Sic vero in proclivi cum sit [illegible] ror, melius erit ut et indignis benefacias propter dig[illegible] quam ut, dum caves indignos, ne in eos quidem qui h[illegible] merentur incidas. Dum enim nimia cautione uteris, v[illegible] risque probare quinam merito necne accepturi sint, c[illegible] tingit ut Dei amicos colere negligas; cujus neglectus p[illegible] æternum ignis supplicium existit. Quod vero omnibus [illegible] indigeant deinceps præbeas, necesse omnino etiam aliq[illegible] nancisci, qui apud Deum salutem conciliare queat. « N[illegible]
» *itaque* judicare, ut non judiceris : qua mensura me[illegible]
» fueris, remetietur tibi. Mensura bona, conferta et co[illegible]
» tata, et superfluens reddetur tibi[3]. » Cunctis aperi visc[illegible] qui Dei discipulorum numero ascripti sint; non fastid[illegible] conjectis in corpus oculis, nec ita ut pro ætate aut stat[illegible] orisque compositione neglectim quemquam habueris. S[illegible] quis denique egenus, pannosus, deformis, debilis videat[illegible] ne idcirco inique feras aut averseris. Habitus hic nobis ex-

[1] Luc. XVI, 9. — [2] Matth. X, 22. — [3] Id. VII, 1. Luc. VI, 38.

mius adhibitus est, nostri in mundum ingressus occasio, in communem hanc scholam ingredi possemus; sed in- s inhabitat qui absconditus est Pater, et Filius ejus, qui o nobis mortuus est et nobiscum resurrexit.

XXXIV. Hic habitus oculis objectus, mortem decipit Diabolum : quibus nimirum interior opulentia (decor licet) inaspecta sit; et circa corpusculum furore agitan- r, ut imbecillum contemnentes, qui ad interiores animi- e contuendas opes cæci sint; non intelligentes quantum *saurum in testaceo vase*[1] feramus, Dei Patris virtute, ique Filii sanguine, necnon Spiritus sancti rore commu- ium. Tu vero cave ne decipiaris, qui veritatis gustum fe- is, magnæque redemptionis pretio dignus habitus sis : d contra quam faciunt reliqui homines, coge tibi exer- itum inermem, ad bella ineptum, fundendi sanguinis ne- cium, ira vacuum, incontaminatum; senes pietate præ- antes, pupillos religiosis moribus, viduas mansuetudine structas, viros charitate ornatos. Tales divitiis tuis, corpo- que et animo tibi para satellites, quorum Deus imperator stat; per quos ipsa prope mergenda navis emergat, quam le levent sanctorum preces; vigensque morbus edome- r, quem fugent crebro injectæ manus; ac latronum in- tus inermis fiat, piis precibus despoliantibus; visque pos- mo dæmonum frangantur, contenta mandatorum opera tenore iners comprobata.

XXXV. Hi omnes milites ac custodes strenui. Nemo tiosus, nemo inutilis. Hic quidem a Deo te tuamque sa- tem efflagitare potest, ille vero laborantem solari; alius crymas et gemitus miserante affectu in tui gratiam ad niversorum Dominum fundere, alius quidpiam eorum æ ad salutem conducunt docere; alter libere admonere c corripere, alter benevole consilium dare; omnes deni-

[1] 2 Cor. iv, 7.

que vere, sine dolo, nullo timore, nulla simulatione si-
ve adulatione, nihilque ficte amare. O dulce amicorum
sequium! o beata servitia eorum qui fiducia polleant!
sincera fides eorum qui solum Deum timeant! o ve-
rum veritas apud eos qui mentiri non possunt! o pul-
illorum opera, quibus constitutum est ut Deo minis-
Deum flectant, Deo placeant, non carnem tuam im-
amore contingant! ut loquantur, ita tamen ut cum
sæculorum, qui in te habitet, sermonem habeat.

XXXVI. Omnes itaque fideles, probi, divinisque m-
bus instituti, atque ea digni nuncupatione, qua velut d-
mate corona inclyta redimiti sunt. Enimvero non d-
qui et jam inter electos majori electis præstantia fu-
eoque magis illustres sint, quo velut ad portum ex
procella seipsos subducant, resque suas in tutum reci-
qui sancti videri nolunt; ac si quis nuncupaverit, eru-
cant: qui imo ipso pectore ineffabilia mysteria abscon-
suamque nobilitatem humanis oculis objici contem-
Hos nimirum Scriptura, *lumen mundi* et *sal terræ* vo-
Hoc nempe semen (Dei scilicet imago et similitudo, ve-
ejus proles et hæres) velut in exilium quoddam ac pe-
nationem magno Patris propensiore consilio congruaq-
ratione ac sorte huc mittitur: quo auctore mundi res,
oculis expositæ, tum occultæ conditæ sunt: aliæ q-
eorum obsequiis deditæ, aliæ vero ipsorum exercendi
tia excolendæque virtutis atque aliæ doctrinæ causa
stitutæ: cunctaque continentur ac conservantur, quoad
men mortali hoc statu manserit: quo collecto cele-
dissolvenda sunt.

XXXVII. Quid enim Deo amplius necessaria charit-
mysteria? Tuncque adeo Patris sinum inspicies, quem so-
lus enarravit unigenitus Filius Deus. Est autem et Deus ip-

[1] Matth. v, 13, 14.

haritas [1], qua et venatu prope a nobis captus est. Et quidem cana deitate Pater; qua vero nos misericordia persecutus st, extitit mater. Pater diligendo, quasi fœminam induit; ujusque rei grande indicium est, quem is ex se genuit: ac ui ex charitate prognatus fructus, ipse charitas est. Propr hoc et ipse descendit: propter hoc hominem induit: opter hoc volens humana passus est, ut imbecillitati nos- sese commetiens, cum dilexisset, suæ nobis virtutis ensuram modumque vicissim rependeret. Jamque immodus, ac cum se pretium redemptionis daret, novum no- Testamentum reliquit. Dilectionem meam do vobis. nam vero hæc et quanta! Pro unoquoque nostrum anim posuit, cujus majus omnibus pretium existit. Hanc, alter pro altero ponamus, a nobis exigit. Quod si pro fraibus ponere animas debemus, atque hoc cum Salvatore cissim pacti testamentum sumus, adhucne quæ sæculi nt, egena illa et aliena et affluentia continebimus ac redemus? Alter alteri clausa habebimus, quæ brevi post umenda ignis habebit? Divine seduloque Joannes: « Qui on diligit fratrem, *inquit*, homicida est [2]: » semen Cain, mnus Diaboli: Dei viscera non habet, spem potiorum n habet: sine semine est, sterilis est: non est palmes in rpetuum viventis supercœlestis vitis: excidetur, eumque si ignis vorax manet incendium.

XXXVIII. Tu vero præcellentem viam condiscito, quam endit Paulus deducentem ad salutem. « Charitas non quærit quæ sua sunt [3], » sed in fratrem effusa est: ita in illum rsa est, casto ejus amore insanit. « Charitas operit multi» tudinem peccatorum: perfecta charitas foris mittit timo» rem: non agit perperam, non inflatur, non gaudet super » iniquitate; congaudet autem veritati: omnia suffert, om-

[1] Vide D. Guillon, p. 441 et seqq.
[2] 1 Joan. III, 14. — [3] 1 Cor. XII, 32, et XIII, 5.

» nia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nu
» quam excidit. Prophetiæ evacuantur, linguæ cessant, c
» rationes in terra deficiunt; manent autem tria hæc, fid
» spes, charitas; major autem inter hæc est charitas [1]. s
merito; fides enim transit, cum ipsis nostris oculis vide
Deum credemus. Spes quoque evanescit, illorum consp
quæ in spe posita sunt. Charitas vero in complement
pariter venit, et augetur magis, ubi perfectio advenerit.
quis illam in animum susceperit, quamvis peccatis
noxius sit, quamvis multa illicita perpetraverit, au
charitate puraque adhibita pœnitentia, errata sua corrig
potest. Nam neque hoc tibi deesse velim, ut despera
mumque despondeas; ut et divitem noveris quis ta
ille sit qui locum in cœlis non habeat, quove is mod
facultatibus utatur.

XXXIX. Si quis tum abundantes divitias, tum pen
quo ægre vitam sustentet, evaserit, æternaque bona
clive assequi potuerit, sed vel forte per ignorantiam
vitæ casus involuntarios, post signaculum et liberatio
a peccatis, in peccata seu debita prolapsus fuerit, ita ut
prorsus obrutus sit; is a Deo penitus rejectus est, et r
bus existit. Quisquis enim ex toto corde ad Deum con
tatur, portæ ei apertæ sunt, suscipitque libentissimo a
Pater filium vere pœnitentem. Vera autem pœnitentia
in eadem non rursus delabi, sed ex animo prorsus eve
quibus se mortis reum peccatis agnovit. His enim sub
in te rursus Deus habitabit. Ingens enim et incompar
gaudium festamque lætitiam in cœlis esse Patri dicit
angelis, dum unus peccator convertitur et pœniten
agit [2]. Idcirco etiam clamabat: « Misericordiam volo, et
» sacrificium. Nolo mortem peccatoris, sed ut eum p
» teat. Si fuerint peccata vestra ut lana phœniceo tinc

[1] 1 Pet. IV, 8; 1 Joan. IV, 18; 1 Cor. XIII, 4. — [2] Luc. XV, 2.

quasi nivem dealbabo; et si fuerint nigriora fuligine, ut nivem alba abluendo præstabo [1]. » Solus enim Deus pec-ta potest dimittere, et delicta non imputare : quando-idem nobis etiam Deus præcipit, ut pœnitentibus fratri-s quotidie dimittamus [2]. Quod si nos, cum simus mali, vimus bona data dare [3]; quanto magis Pater misericor-rum, bonus ille Pater totius consolationis, misericordiæ eribus totus affluens, et multum misericors, longa pro-ise uti patientia habet, et eos qui convertuntur expectat? re autem converti a peccatis, est peccandi finem facere, c ultra ad ea quæ sunt retro respicere.

XL. Præteritorum igitur quidem veniam concedit Deus; sequentia autem ut non incidat, sibi quisque auctor exis-t. Et hoc est pœnitere, de transactis dolorem habere, eque a Patre memoria deleri flagitare; qui unus omnium test misericordia sua, infecta facere quæ facta sunt, ac ritus rore abolere superioris vitæ delicta. « In quibus im, *ait*, vos invenero, in eis judicabo [4] : » ac quotidie ersalem finem clamat; ita nimirum ut et qui optimam erit vitam, ad extremum autem ad malitiam vitiaque exerit, nihil jam anteactæ vitæ laboribus juvandus sit, ad finem lusæ fabulæ palæstra excesserit; et contra, antea male dissoluteque vixit, si ejus illum pœniteat, lti temporis vitam perditam, assumpta postmodum pœ-ntia, ejusque abrepto propositi vigore, exuperare po-t. Longe accurata vero opus diligentia est, sicut et longa ritudine affectis corporibus exquisitior diæta majorque tio necessaria est. Vis, o fur, tibi scelus dimitti? desine rari. Qui adulter est, non amplius libidinis faces admit-t. Qui fornicarius et constuprator, deinceps caste vivat. ui raptor es, redde, et quidpiam plus addito. Testis falsus,

[1] Osc. vi, 6. Matth. ix, 13. Ezech. xviii, 23. Isai. i, 18; Luc. v, 21. — Matth. vi, 14. — [3] Luc. xi, 13. — [4] In Evang. Apocr.

que prorsus abjecta spe salutis ex Deo consequendæ, ultra mediocre animo designabat; sed grandi aliquo perpetrato facinore, quod semel perierat, pari reliquis exitu vixdum reluctantibus animis cogitabat. Illis igitur ipsis sumptis, institutoque latronum collegio, dux ipse latro haud segniter erat; violentia, cædibus atque atrocitate tos superabat. Aliquanto post tempore, cum novi necessarii operis aut negotii incidisset, iterum ad bem accitus est Joannes. Qui cum venisset, et cuncta rum gratia venerat ordinasset : « Agedum, *inquit*, Epi» pe, redde nobis depositum quod ego pariter et Chri» tibi commendavimus, sub ecclesiæ cui præes præ» ipsaque coram teste. » Ad hæc episcopus primo morari ac attonitum esse, cum existimaret pecuniam, non accepisset, a se per calumniam repeti : et sicut bere fidem, ut se habere existimaret quæ non habebat, nec Joanni diffidere audebat. Sed ubi Joannes « Juve» *inquit*, repeto et fratris animam ; » alto senex ducto pirio, vultumque lacrymis affusus, « Is, *ait*, mortuus » Quomodo, *inquit Joannes*, ac quo mortis genere? » *ait ille*, mortuus est. Malus quippe evasit et perdi» quod maximum, latro : nuncque adeo pro ecclesia » tem occupavit, cum latronum pari satellitio. » His Apostolus scissa veste, et cum ingenti gemitu caput feri« Bonum te, *inquit*, animæ fratris custodem con» Sed jam mihi præsto sit equus et aliquis ductor itine Inde ab ecclesia ita ut erat, concito equo iter prop Cumque ad locum venisset, ab iis qui excubias ag latronibus capitur; non ille fugam petens, aut veniam precans, sed clamans : « In hoc ipsum veni, ad vestrum » ducem deducite. » Is vero ut erat armatus interim ex tabat. Sed ubi accedentem agnovit Joannem, præ pu in fugam versus est. At Joannes totis viribus concito

tis oblitus, hominem persequi institit, identidem clamans: « Quid me patrem tuum, fili, fugis inermem, seniculum? Miserere mei, fili; noli timere; adhuc tibi superest vitæ ac salutis spes. Ego pro te Christo rationem reddam. Si sit opus, tuam ipse libens mortem sustinebo, quemadmodum Dominus pro nobis mortem tulit. Animam meam pro tua vicariam dabo. Sta modo, et crede. A Christo missus sum. » His ille auditis, primum quidem vultu in terram demisso, substitit : deinde, projectis armis, acerbe flere cœpit. Accedentem vero senem complexus, gemitu ac lamentis, quam maxime poterat, crimen luebat, et lacrymis velut altero quodam baptismo expiatur, solam dexteram occultans. Tum Apostolus spondens jeransque veniam se illi a Salvatore nactum esse, oransque ac in genua provolutus, ipsam juvenis dexteram, velut m pœnitentia expiatam, exosculans, ipsum in ecclesiam duxit. Exinde, partim crebris orationibus Deum deprems, partim continuatis una cum juvene jejuniis simul certans, variisque denique sermonum illecebris animum demulcens, non prius destitit (ut aiunt) quam illum na constantia Ecclesiæ gremio admovisset; magno veræ nitentiæ exemplo exhibito, grandique iteratæ generatioi documento, et futuræ resurrectionis trophæo (quando consummatione sæculi angeli vere pœnitentes in superlestia habitacula deportabunt); hinc angeli læte gestien, laudantes, cœlos aperientes : præ cunctis vero ipse lvator obviam factus humanissimo suscipit, lucem præs quam nullæ offuscant tenebræ, nec tempora ulla inimant: ductor ipse in sinum Patris, in vitam æternam, regnum cœlorum ita parans. Ista quis credat, fidemque Dei discipulis, tum Deo sponsori habeat; Prophetia, Evangeliorum, Apostolorum dictis. Qui in his vitam uat, auremque præbeat atque opera exerceat, sub ipso

excessu dogmatum finem ipsamque exhibitam veritatem conspiciet. Qui enim pœnitentiæ angelum plane recipit, haud eum tunc ulla pœnitudo incedet, cum corpus reliquerit; nec confundetur, dum Salvatorem cum majestate sua exercituque venientem viderit; nullus ignis externi metus. Sin autem quispiam eo animo sit ut manere ac quotidie in voluptatibus volutans delinquere velit, præsentisque vitæ delicias æterna vita potiores ducat, atque a Salvatore veniam indulgente mentis sensu abhorreat; is neque Deum neque divitias, nec quod ante lapsus sit in crimen vocet, sed suam ipsius animam quæ ipsa sponte intereat. Ei vero cui cura salutis est ac inspectio, eamque desiderat, ac præ efflictim vimque ipse adhibens præbere rogat, Pater ille qui est in cœlis, veram emundationem vitamque tribuet nulli mutationi obnoxiam; cui cum Filio Jesu Christo, qui vivorum et mortuorum Dominus est, per Spiritum sanctum sit gloria, honor, potestas, æterna majestas, nunc et semper, et in generationes generationum, inque secula seculorum. Amen.

ANNOTATIONES.

CONCORDANTIA

LATINÆ COLLECTIONIS ET BIBLIOTHECÆ GALLICÆ.

LLECTIO LATINA TOM. III.	BIBLIOTHECA GALLICA, TOM. I.
Irenæi Lugdun. episcopi et yris *Contra Hæreses* liber us magnam in partem edi- pag. I usque ad pagin. 60.	S. Irenæi Contra Hæreses libri quinti summa analytice exponitur pag. 169.
agmentum Epistolæ ad Flo-n, pag. 49.	Ejusdem Epistolæ breviarium pagin. 152, 153.
NUTIUS FELIX. *Octavius*, 64. moratis hujusce libri ver- bus addatur : Octavium edi- uper et notis illustratum tino in Gallicum convertit on. Pericaud Lugdunensis, me admodum et eleganter; Lugdun. 1823.	Tom. III a pag. 269 ad pagin. 328.
CLEMENS ALEXANDRINUS.	
tatio ad gentes, pag. 119 et	Tom. I, pag. 375-391.
dagogus, pag. 216 et seqq.	*Ibid.* pag. 420-433.
ber ; *Quis dives salvetur?* 446.	*Ibid.* pag. 433 et seqq.

ANNOTATIO GENERALIS.

lectorum memoriam revocare operæ pretium duximus ad ligentiam locorum ex sacra Scriptura desumptorum, præter

textum Hebræorum, varias extitisse versiones, unde tum textu
tum loci ex quibus desumuntur non omnino, vel quoad sensum
aliquando, vel aliquando quoad versuum distinctionem, concor
dant. Nota est omnibus pro Græca lingua *Septuaginta Inter*
pretum versio; nota est pariter pro Latino idiomate *vetus Italica*
nota denique præsertim, quæ *Vulgata* nuncupatur. Hinc al
quando accidit, quod citationes ex Græcis scriptoribus desump
cum Vulgata nostra non concordes reperiantur, cum vel He
braïco textu vel Septuaginta Interpretum versione hic vel i
usus fuerit. Eadem quoque divergentia reperiri potest in La
tinis scriptoribus, quorum plures *veterem Italicam* usurpar
Manifestum autem præsertim hoc discrimen deprehenditur
psalmis : nam, ut omnes norunt, idem apud Hebræos et Lat
psalmorum numerus, sed non eadem distinctio. Psalmus no
ab Hebræis in duo scinditur, et decimus ad hæc verba incipit ve
vigesimi secundi : *Utquid, Domine, recessisti*, etc. Scinditur pa
ter ab iisdem psalmus centesimus decimus tertius ad hæc verba
Non nobis, Domine, non nobis, etc. Sed cum psalmus CXIV et CXV
pariterque CXLVI et CXLVII in unum copulent, nobiscum i
eumdem psalmorum numerum desinunt. Apud S. Clementem
alios Græcos, qui nec *veterem Italicam* nec *Vulgatam* nosse
terant, ad textum Græcum vel Hebraïcum, cum vel de psal
vel de aliis libris agitur, recurrendum est.

Annot. (1), pag. 169.

Nonnullis visum est Clementem his verbis pingendi artem
reliquas ei similes, ut illicitas penitus damnare; quemad
dum etiam Strom. vi : « Qui divina opera sibi vindicat per
» gendi vel pingendi artem, dicens se esse effectorem ani
» tium et plantarum, » dicitur quodammodo præceptum vi
quo furtum prohibetur. Et Pædagog. lib. iii, cap. ii, pe
dicit mulieres quæ faciem suam in speculis contemplantur,
Moses prohibuit *facere imaginem Deo similem*. Quinetiam
tullianus Adv. Marcion. lib. iv, cap. xxii, ait Apostolos « M
» et Heliam *apparentes* non cognovisse nisi in spiritu. Nec
» imagines eorum vel statuas populus habuisset, et simili
» nes, Lege prohibente. » Idem lib. de Idololatr. cap. iv et se
detur dicere Mosen vetasse fieri quamvis cujusvis rei simili
nem. Et lib. de Spectaculis, cap. xxiii : « Jam vero, *inquit*, ip

opus personarum, quæro an Deo placeat, qui omnem similitu-linem vetat fieri, quanto magis imaginis suæ?» Origenes etiam). IV, adv. Cels. dicit inter Judæos nullum fuisse « pictorem, nec statuarium, legibus totum hoc genus arcentibus, ne qua occasio *idololatriæ* præberetur hominibus crassis. » Id præ-rea Chrysostomus affirmat, alios ut prætercam. Verumtamen, emadmodum Judæis signa et imagines in templo Salomonis int, ita nec prædicti Patres ea illicita esse judicabant extra rinum cultum et idololatriæ periculum. Proinde Tertullia-s memorat *picturas calicum* sacrorum, in quibus Christus storis habitu una cum ove insculpi solebat, lib. de Pudicit. p. VII et X. Et Clemens figuris variis annulos Christianorum scribi permittit Pædag. lib. III, cap. XI. Qua vero patientia Patres ejusmodi figuris divinum cultum tribuentes eos cons-xissent qui se Christianos profitentur?

ANNOT. (2), pag. 290.

Persa, nempe Xerxes. Athenæus lib. XIV, cap. XVIII : « Carica-rum ex Attica magnum pretium fuit. Dinon in Persicis scribit, nensæ regiæ apponi solita cibaria, primitiarum instar, quæ-umque regiones proferunt ejus ditioni subditæ, peregrino vero ut cibo aut potu sibi utendum nunquam reges priores existi-nasse, promulgato de illo instituto postea lege : at cum ex eu-nuchis quidam inter reliqua bellaria caricas ex Attica regi ap-posuisset, percontatum unde essent; ubi rescivit Atticas esse, vetuisse emptores rerum in foro venalium quidquam ex iis nercari vel emere, donec sibi tantum sumptum fuisset quan-um vellet. Fama est ab eunucho de industria id factum, ut expeditionis regem commonefaceret, quam destinabat adversus Athenienses. »

ANNOT. (3), pag. 382.

Hæc Isaiæ verba non de passione Christi, sed naturali cor-oris infirmitate interpretantur cum alii Patres, tum etiam Cle-mens, Stromatum II et lib. III. Tertullianus, de Idololatr. cap. III de Christo dicit : « Vultu, denique, et aspectu inglorius, sicut Esaias pronuntiaverat. » Idem adv. Judæos cap. XIV : « Ne aspectu quidem honestus. Annuntiamus enim, inquit, de illo sic-ut puerulus, sicut radix in terra sitienti, et non erat ei species

» neque gloria. Et vidimus eum, et non habebat speciem ne-» que decorem; sed species ejus inhonorata, deficiens circa » filios hominum, etc. » Similia dicit lib. de Patientia cap. III et lib. III adv. Marcionem. Origenes lib. VI contra Celsum : *Convenienter ergo scriptum est deforme fuisse corpus Jesu*, etc. Augustinus, in Psalm. XLIII : « Ut homo, non habebat speciem neque » decorem; sed speciosus forma ex eo quod est præ filiis ho-» minum. » Conf. idem in Psal. CXXVII.

Annot. (4), pag. 397.

Augustinus lib. XXXII contra Faustum cap. XIII : « Si hoc tunc » Apostoli præceperunt, ut ab animalium sanguine abstinerent » Christiani, ne præfocatis carnibus vescerentur, elegisse mihi vi-» dentur pro tempore rem facilem et nequaquam observantibus » onerosam, in qua cum Israelitis etiam Gentes propter angula-» rem illum lapidem duos parietes in se condentem aliquid com-» muniter observarent. Transacto vero illo tempore quo illi duo » parietes, unus ex circumcisione, alter ex præputio venientes, » quamvis in angulari lapide concordarent, tamen suis quibusdam » proprietatibus distinctius eminebant; et ubi Ecclesia Gentium » talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat : quis » jam hoc Christianus observat, ut turdos, vel minutiores avi-» cillas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est, aut lepo-» rem non edat, si, manu a cervice percussus, nullo cruento vul-» nere occisus est. Et qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, » a cæteris irridentur. » Collect. Mox respicit Gen. IV, 10, ubi dicit *sanguinem* humana figura *nudum* ad *Dominum loqui* : quod de sanguine Abelis refertur.

Notandum insuper Clementem Alexandrinum passim docere : 1° Angelos Dei reliquisse pulchritudinem propter pulchritudinem mulierum, ut videre est pag. 390; 2° religione prohiberi ne vir ad mulierem gravidam accedat, ut legitur pag. 335, et pariter in Stromatibus : quæ quidem assertiones, utpote evidenter falsæ, prolixiori nota non indigent.

INDEX TOMI TERTII.

S. IRENÆUS.

MINUTIUS FELIX.

S. CLEMENS ALEXANDRINUS.

EXPLICIT INDEX.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

PATRES TERTII ECCLESIÆ SÆCULI.

IV.

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO COSSON,
VIA VULGO DICTA S.-GERMAIN-DES-PRÉS, N° 9.

COLLECTIO

SELECTA

ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

UM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. CAILLAU,

MISSIONUM GALLICARUM PRESBYTERO,

ET NONNULLIS CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE,
PRÆDICATORE REGIO, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:
BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

TOMUS QUARTUS.

BRUXELLIS,

APUD MÉQUIGNON-HAVARD, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE LA CHANCELLERIE.

M. DCCC. XXIX.

SANCTI CLEMENTIS
ALEXANDRINI
STROMATUM
LIBRI SEPTEM.

LIBER PRIMUS.

Primi Stromatum libri desideratur initium, sed directum videtur ad familiarem quemdam vel magistrum, qui perlectum illum ad alios transmittere curaret. Totus post exordium in eo versatur auctor, ut doctrinam christianam philosophorum doctrina vetustiorem demonstret.

ARTICULUS PRIMUS.

EXORDIUM.

1°. Antequam argumentum aggrediatur, de docentibus simul et discentibus paululum agit. Docentes quidem ad disseminandam scientiam sic adhortatur:

Pulchrum[1] esse et honestum existimo, iis etiam qui postea futuri sunt, bonos filios relinquere. Ac filii quidem corporum, animæ autem liberi sunt scripta; jam patres eos dicimus, qui nos catechesi instituerunt. Philosophia autem humana est, et se lubenter communicat. Dicit ita-

[1] Pag. 316 et seq.

que Salomon : « Fili, si susceptam præcepti mei dictionem » apud te absconderis, exaudiet sapientiam auris tua[1]. » Sermonem, qui seminatur, in ejus, qui discit, anima abscondi dicit, tanquam in terra : et hæc est plantatio spiritalis. Unde etiam infert : « Et applicabis cor tuum ad intelligen- » tiam : applicabis autem ipsam ad admonitionem filio tuo. » Anima enim animæ, et spiritus spiritui copulatus, per sermonis seminationem id, quod in terram fuerat conjectum, augent et vivificant ; filius autem est, quisquis eruditur, quatenus ei, a quo eruditur, morem gerit : « Fili, *inquit,* » præscriptorum meorum ne obliviscaris[2]. » ... Jam autem cernitur ipse Servator, qui ex redundanti copia, pro ejus qui accipit viribus, quæ ex exercitatione servis augentur, facultatates distribuerat, reversus cum eis ut rationem iniret, quando iis quidem, qui ejus pecuniam auxerant, qui in modico fuerant fideles, acceptis, eos super multa constituturum pollicitus, in Domini gaudium jussit ingredi : ei autem, qui pecuniam ad fœnerandum creditam occultaverat, et eam ipsam, quam acceperat, absque ullo emolumento reddebat : « Serve, *inquit,* nequam et ignave, oportebat te » pecuniam meam dare nummulariis, et ego veniens meum » recepissem. » Propter hæc servus inutilis injicietur in *tenebras exteriores* [3]. « Tu ergo fortis esto, *ait quoque Paulus,* » in gratia, quæ est in Christo Jesu ; et quæ audiisti a me » per multos testes, ea committe fidelibus hominibus, qui » quidem idonei erunt alios quoque docere [4]. » Et rursus : « Stude te ipsum Deo probum exhibere, operarium incon- » fusibilem, recte tractantem verbum veritatis[5]. » Si ambo ergo verbum prædicant, hic quidem scripto, ille vero voce : quomodo non sunt ambo admittendi, qui effecerunt, ut fides operetur per dilectionem ?

[1] Prov. II, 1, 2. — [2] Ibid. III. 1. — [3] Matth. XXV, 14, et Luc, XIX, 12. — [4] 2 Tim. I, II. — [5] Ibidem, 15.

Discentes autem de scientiæ pretio sic admonitos orat [1]:

Qui in verbis veritatis germane et sincere sunt educati, accepto vitæ æternæ viatico, sublimes in cœlum feruntur.

Utrosque autem, adhibito Eucharistiæ exemplo, sive ad seminandum, sive ad accipiendum verbum, dignis animi sensibus accedere jubet:

Necesse est ergo utrosque eos probare seipsos: illum quidem, an dignus sit, qui dicat et monimenta relinquat: hunc vero, an jure possit audire et legere. Quemadmodum Eucharistiam cum quidam, ut mos est, diviserint, permittunt unicuique ex populo ejus partem sumere. Ad accurate enim perfecteque eligendum ac fugiendum, optima est conscientia. Firmum autem ejus fundamentum, est recta vita, cum ea, quæ convenit, doctrina: et sequi alios jam probatos, et qui se recte gesserunt, optimum est, et ad veritatem intelligendam, et ad exequenda mandata. «Quamobrem qui comederit panem, et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem homo seipsum, et sic de pane edat, et de calice bibat [2].» Consequens est ergo [3], ut qui ut proximis prosit curam suscipit, consideret, numquid audacter ac temere, et aliqua æmulatione, ad docendum prosiluerit, num gloriam ex eo aucupetur, quod doctrinam suam communicat: num hanc solam respiciat mercedem, eorum, qui audiunt, salutem, et quod nihil ad gratiam loquatur: num cogitet an a sordibus corruptelisque semper alienus fuerit, qui per litterarum monimenta loquitur. «Num-

[1] Pag. 318 et seq. — [2] 1 Cor. XI, 27, 28.
[3] Vide D. Guillon, pag. 392.

» quam enim in sermone adulationis fuimus, sicut novistis, » *inquit Apostolus*, neque in prætextu avaritiæ, Deus testis, » neque quærentes gloriam ab hominibus, neque a vobis, » neque ab aliis, cum possemus esse oneri ut Christi Apos- » toli : sed fuimus mansueti in medio vestri, sicut nutrix » fovet filios suos[1]. » Eadem autem ratione eis quoque[2], qui sunt divinorum verborum participes, observandum est, num nimium curiosi animi vitio inducti, tanquam urbium ædificia visuri, ad id accedant : num veniant ut sint rerum sæcularium participes, cum audierint eos, qui sunt Christo consecrati, ea, quæ sunt ad victum necessaria, lubenter communicare. Sed sunt ii quidem hypocritæ, et ideo mittantur. Si quis autem non videri justus, sed esse velit, oportet ut optima is sit conscientia.... Neque vero permittendum est auditoribus, ut ex comparatione faciant probationem : neque verbum tradendum est examinandum iis, qui educati sunt in artibus omnis generis sermonum, et inflatorum argumentorum viribus, qui animam jam habent præoccupatam, et nondum exinanitam... Unusquisque autem eorum beati ex Davidis sententia psallat gratias agens : « Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis » me, et super nivem dealbabor. Auditam mihi facies lætitiam, et exultatione exultabunt ossa humiliata. Averte » faciem tuam a peccatis meis, et iniquitates meas dele. Cor » mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in » visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, et spiritum » sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salu- » taris tui, et spiritu principali confirma me[3]. » Atque qui ad præsentes quidem dicit, et tempore probat, et judicio judicat, et discernit ab aliis eum, qui potest audire, ob-

[1] I Thess. II, 5, 6, 7, 8.

[2] Vide D. Guillon, pag. 392.

[3] Psal. L, 12.

servans sermones, mores, consuetudines, vitam, motus, habitus, aspectum, vocem, trivium, petram, viam quæ conculcatur, terram fertilem, sylvescentem regionem et regionem bonam ac feracem, et excultam, et quæ potest multiplicare sementem. Qui autem per litterarum monimenta loquitur, apud Deum sese purgat, hæc in scriptis vociferans : « Nec lucri gratia, nec inanis gloriæ causa, nec » vinci ab affectione, aut quæstui servire, aut efferri voluptate, sed eorum, qui legunt, sola frui salute, cujus nec est » in præsentia particeps, sed spe expectans eam, quæ omnino reddenda est, retributionem ab eo, qui operariis » pollicitus est se redditurum mercedem pro meritis. » Sed nec eum, qui in virorum numerum ascriptus est, oportet desiderare remunerationem. Non enim qui sua benefacta jactavit, propter gloriationem accepit retributionem. Qui autem eorum quæ oportet aliquid facit propter remunerationem, aut ut recte operans præmium quærens, aut ut maleficus pœnam vitans, an non mundana tenetur consuetudine? Oportet autem Dominum, quoad fieri potest, imitari. Is autem fuerit, qui Dei voluntati inservit, qui, cum gratis acceperit, dat gratis, satis magnam recipiens mercedem, ipsam vitæ rationem.

2[1]. Duobus autem quasi ponderibus ad scribendum inductus est : primo quidem ut senectuti, deficiente memoria, adjutorium præpararet[1] :

Non est autem hoc opus scriptura artificiose comparata ad ostentationem, sed mihi ad senectutem reconduntur monimenta, oblivionis medicamentum, vere imago et adumbratio evidentium et animatarum illarum orationum, quas dignus habitus sum qui audirem, et virorum beatorum, quique revera erant maximi pretii et æstimationis.

[1] Pag. 322.

Unde memoriæ [1] meæ imbecillitatem sublevans, expositionem certis capitibus constantem, salutare memoriæ monimentum mihi comparans, hac necessario usus sum Institutione. Sunt ergo quædam, quorum ne recordati quidem sumus : erat enim apud viros beatos magna quædam vis. Sunt etiam quædam, quæ cum non annotata aliquo tempore mansissent, nunc effugerunt : alia autem, quæ prope extinguebantur, in ipsa mente quodammodo obscurata.

Secundo ut servaret quam legitimam vocat beatorum virorum traditionem [2] :

Eorum unus quidem in Græcia, Ionicus, alius vero in magna Græcia : quorum alter erat ex Cœlesyria, alter ex Ægypto oriundus. Alii autem ex Oriente, et ejus alter quidem Assyrius, alter vero in Palæstina Hebræus ex alto ducta origine. Cum autem in ultimum incidissem, erat autem hic primus potestate, conquievi, cum ipsum in Ægypto latentem indagassem. Sicula revera apis, Prophetici et Apostolici prati flores decerpens, sincerum quamdam et incorruptam cognitionem ingeneravit eorum, qui audiebant, animis. Sed hi veram quidem beatæ doctrinæ servabant traditionem, statim a Petro, et Jacobo, et Joanne, et Paulo, sanctis Apostolis, ita ut filius acciperet a patre, (pauci autem sunt patribus similes), ad nos quoque Deo volente pervenerunt, illa a majoribus data et Apostolica deposituri semina. Certe autem scio, fore ut exultent, non hac dico lætati expositione, sed solum quod in hoc scripto serventur, quæ illi tradiderunt. Est enim hæc, ut opinor, institutio animæ desiderantis beatam ita conservare traditionem, ut non possit effugere : « Filio » autem amante sapientiam, pater lætitia afficietur [3]. » Putei,

[1] Pag. 324.

[2] Pag. 322.

[3] Prov. XXIX, 3.

qui exhauriuntur, emittunt aquam magis perspicuam : corrumpuntur autem ii, quorum nullus est particeps. Ferrum quoque usus servat purius, usus autem defectus ei generat rubiginem. Ut summatim enim dicam, exercitatio salutarem habitum ingenerat et spiritibus, et corporibus. «Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus[1], » qui accepti fuerint convivio.

3°. Quoad autem dicendi modum philosophiæ extraneæ testimonia adhibere non dubitavit[2] :

Jam vero ipsa quoque bonarum disciplinarum copia est veluti quoddam condimentum athletæ cibo permixtum, non delicias quidem captantis, sed bonum appetitum assumentis, laudis amorem. Psallentes quidem certe, valde intensum gravitatis sonum modulate remittimus. Quemadmodum autem qui volunt alloqui populum, hoc sæpenumero faciunt per præconem, ut ea, quæ dicuntur, magis exaudiantur : ita hic quoque, cum ad multos habenda sit nobis oratio, quæ solitam præcedit traditionem, adducendæ sunt opiniones et voces, quæ eis in singulis resonant, per quas ii magis attenti reddentur, qui audient... Jam non similiter ovem contemplatur coquus et pastor. Ille quidem an sit pinguis diligenter scrutatur : hic vero lac ovis observat, an sit generosum. Mulgeat quidem aliquis, si cibo egeat : vellus tondeat, si ei tegumento opus sit. Sic mihi etiam procedat fructus bonæ Græcorum doctrinæ. Nullam enim existimo scripturam adeo feliciter procedere, cui nullus omnino contradicat : sed illam existimandum est esse rationi consentaneam, cui nemo jure contradicit... Quemadmodum terram prius rigant agricolæ, deinde sic se-

[1] Matth. v, 15; Marc. iv, 21; Luc. viii, 16; xi, 33.
[2] Pag. 325.

men injiciunt; ita etiam nos eo, quod bibi potest ex Græ-
corum scriptis, id, quod est in eis terrestre, prius irrigam
ut suscipiat spiritale semen quod dejicitur, et id faci
possit alere. Continebunt autem hi libri, qui dicunt
Στρωματεῖς, seu *Miscellanea*, admixtam veritatem philo
phiæ decretis, vel potius coopertam et absconsam, si
testa operitur id, quod est in nuce esculentum. Fidei e
semina solis, ut existimo, convenit servari fidei agricol
Non me autem latente ea etiam, quæ ab aliquibus impe
omnia metuentibus jactantur, qui dicunt oportere in
versari, quæ sunt maxime necessaria, et quæ fidem co
tinent: externa autem, et quæ sunt supervacanea tra
lire, quæ nos frustra conterunt et detinent in iis, qu
finem nihil conferunt. Alii autem philosophiam etiam c
maximo malo et ad hominum perniciem venisse in vi
existimant, ut quæ profecta sit à maligno aliquo invent
Ego autem quod malitia quidem malam habeat natura
nec alicujus boni esse agricola unquam possit, in his
ostendam libris, qui dicuntur Στρωματεῖς, id etiam si
ficans, quod divinæ quodammodo providentiæ opus
Philosophia.

ARTICULUS II.

DE PHILOSOPHIÆ PROFANÆ COMMODIS ET ORIGINE.

De commentariis [1] autem hisce, qui, cum necessari
fuerit, Græcorum complexi sunt opinionem, hactenus r
pondeo iis, qui reprehendendi studio delectantur. Prim
quidem, etiamsi sit inutilis philosophia, tamen si inutil
eam confirmare est utile, jam utilis est. Deinde nec iis lic
Græcos condemnare, quibus in eorum decretis nil ul
nudas voces perceptum est, priusquam ea sigillatim atque
intime explorata atque cognita habuerint. Est enim ea re-

[1] Pag. 327, et seqq.

tatio fide dignissima, quæ sequitur experientiam : quippe m eorum, quæ condemnaveris certa cognitio perfectismæ demonstrationis loco erit. Præterea multa, quæ ad fim non conferant, tamen artifici ornamentum afferunt. Et loqui varia ac multiplex doctrina, eum, qui maxime rincipalia dogmata proponit, fidei auditorum commendat, scipulis admirationem ipsius ingenerans, et ad veritatem s adducit. Fidem autem faciet ejusmodi oblectatio, per iam a vulgo vituperatam studiosi recipiunt veritatem, od neque ipsa philosophia vitæ perniciem afferat, quam c si esset rerum falsarum et malorum operum artifex, idam falso calumniati sunt, cum sit evidens veritatis nago; donum Græcis datum divinitus; neque nos per sam tanquam a quibusdam decepti præstigiis a fide abucamur : sed potius majori munimento tecti, et socium quodammodo exercitationem, qua fides pleniorem demonstrationem accipiet, lucrati sumus. Quinetiam dum contraria dogmata inter se conferuntur, veritas magis elucesit. Hinc consequitur scientia. Atque adeo haudquaquam ter se inducitur philosophia, sed propter fructus ex scienia provenientes : quia nobis per scientiam rerum animo comprehensarum firmatur veræ perceptionis persuasio. Taceo quod libri hi multiplici ac varia doctrina in unum corpus coagmentati, volunt artificiose celare semina cognitionis. Quemadmodum ergo qui studio tenetur venationis, postquam quæsiit, investigavit, indagavit, canes, qui cursu persequerentur, emisit, feram capit : ita etiam apparet verum dulcedine quæsitum, et labore paratum. Quanam ergo causa sic tuos commentarios tibi ordinare visum est? Quoniam magnum est periculum vere arcanam veræ philosophiæ rationem iis propalare, qui profuse quidem ac petulanter, sed non jure, volunt contra omnes dicere, omnia autem nomina ac verba turpiter et indecore ejaculantur, et seipsos

fallentes, et eorum, qui sibi adhærent, oculos præstringentes. « Hebræi *enim* signa petunt, *ut ait Apostolus*, » Græci autem sapientiam quærunt[1]. »

Magna est autem turba ejusmodi : ac eorum quidem aliqui voluptatibus mancipati, cum non velint credere, omni veneratione dignam irrident veritatem, barbariem ejus habentes ludibrio. Aliqui autem alii seipsos erigentes, ansas calumniandi sermones nostros invenire contendunt, contentiosas comparantes quæstiones, dictiuncularum venatores, pusillarum quarumdam artium æmulatores, litigatores, et jurgiorum consarcinatores, ut ait ille Abderitanus.

Lingua volubilis est hominum, nec pauca profatur :
Dictorum omnimodum hinc atque hinc divisio multa est.

Et,

Quod verbum edideris, te tale audire necesse est.

Ob hanc ergo artem se efferentes Sophistæ infelices, cæteris quibusdam suis nugis garrientes, cum in nominum delectu et certa dictionum compositione et connexione per totam vitam laborant, turturibus apparent loquaciores, eos, quibus pruriunt aures, non satis, ut mihi videtur, viriliter demulcentes et titillantes : « Verborum non stillicadens, sed flumen, inertum. » Et certe quemadmodum veteribus in calceis, imbecilla iis sunt alia et defluunt, sola autem eis restat lingua. Pulchre ergo, eos insectans, scribit Solon Atheniensis :

Ad linguam aspicitis, et dulcia verba loquentes
At quod fit nemo spectat agentis opus.
Ac quivis vestrum vulpis vestigia figit,
Et mentem vacuam putidulamque gerit.

Hoc utique significat vox illa salutaris : « Vulpes foveas ha-

[1] 1 Cor. 1, 22.

bent, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet [1].» uper enim solo eo, ut arbitror, qui credit, perfecte separato a cæteris hominibus, quas Scriptura *bestias* vocat, rum omnium caput conquiescat ac princeps, nempe benignus et mansuetus Logos, « qui comprehendit sapientes in astutia ipsorum : Dominus enim solus cognoscit lisceptationes sapientum, quod vanæ sunt [2] : » sapientes tque Scriptura vocante sophistas, qui in dictionibus versitur et artibus superfluis. Unde ipsi quoque Græci eos, i in re aliqua curiose versantur, sapientes simul et *Sophistas* denominative appellarunt. Cratinus itaque, cum in rchilochiis Poëtas recensuisset, ait :

Quales sophistas perpetim scrutamini.

t similiter Iophon Comicus, in Aulœdis Satyris, dicit de apsodis et aliquibus aliis :

. . . . Namque introit
Una sophistarum caterva plurima.

Iis et similibus, qui se inani dicendi genere exercuerunt, berrime dicit divina Scriptura : « Perdam sapientiam pientum, et prudentiam prudentum abolebo [3]. »
Homerus autem et fabrum vocat sapientem : et de Mar- e, si id opus utique Homeri est, sic scribit :

Hunc nec aratorem dii fossoremve crearunt,
Illo aliove modo sapientem, arsque abfuit omnis.

siodus autem cum Linum citharœdum dixisset esse ujusvis sapientiæ peritum, » nautam etiam non veretur ere sapientem, scribens :

Nautica in arte aliquid qui nec sapit.

niel autem propheta, « Mysterium, inquit, quod rex ogat, non est sapientum, magorum, incantatorum, Ga-

[1] Matth. VIII, 20. Luc. IX, 58. — [2] Job. III, 13; I Cor. III, 19, 20; L XCIV, 11. — [3] Isai. XXIX, 14; I Cor. I, 19.

» zarenorum potestas, ut regi annuntient, sed est Deus in
» cœlo revelans [1]. » Ubi quidem appellat *sapientes* Babylonis.
Quod autem Scriptura *sapientiam* appellet communi no-
mine omnem mundanam, sive scientiam, sive artem; al-
autem sunt disciplinæ, quas insuper humana ratio adinve-
nit; et quod a Deo sit omnis artificiosa et sapiens inven-
tio, manifestum erit, si hanc dictionem adjecerimus
« Et locutus est Dominus ad Mosen, dicens : Ecce voc
» Beseleël, filium Uri, filii Or de tribu Juda, et impl
» eum divino spiritu sapientiæ, ut in omni opere excogi
» et architectetur, operetur aurum et argentum, et æs,
» hyacinthum, et purpuram et coccinum, et ut oper
» opera lapidea, et fabrilem artem lignorum, usque ad o
» nia opera [2]. » Deinde vero generalem infert rationem : «
» cuilibet intelligenti corde dedi intelligentiam; » hoc e
ei, qui potest ipsam recipere labore et exercitatione. R
sus autem aperte scriptum est ex nomine Domini : «
» tu loquere omnibus sapientibus mente, quos implevi
» ritu sensus [3]. » Habent quidem aliquam peculiarem na
proprietatem, qui sunt sapientes mente. Duplicem au
sensus spiritum accipiunt ab ea, quæ est principalis sa
tia, ii, qui se ipsos idoneos exhibuerunt. Qui persequ
tur enim artes sordidas, sensibus excellentissimis fruunt
auditu quidem, qui dicitur communiter musicus : ta
vero, figulus : et voce, cantor : olfactu, unguentari
visu, qui ea, quæ in sigillis exprimuntur, est cælandi
cultate præditus. Qui autem in doctrina versantur, su
ditatam habent consensionem, per quam poëtæ mod
dictionem rhetores, et syllogismos dialectici, et philo
phi apprehendunt eam, quæ ad se pertinet, contempla
nem. Ad inveniendum enim et excogitandum res est a
consensio : hæc enim studiis animum applicare persuade

[1] Daniel. II, 27, 28. — [2] Exod. XXX, 2, 3, 4, 5, 6. — [3] Exod. XXVIII,

uam applicationem exercitatio in scientiam postea auget t intendit. Merito ergo Apostolus « multiformem dixit Dei sapientiam[1], *ut quæ* multifariam multisque modis[2], » er artem, per scientiam, per fidem, per prophetiam, am ostentat potentiam ad nostrum beneficium. « Quoniam omnis sapientia a Domino, et cum ipso est in sæcula[3], » ut icit Jesu Sapientia. « Si enim prudentiam et sensum magna voce invocaveris, et eam quæsieris, sicut argenti thesauros, et prompto et alacri animo investigaris, intelliges Dei cultum, et sensum divinum invenies[4]. » Quod dixit Propheta, t hunc distingueret a sensu, qui in philosophia versatur, uem præclare ac magnanime investigare jubet, utpote ad rofectus in pietate faciendos utilem. Huic itaque eum, qui n pietate versatur, sensum opposuit, quo religionis scientiam innuit, his verbis : « Deus enim dat sapientiam ex ore suo, et sensum simul et prudentiam, et justis instar thesauri recondit auxilium. » Iis enim, qui a philosophia fuere ustificati, auxilium reconditur ea quoque consensio, quæ ducit ad pietatem in Deum.

Atque erat quidem ante Domini adventum philosophia Græcis necessaria ad justitiam : nunc autem est utilis ad pietatem, cui necessario præmittenda est ab iis, qui fidem x demonstratione percipiunt. Quoniam *pes*, inquit, *tuus non offenderit*[5], si quæ bona sunt ad Dei providentiam referas, sive græca sint, sive nostra. Omnium enim bonorum Deus est causa : sed aliorum quidem principaliter, ut testamenti veteris et novi : aliorum autem per consequentiam, sicut philosophiæ. Quam tamen verisimile est, ipsum Græcis per se dedisse, priusquam Dominus Græcos quoque vocasset. Nam ipsa quoque Græcos « Pædagogi more docebat, sicut lex Hebræos, ad Christum[6]. » Præparat

[1] Ephes. III, 10. — [2] Hebr. I, 1. — [3] Ecclis I, 1. — [4] Prov. II, 3, 4, 5, 6, . — [5] Ibid. III, 23. — [6] Gal. III, 24.

ergo philosophia, ei viam muniens, qui a Christo perficitur. « Jam sapientiam, inquit Salomon, vallo circumda, et te » exaltabit, corona autem voluptatis te proteget[1]. » Nam cum tu eam philosophia, et multo prudenti rectoque ejus sumptu, tanquam lorica, munieris, sophistis inaccess[...] servabis. Atque est quidem una via veritatis, sed in e[...] tanquam in fluvium perennem, alia aliunde fluenta [...] fluunt. Divine ergo dictum est: « Audi, fili mi, et mea ve[...] » suscipe, ut sint tibi multæ viæ vitæ: vias enim sapi[...] » tiæ doceo te, ne te deficiant fontes[2], » qui ex ipsa t[...] scaturiunt. Non autem unius tantum justi vias plures s[...] tares recensuit: verum infert alias multorum multas ju[...] rum vias, hoc modo id indicans: « Viæ autem justo[...] » splendent sicut lux[3]. » Fuerint autem mandata quoque, [...] præcedaneæ disciplinæ, viæ et adminicula vitæ. « Hi[...] » salem! Hierusalem! quoties volui congregare filios t[...] » sicut gallina congregat pullos suos[4]? » Hierusalem a[...] exponitur *visio pacis*. Significat ergo prophetice eos, [...] pacifice res sacras inspexerint, ad vocationem multis m[...] instituti. Quid ergo? *voluit* quidem, non autem p[...] Quot autem modis? aut ubi? Bis: per Prophetas, et [...] adventum. Multimodam ergo sapientiam ostendit dic[...] *Quoties*: et per omnes qualitatis et quantitatis modos [...] in tempore, tum etiam in æternitate quosdam om[...] servat: « Quoniam spiritus Domini replevit orbem terræ[5] [...] Quod si quis, vim afferens, dicat « Ne animum ad[...] » mulieri malæ: mel enim distillat a labiis mulieris me[...] » tricis[6], » Græcam esse dicens eruditionem, audiat [...] deinceps sequuntur: *Quæ ad tempus ungit guttur su[...]* philosophia autem non adulatur. Quamnam ergo mere[...] cem significat? Dilucide infert: « Stultitiæ enim pedes [...]

[1] Prov. IV, 8, 9. — [2] Ibid. IV, 10, 11, 21. — [3] Ibid. IV, 18. — [4] Matth. XXIII, 37; Luc. XIII, 34. — [5] Sapient. I, 7. — [6] Prov. V, 2, 3, 5, 8, 9, 11, [...]

cunt eos, qui ea utuntur, post mortem ad inferos: ejus tem vestigia minime sunt stabilia. » Fac ergo, ut via tua ge absit a stulta voluptate: « Ne steteris ad fores domus us, ut non tradat aliis vitam tuam. » Tum attestatur: inde te pœnitebit in senectute, quando contritæ fuent carnes tui corporis. » Hic est enim finis stultæ volup-. Et hæc quidem ita se habent. Cum autem dixerit: *Ne multum apud alienam*, uti quidem, sed non immorari et manere in doctrina sæculari admonet. Verbo enim Doi præparant, ac prius instituunt, quæ temporibus contentibus unicuique generationi utiliter data sunt. Jam n quidem ancillarum inescati philtris, contempserunt minam philosophiam, et ex ipsis alii quidem consenuet in musica, alii vero in geometria, alii autem in grammtica, plurimi autem in rhetorica. Sed quemadmodum prales, quas vocant ἐγκυκλίους, hoc est *circulares*, discisæ, conferunt ad philosophiam, quæ est ipsorum do-: ita etiam ipsa philosophia ad parandam conducit ntiam. Est enim philosophia quidem exercitatio saiæ, sapientia vero rerum divinarum et humanarum, usarum ipsarum scientia. Est enim sapientia domina sophiæ, sicut illa illius, quæ præcedit, disciplinæ. Si philosophia profitetur continentiam et linguæ et ventris, rum quæ sunt sub ventrem, et est propter se eligenda: multo videbitur venerabilior et præstantior, si exerceatur per Dei honorem et cognitionem. Eorum autem, quæ sunt, per hæc præbebit Scriptura testimonium. Sara olim sterilis, Abrahæ uxor: cum autem non pareret t, ancillam suam nomine Agar Ægyptiam permittit ahæ ad liberorum susceptionem. Sapientia ergo, quæ fideli cohabitat (fidelis autem et justus reputatus est ham), erat adhuc sterilis et sine liberis in illa genera-, ut quæ nihil adhuc Abrahæ, quod esset ex virtute,

peperisset. Merito autem volebat, ut qui etiamnum in pro-
gressu erat, cum mundana disciplina (per Ægyptum au[...]
allegorice significatur mundus), prius congrederetur, po[...]
autem ad se quoque accedens divina Providentia gig[...]
Isaac. Interpretatur autem Philo Agar quidem *incolat[...]*
hic enim dictum est, « Ne multum sis apud alienam[1] [...]
Saram autem, *meum princitatum*. Licet ergo ei, qui [...]
ciplinis prius est institutus, venire ad Sapientiam, [...]
vel maxime principatum obtinet, ex qua crescit g[...]
Israeliticum. Ex quibus ostenditur Sapientiam esse [...]
trina comparabilem, ad quam pervenit Abraham, ex [...]
templatione cœlestium transiens ad eam, quæ ex De[...]
fidem et justitiam. Per Isaac autem id, quod *per se di[...]*
indicatur. Quare etiam Christi typus invenitur. Is fu[...]
unius uxoris, nempe Rebeccæ, quam transferunt *tol[...]*
tiam. Dicitur autem Jacob congredi cum pluribus, u[...]
exponatur *exercitator*. Fiunt autem exercitationes per [...]
et differentia dogmata. Unde hic etiam nominatur I[...]
qui revera est vi *perspiciendi* præditus, ut qui sit mul[...]
rerum peritus, et ad exercendum accommodatus. F[...]
etiam aliquid aliud, quod significatur per tres illos p[...]
patres, nempe esse firmum ac validum cognitionis [...]
culum, quod constat ex natura, et doctrina, et ex[...]
tione. Habueris autem etiam aliam eorum, quæ dicta [...]
similitudinem, Thamar, quæ sedit in trivio, et vi[...]
esse meretrix, quam studiosus Judas (exponitur [...]
potens), qui nihil relinquit, quod non consideret ac [...]
tetur, consideravit, et ad eam declinavit, servans [...]
quam habuit, in Deum *confessionem*. Unde etiam Abra[...]
cum Sara æmularetur Agar, quæ erat in majori qua[...]
existimatione, ut qui sæcularis Philosophiæ solum id, [...]
est utile, elegisset, « Ecce, inquit, ancilla in ma[...]

[1] Prov. v, 20.

tuis, utere ea ut lubet[1].» Quasi diceret: Sæcularem quidem amplector doctrinam, et ut juniorem, et ut conservam: scientiam autem tuam, ut perfectam dominam, honoro et colo. *Et afflixit eam Sara*, quod perinde est, ac correxit et admonuit. Recte itaque dictum est: «Noli negligere disciplinam Domini, neque defatigeris cum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit[2].» Ac prædictæ quidem Scripturæ, cum eas in aliis locis examinabimus, alia mysteria repræsentare comperientur. Hic vero id solum dicimus, quod Philosophia inquisitionem veritatis et naturæ rerum contineat: hæc autem est veritas, de qua ipse dixit Dominus, *Ego sum veritas*[3]. Et rursus, quod disciplina, quæ præcedit eam, quæ est in Christo, quietem, exerceat mentem et excitet intelligentiam, generando ingenii acumen aptum ad inquirendum, per veram Philosophiam, quam inventam, vel potius acceptam, mystæ habent ab ipsa veritate.

Multum autem confert ea promptitudo, quam prævia exercitatio conciliat, ad videndum ea, quæ oportet: mentis autem fuerint exercitatio ea, quæ mente possunt percipi. Triplex autem eorum natura, quæ in quantis continuis, et quantis discretis, et iis, quæ sunt dicenda, consideratur: quæ enim ex demonstrationibus conficitur oratio, perfectam animæ fidem facit ejus, quod consequitur, ut non putet id, quod demonstratum est, aliter se habere: nec sinit ut iis succumbat, quæ nobis per fraudem incurrunt. In his ergo disciplinis a sensilibus expurgatur et excitatur anima, ut possit veritatem perspicere. Victus enim, et bona eruditio, si servetur, bonas efficit naturas: et bonæ naturæ talem suscipientes disciplinam, fiunt adhuc prioribus meliores, cum ad alia, tum ad gignendum, quemadmodum in

[1] Gen. xvi, 6. — [2] Prov. iii, 11, 12; Hebr. xii, 5, 6. — [3] Joan. xiv, 6.

aliis animalibus. Unde etiam dicit : « Vade ad formicam, » ô piger ! et efficere illa sapientior, quæ multum et omnis » generis nutrimentum recondit tempore messis[1] » adversus minas hyemis : aut, Vade ad apem, et disce quam laboriosa sit : ipsa enim omne pratum depascens, unum favum generat. Si autem « oras in cella[2], » sicut docuit Dominus « adorare spiritu,[3] » non utique cura tua solum circa domum versabitur, sed etiam circa animam, quænam sint ei tribuenda, et quemadmodum, et quantum ; et quænam in ea reponenda, et in ipsam recondenda ; et quando ea afferenda, et ad quos. Non enim natura, sed doctrina boni et honesti fiunt, quemadmodum medici et gubernatores. Omnes itaque communiter videmus vitem et equum ; sed sciet quidem agricola, vitisne ad ferendum fructum bona sit, an mala : et qui equorum habet cognitionem, facile discernit ignavum, vel celerem. Alios autem ex aliis natura ad virtutem aptiores, ostendunt quidem quædam studia eorum, qui sunt aliis natura aptiores : virtutis autem perfectionem inesse istis, qui sunt meliori natura nullam arguit, quod etiam qui natura minime apti sunt ad virtutem, eam quam par est assecuti disciplinam, vel ad omne genus probitatis et honestatis pervenerint : et contra qui natura apti erant ad virtutem, evaserint mali negligentia et incuria. Cum vero nos natura ad societatem aptos justosque Deus fabricatus est, justitia ex sola constitutione oriri dicenda non est : sed potius id, quod a creatione inerat, bonum vi præcepti suscitari intelligendum est, cum ex doctrina didicerit anima velle quod optimum est eligere. Sed quemadmodum vel sine litteris fidelem posse esse dicimus, ita quæ in fide dicuntur non posse intelligere eum, qui non est doctus, confitemur. Quæ enim bene dicuntur admittere, aliena autem non admittere, non simplex fides,

[1] Prov. vi, 6, 7, 8. — [2] Matth. vi, 6. — [3] Joan. iv, 23.

sed ea demum, quæ cum doctrina juncta est, efficit. Quod ignorantia, imperitia, simul et inscitia, rerum divinarum et humanarum scientiam æque affert ac doctrina: at quemadmodum in egestate licet recte vivere, ita etiam licet in abundantia: quin et facilius simul et celerius disciplinis liberalibus institutum posse aliquem virtutem assequi confitemur: quæ tamen non est ejusmodi, ut sine iis capi non possit; sed tunc quoque ab iis, qui didicerunt, et sensus habent exercitatos. « Odium enim, *inquit Salomon*, excitat contentio, vias autem vitæ custodit disciplina[1]; » ut non decipiamur, neque circumveniamur ab iis qui ad auditorum perniciem, improbam artem exercuerunt: « Disciplina autem vagatur, *inquit*, inconfutabilis. » Oportet itaque arguendi et refellendi genus persequi, ut sophistarum fallaces repellamus opiniones. Recte profecto ac divine Anaxarchus scribit in libro *de Regno*: « Multa ac varia doctrina multum quidem juvat, multum autem lædit eum, qui eam poseidet. Juvat quidem eum, qui dignus est: lædit autem eum, qui quidvis dicit, et coram universo populo. Oportet autem scire mensuram temporis. Hic est autem finis sapientiæ. Quicumque autem canunt præ foribus, etiamsi quid sapienter ac perite cecinerint, non reputantur sapientes, sed opinionem subeunt stultitiæ. » Et Hesiodus:

Musarum, reddunt hominem quæ multa loquentem
Divinum, vocalem.

In verbis enim copiosum dicit *multa loquentem*; acrem autem ac vehementem, *vocalem*; et *divinum*, eum, qui est peritus, et philosophus, et sciens veritatis.

Apparet itaque, præcedaneas illas liberales Græcorum disciplinas, una cum ipsa philosophia, venire divinitus ad

[1] Prov. XI, 12; 17

homines, non principaliter, sed quemadmodum imbres erumpunt in terram bonam, et in fimum, et super domos. Similiter autem germinat et herba et frumentum, et nascitur etiam ficus in monimentis, et si qua est arbor impudentior. Et quæ temere nascuntur, in specie quidem supra ea, quæ vera sunt, emergunt, quoniam eamdem pluviæ vim assequuntur; sed non eamdem habent gratiam, quam ea quæ in solo pingui nata sunt, ut quæ statim exsiccari vel velli soleant. Porro autem huic quoque loco est utilis parabola *sementis*[1], quam Dominus est interpretatus. Unus enim est agricola terræ, quæ est in hominibus, qui a principio seminat a constitutione mundi nutritia semina, qui illis unoquoque tempore Dominum Logon impluit; tempora autem et loca, quæ susceperunt, genuere differentiam. Et alioqui agricola non solum frumentum (etsi hujus quoque plures sint differentiæ), sed etiam alia semina seminat, hordeum, fabas, pisa, cicer, et semina, quæ olera in hortis producunt, et flores. Ejusdem est autem agriculturæ, et plantandi officium, et operandi quæcumque pertinent ad ipsa plantaria, hortos, et pomaria, et in summa ad omnis generis arbores producendas et alendas. Similiter autem non sola ars pascendarum ovium, sed et boum equorumque et canum alendorum, et curandarum apum artes omnes, et, ut summatim dicam, quæ in curandis gregibus animalibusque nutriendis versantur, inter se quidem secundum magis et minus differunt, sed sunt omnes vitæ utiles. Philosophiam autem, non dico Stoicam, nec Platonicam, aut Epicuream, et Aristotelicam, sed quæcumque ab his sectis recte dicta sunt, quæ docent justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum, dico Philosophiam: cætera autem, quæ ex humanis ratiocinationibus præsecta adulterarunt, ea nunquam divina dixerim. Jam vero illud quoque consi-

[1] Matth. xiii; Marc. iv.

deremus, an quando recte vivunt, qui nesciunt bene facere; accidit enim, ut bene faciant: nonnulli autem per intelligentiam ad veritatis verbum feruntur, tanquam ad scopum: « Abraham autem non ex operibus justificatus est, » sed ex fide[1]: » nihil ergo eis post vitæ finem proderit, etiam si nunc recte operentur, nisi fidem habeant. Propterea enim Græcorum lingua expositæ sunt Scripturæ, ut nullum unquam ignorantiæ possint prætextum afferre, cum possint quæ sunt apud nos audire, si tantum voluerint. Aliter dicit aliquis de veritate, aliter veritas seipsam interpretatur. Aliud est veritatis conjectura, et aliud veritas: aliud rei similitudo, aliud ipsa res. Et altera quidem accedit disciplina et exercitatione, altera vero potestate et fide. Est enim donum doctrina pietatis, gratia vero fides. Facientes enim Dei voluntatem, voluntatem cognoscimus. « Aperite ergo, » *inquit Scriptura*, portas justitiæ, ut in eas ingressus con» fitear Domino[2].» Sed viæ quidem ad justitiam, cum Deus servet multis modis (est enim bonus), sunt multæ et variæ, et ferentes ad Dominicam viam et portam. Quod si viam regiam et authenticum ingressum quæris, audies: « Hæc » est porta Domini, justi intrabunt in eam[3].» Cum ergo multæ apertæ sint portæ in justitia, hæc in Christo invenienda est, in quam beati omnes qui intrarunt, et iter suum direxerunt in gnostica sanctitate. Jam Clemens in epistola ad Corinthios, his verbis inquit, exponens differentiam eorum, qui sunt probati in Ecclesia: « Sit aliquis fidelis, sit potens » in explicanda cognitione, sit sapiens in discretione sermo» num, sit stupendus in operibus[4]. »

Ars autem Sophistica, quam sectati sunt Græci, tanquam rem præclaram et magni faciendam, est potestas imaginativa, verbis falsas opiniones tanquam veras ingenerans. Præbet enim ad persuadendum quidem artem di-

[1] Rom. IV. — [2] Psal. CXVII, 19, 20. — [3] Clem. Rom. — [4] Ibid.

scimus, procul sunt ab illorum affectione. « Ne simus, » *inquit Apostolus*, inanis gloriæ cupidi, nos invicem provocantes, invicem invidentes[1]. » Sic itaque veri amator Plato, veluti a Deo incitatus, dicit : « Ego, *inquit*, sum » ejusmodi, ut nulli alii credam nisi rationi, quæ mihi » consideranti optima visa fuerit. » Eos ergo reprehendit, qui absque mente et scientia credunt opinionibus : utpote quod non oporteat, relicta recta et sana ratione, ei credere, quæ est falsi particeps. A veritate enim aberrasse malum est : vera autem dicere, et ea quæ sunt opinari, bonum. Bonis autem inviti quidem privantur homines; privantur tamen, vel circumventi, vel præstigiis decepti, vel coacti, et cum non crediderint. Atque qui credidit quidem, sua sponte capitur : circumvenitur autem, qui in contrariam persuasionem traducitur, oblitus quod alia quidem tempus, alia vero ratio aufert imprudenti. Cogit autem sæpe dolor, et angor, et rursus contentio, et ira, postquam suscepta fuerit opinio. Postremo autem præstigiis decipiuntur, qui vel a voluptate sunt inducti, vel timore perterriti. Sunt autem hæ mutationes omnes voluntariæ. Atque nihil quidem horum unquam acceperit scientia.

Nonnulli autem, qui se putant esse ingeniosos, Philosophiam attingere volunt, nec Dialecticam, sed nec contemplationem discere naturalem, sed solam et nudam fidem requirunt; perinde ac si cum nullam vitis curam gesserint, velint ab initio statim botros accipere. Dicitur autem Dominus *vitis*[2] allegorice, a quo cum cura et agricultura, quæ fit secundum Logon, fructus est vindemiandus. Putare oportet, fodere, ligare, et reliqua facere. Falce, ut sentio, et ligone, et aliis rusticis instrumentis ad vitis curam opus est, ut nobis fructum producat esculentum. Quemadmodum autem in Agricultura, ita etiam in

[1] Galat. v, 26. — [2] Joan. xv, 1.

Medicina, ille utiliter didicit, qui varias attigit disciplinas, ut possit melius colere et curare : ita hic etiam eum bene et utiliter eruditum existimo, qui omnia refert ad veritatem, adeo ut ex Geometria et Musica, et ex Grammatica et ipsa Philosophia colligens quod est utile, tutam ab insidiis servet fidem. Porro autem athleta, ut prius dictum est, contemnitur, qui se non prius instruxit ad certamen. Jam vero gubernatorem quoque laudamus multarum rerum experientia instructum, qui urbes multorum vidit hominum : et medicum, qui multa est expertus; qua ratione, effingunt quidam etiam empiricum. Qui autem singula refert ad rectam vitam, exempla afferens ex Græcis et ex Barbaris, is valde peritus veritatis investigator, et multi revera consilii, instar lapidis indicis (is est autem Lydius), creditur posse discernere aurum adulterinum a probo, et aptus esse ad separandum is, qui ex nobis habet multam rerum experientiam et gnosticus est, Sophisticam quidem a Philosophia, Ornatricem autem a Gymnastica, et Culinariam a Medicina, et dicendi artem a Dialectica, quinetiam alias hæreses, quæ sunt in barbara Philosophia, ab ipsa veritate. Quomodo autem non necesse est, ut de iis, quæ intelligentia percipiuntur, tractet philosophando, qui Dei velit potentiam attingere? Quomodo autem non est etiam utile, dividere voces, quæ sunt ancipites, et quæ in Testamentis efferuntur æquivoce? Ex amphibolia enim Dominus sapienter eludit Diabolum in tempore tentationis. Nec ego hic utique video, quonam modo Philosophiæ et Dialecticæ inventor, ut quidam existimant, inducitur deceptus tropo amphiboliæ. Quod si Prophetæ et Apostoli non fuerint ejusmodi artibus instructi, quibus philosophiæ exercitationes ostenduntur : at mens prophetici et præceptoris Spiritus occulte enuntiata, propterea quod non sint aures omnium intelligentes, sine cognitione artium haud

facile explicari potest. Secure enim noverunt illorum sen-
sum Prophetæ et Spiritus discipuli. Ex fide enim eum per-
ceperunt, et, qui modus cæteris haud facilis fuerit, pro-
innuit spiritus; sed non tam facile percipere possunt ii,
qui non didicerunt. « Præcepta autem, *inquit*, scribe
» pliciter : nempe voluntate, et cognitione respondendi
verba veritatis iis, qui tibi proponunt. Quænam est aut
respondendi, vel quæ etiam interrogandi scientia? F
quidem hæc Dialectica. Quid vero? an non in dice
etiam laborandum est? et facere est ex Logo? Si non
Logo, seu ratione, agamus, citra rationem fecerimus. O
autem rationale ex Deo efficitur. *Et nihil sine ipso fact-
est*[2], inquit: Logo, inquam, Deo. An non etiam Domi
omnia fecit Logo? Operantur autem etiam jumenta ac-
cogente metu. Num etiam qui vocantur Orthodoxi, bon
opera aggrediuntur, nescientes quæ faciunt?

Propterea ergo Servator, cum panem accepisset, pri-
mum locutus est, et egit gratias : deinde, cum panem fre-
gisset, apposuit, ut comedamus ex ratione, et cum Scrip-
turas agnoverimus, vitam instituamus per obedienti
Quemadmodum autem qui mala utuntur oratione, n
differunt ab iis, qui malo facto utuntur (calumnia e
est ministra gladii, et affert dolorem maledictum, ex q
bus est vitæ eversio : hæc autem fuerint opera impr
orationis) : ita etiam qui bona utuntur oratione, prope
cedunt ad eos, qui bonis factis utuntur. Recreat itaq
animam oratio, et hortatur ad honestatem. Beatus est a
tem, qui utraque manu utitur. Neque ergo qui bene pote
facere, est maledictis incessendus ab eo, qui bene potest
dicere : neque est vituperandus, qui bene potest dicere,
ab eo, qui bene facere potest. Faciat autem uterque id,
ad quod natura est aptus. Quod autem alter factum ostendit,

[1] Prov. XXII, 20, 21. — [2] Joan. I, 3.

e alter loquitur, beneficentiæ veluti viam præparans, deducens auditores, ut bene operentur. Est enim etiam utaris oratio, sicut opus salutare. Atque justitia quidem ite non consistit absque oratione. Quemadmodum autem neficio affici nemo potest, si nemo bene faciat: ita tolitur obedientia et fides, nisi tum præceptum, tum etiam i est ipsum explicaturus, simul assumantur. Nunc autem itro alterius gratia, et verbis et factis, abundamus. Ars tem contentiosa et sophistica est penitus repudianda, ndoquidem ipsæ Sophistarum dictiones non solum litorum oculos præstringunt, et eos seducunt, sed nonnquam etiam vim afferentes, Cadmeam referunt victom. Est enim longe verissimus ille psalmus: « Justus ivet in finem, quoniam non videbit interitum, quando iderit sapientes morientes [1]. » Quosnam autem dicit *sarntes?* audi ex Jesu sapientia: « Non est sapientia imrobitatis scientia [2]. » Eam autem dicit, quam excogirunt artes, quæ in dicendo et disserendo versantur. Quæres ergo apud malos sapientiam, et non invenies [3]. » si rursus roges, quænam ea est? « Os justi, *inquiet* tibi, tillabit sapientiam [4]. » Sapientia autem dicitur ars Sophisa perinde ac veritas. Mihi autem non sine causa, ut istimo, constitutum est Logo convenienter vivere, ea tem, quæ significantur, intelligere; eloquentiam autem nquam sectari, sed contentum esse, si quovis modo quid telligam, significem. Quo autem nomine significetur id, od volo exponere, nihil mihi curæ est. Servare enim et em ferre iis, qui servari cupiunt, puto esse optimum, n autem dictiunculas, tanquam quædam ornamenta, mponere. « Et si caveris, *inquit Pythagoreus in Platonis Politico,* ne sis de nominibus nimium sollicitus, prudentia ocupletior apparebis in senectute. « Et rursus invenies in

[1] Psal. XLVIII, 9, 10. — [2] Eccli. XIX, 22. — [3] Prov. XIV, 6. — [4] Id. X, 31.

Theæteto : « Nominum autem et verborum facilitas, et non » nimis accurata examinatio, ut plurimum non est sordi » et illiberalis, sed ejus potius contrarium : est tamen n » nunquam etiam necessaria. » Hæc, quam fieri potest, b vissime Scriptura enuntiavit, dicens : *Ne multum ver in verbis*. Dictio enim est tanquam vestis in corpore : r autem sunt carnes et nervi. Non oportet ergo majorem v quam salutis corporis curam gerere. Non solum enim f galis vitæ ratio, sed etiam à supervacaneo cultu ornat aliena oratio, exercenda est ei, qui veram vitam el siquidem delicias ut dolosas et luxuriosas repudiamus, s unguentum et purpuram veteres Lacedæmonii, dol quidem vestes, et dolosas unctiones recte reputantes et minantes : quoniam nec honestus est ille cibi appar qui plura habet condimenta quam ea, quæ nutriunt; n est bellus urbanusve orationis usus, qui auditores m aptus est delectare quam juvare. Musas existimare Sire bus jucundiores, admonet Pythagoras, docens non c voluptate exercere sapientias, arguens autem decepti aliam animi oblectationem. Qui navigando prætervectu Sirenas, unus sufficit : et qui Sphingi respondit, alius, aut etiam si vultis, ne unus quidem. Non op ergo unquam dilatare phylacteria, vanum æmulando g riæ studium. Sufficit autem gnostico, si ei vel unus ventus sit auditor. Licet ergo et Pindarum Bœotium au qui scribit : « Non apud omnes licet veterem aperire » tionem, præterquam fidelissimis silentii viis. Stim » autem pugnæ est dominans oratio. » Admodum ergo nos vehementer admonet beatus Apostolus, « ne ver » contendamus sine ulla utilitate, ad eversionem auditor » profanas autem vocum novitates vitemus. Ad magnam e » proficiunt impietatem, et sermo eorum serpit ut cancer[1]. »

[1] 2 Tim. II, 14, 16, 17.

ARTICULUS III.

E PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ SUPRA PHILOSOPHIAM GRÆCAM VETUSTATE ET PRÆSTANTIA.

Hæc ergo [1] « sapientia mundi stultitia est apud Deum. » horum « sapientum cognoscit Deus cogitationes, quod inæ sunt [2]. » Nemo ergo glorietur, humana præcellens co-atione. Recte enim scriptum est in Hieremia : « Ne glo-etur sapiens in sapientia sua, et ne glorietur fortis in ortitudine sua, et ne glorietur dives in divitiis suis : sed i hoc glorietur, qui gloriatur, quod intelligat et cog-oscat, quod ego sum Deus faciens misericordiam, et ju-icium, et justitiam super terram : quoniam in his est oluntas mea, dicit Dominus [3]. Ne confidamus in nobis psis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, *inquit Aposto-us*, qui ex tanta morte nos eripuit; ut fides nostra non it in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Spiritalis nim dijudicat omnia, ipse autem à nullo dijudicatur [4]. » Illa oque ejus audio : « Hæc autem dico, ne quis vos deci-iat in probabilitate sermonis; » neque subingrediatur, ui deprædatur [5]. » Et rursus : « Videte, ne quis sit, qui os seducat per philosophiam et inanem deceptionem, ecundum traditionem hominum, secundum elementa nundi, et non secundum Christum [6]. » Philosophiam idem non omnem, sed *Epicuream*, cujus etiam me-init Paulus in Actibus Apostolorum [7], reprehendens, æ tollit Providentiam, et in deorum numerum refert luptatem; et si qua alia honore affecit elementa, quæ iis n præficit causam efficientem, nec apprehendit opificem. uinetiam *Stoici* [8], quorum ipse quoque meminit, non cte dicunt, Deum, cum sit corpus, vilissimam perva-

[1] Pag. 345 et seqq.
[2] 1 Cor. III, 20, 21. — [3] Jerem. IX, 23, 24. — [4] 1 Cor. I, 9; 10; 6, 15. — [5] Col. II, 4, 8. — [6] Ibid. 8. — [7] Act. XVII, 18. — [8] Ibid.

sisse materiam. *Traditionem* autem *humanam* vocat Logicam subtilitatem. Quamobrem illa quoque scribit: *Juniores fugite quæstiones*[1]; sunt enim pueriles hujusmodi contentiones. *Virtus autem non tenetur amore juvenum*, inquit Plato philosophus: et certamen nostrum, ut vult Gorgias Leontinus, duabus opus habet virtutibus, audacia et sapientia: audacia quidem, ut adeat periculum; sapientia autem, ut discernat ænigma. Logos enim, quemadmodum in Olympia præconium, vocat quidem eum, qui vult; sed coronat eum, qui potest esse invictus: quoniam revera Logos non vult otiosum esse eum, qui credidit. *Quærite* enim, inquit, *et invenietis*[2]: sed inquisitionem terminat inventio, recentes nugas exterminans, approbans autem contemplationem, quæ nostram fidem confirmat. « Hoc autem dico, » ne quis vos decipiat in probabilitate sermonis[3], » ait Apostolus; ut qui, quæ ab eis dicuntur, discernere scilicet didiceritis, et iis, quæ objiciuntur, occurrere docti sitis. « Sicut ergo accepistis Jesum Christum dominum, in eo » ambulate radicati et superædificati in ipso, et confirmati » in fide[4]. » Est autem persuasio, fidei confirmatio. « Videte, ne quis sit, qui vos abducat à fide in Christum per » philosophiam et inanem deceptionem, » quæ tollit Providentiam, « secundum traditionem hominum. » Quæ est enim secundum traditionem divinam philosophia, constituit et confirmat Providentiam: qua sublata videtur fabula Servatoris œconomia, cum nos « secundum elementa hujus » mundi, et non secundum Christum feramur. » Quæ est enim Christo consentanea doctrina, et opificem Deum esse asserit, et deducit Providentiam usque ad singularia, et talem elementorum novit esse naturam, ut in eam cadat ortus et mutatio: eaque docet ad id dirigi, ut vim assimilantem Deo habeamus, ejusque dispensationem.

[1] 2 Tim. II, 22, 23. — [2] Matth. VII, 7. — [3] Col. II, 4. — [4] Ibid. 6, 7, 8.

omni doctrinæ, ut principium, præmitti debere. Elementa autem colunt, Diogenes quidem aërem, Thales vero aquam, Hippasus vero ignem, et qui principia faciunt atomos, philosophiæ nomen arrogantes, impii quidam homunculi et voluptati dediti. « Propterea oro, *inquit*, ut dilectio vestra adhuc magis et magis abundet in agnitione et omni sensu, ad hoc ut vos probetis quæ sunt potiora[1]. *Nam* quando eramus, *inquit Apostolus*, parvuli, sub elementis hujus mundi eramus servientes. Parvulus autem, etiamsi sit hæres, nihil differt a servo usque præfinitum tempus patris[2]. » Parvuli ergo sunt etiam philosophi, nisi a Christo viri fiant. « *Si enim* filius ancillæ non futurus sit hæres cum filio liberæ[3], » at est quidem certe semen Abrahæ, quod non ex promissione donum suscepit proprium. « Perfectorum autem est solidus cibus, qui propter habitum habent sensus exercitatos ad discretionem boni et mali. Quisquis enim est lactis particeps, non est peritus sermonis justitiæ[4], » cum sit *parvulus*, et nondum sciat verbum, per quod credidit et operatur, nec possit in ipso reddere rationem. « Omnia autem probate, *inquit Apostolus*, et quod bonum est tenete[5]. » Spiritalibus id dicens, qui omnia, quæ dicuntur ex veritate, dijudicant, utrum videantur, an sint vera. « Inconfutabilis autem vagatur disciplina, et plagæ et reprehensiones dant disciplinam sapientiæ[6], » reprehensiones scilicet, quæ sunt cum dilectione. « Cor enim rectum exquirit cognitionem. Quoniam qui quærit Deum, cognitionem invenit cum justitia. Qui ipsam autem recte quæsierunt, pacem invenerunt. *Et* cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem[7] : » eos, qui sunt opinione sapientes, et se quidem esse putant,

[1] Phil. I, 9, 10. — [2] Gal. IV, 1, 2, 3. — [3] Genes. XXI, 10; Gal. IV, 3. — [4] Hebr. V, 13, 14. — [5] I Thess. V, 21. — [6] Prov. X, 17; XXIX, 15. — [7] I Cor. IV, 19, 20.

non autem sunt sapientes, reprehendens, hæc scribit. *Non enim est in sermone regnum Dei.* Non, inquam, in eo, qui non est verus, sed opinione tantum probabilis. *In virtute* autem dixit, seu potentia : sola enim est potens veritas. Et rursus : « Si quis putat se nosse aliquid, nondum » novit sicut nosse oportet[1]. » Nunquam est enim veritas opinio. Sed *cognitionis* quidem opinio *inflat* et fastu replet; *charitas autem ædificat*, quæ non in opinione versatur, sed veritate. Unde, *si quis diligit, is cognitus est*, inquit.

Quoniam autem non sola traditio est publica ei, qui sensit sermonis magnificentiam, occultanda est sapientia, quæ dicta est in mysterio, quam docuit Dei filius. Jam enim Esaias quoque propheta igne linguam purgatur, ut possit dicere visionem : et nec linguam solum, sed etiam aures castas nobis habere convenit, si conemur fieri veritatis participes. Hæc mihi erant impedimento, quominus scriberem, et nunc adhuc vereor, ut ait, « ante porcos jacere » margaritas, ne eas conculcent pedibus, et conversi nos » lacerent[2]. » Est enim difficile de vero lumine vere puros et perspicuos declarare sermones suillis et indoctis auditoribus. His enim vix possunt apud vulgus ulla magis audiri ridicula : rursus autem apud ingeniosos magis admirabilia, et Deum magis spirantia. « Animalis autem homo non suscipit » ea, quæ sunt spiritus Dei : sunt enim ei stultitia[3]. » Sapientes autem ore non proferunt, quæ in consessu cogitant. « Sed quod auditis, *inquit Dominus*, in aurem, prædicate » super tecta[4] : » arcanas traditiones veræ cognitionis, excelse et excellenter explicatas, jubens suscipere, et sicut in aurem audivimus, ita etiam tradere quibus oportet; non autem omnibus passim divulgare, quæ eis in parabolis dicta erant, præcipiens. Sed revera commentariorum delineatio

[1] 1 Cor. VIII, 1, 2, 3. — [2] Matth. VII, 6. — [3] 1 Cor. II, 14. — [4] Matth. X, 27.

ioni illa inserviunt, quæcumque sparsim habent seminaam hic et illic veritatem, ut eos lateant, qui more graculoum passim ac temere verba serunt : cum autem agricolam bonum nacta fuerint, germinabit unumquodque ex iis, et idet frumentum.

Cum una sit itaque veritas (habet enim innumerabilia alsum diverticula), quemadmodum Bacchæ, quæ Penthei membra divulserunt ac distulerunt, philosophiæ tam barbaræ quam Græcæ hæreses, unaquæque id, quod sortita est, tanquam totam jactat veritatem. Lucis autem, ut opinor, exortu omnia illuminantur. Universi ergo Græci ac barbari, qui veritatis studiosi fuere, cum illi, qui non leem portionem, tum etiam alii, qui exiguam forte particuam Logi veritatis assecuti sunt, in medium prodeant. Quod si sæculum quidem partes temporis futuras, præsentes, et præteritas etiam uno quasi momento simul repræsentat : certe veritas in propriis seminibus colligendis, etiamsi in terra aliena dispersa fuerit, longe potentior est quam sæculum. Permulta enim invenimus ex his, quæ opinione recepta sunt, apud hæreses, quæ non sunt omnino absurdæ, nec excisam habent naturalem consequentiam, et quæ tanquam gynæcea Christum viri instar exciderint, etiamsi certum sit et extra controversiam, eas esse dissimiles genere et tota veritate. Aut enim ut membrum, aut ut species, aut ut genus in unum coïncidunt. Quemadmodum summa chorda, licet sit imæ contraria, tamen ambæ unam harmoniam edunt : et numerus par, cum differat ab impari, in Arithmetica tamen ambo conveniunt : quemadmodum etiam in figuræ ratione circulus, et triangulus, et quadratus, et quæcumque aliæ figuræ inter se differunt : quinetiam in mundo universo partes omnes, etiamsi inter se differant, servant eam, quæ est cum toto, conjunctionem et convenientiam : sic ergo et barbara et Græca philoso-

phia æternæ veritatis avulsam quamdam particulam, non e Bacchi mythologia, sed ex æterni Logi theologia, decerpsit: qui autem divisa rursus composuerit, et unum ex iis fecerit, scias futurum ut perfectum Logum, veritatem, citra periculum contempletur. Scriptum est itaque in Ecclesiaste: « Et adjeci sapientiam super omnes, qui fuerunt ante » me in Hierusalem, et cor meum vidit multa: sapientiam » et cognitionem, parabolas et scientiam novi præterea. Et hæc » quidem est prælectio spiritus, quoniam in multitudine » sapientiæ est multitudo cognitionis [1]. » Qui est autem omnigena multitudine sapientiæ præditus, is proprie fuerit Gnosticus. Jam vero scriptum est: « Abundantia cogni» tionis sapientiæ vivificabit eum, qui est ex ipsa [2]. » Et rursus apertius confirmat ea, quæ dicta sunt, hoc dictum: « Sunt » omnia in conspectu eorum, qui intelligunt [3]. » *Omnia* autem sunt Græca et barbara: alterutra autem non sunt utique *omnia*. « Recta autem sunt iis, qui sensum volunt » accipere. Eligite disciplinam, et non argentum, et cogni» tionem super aurum probatum. » Eligite autem sensum quoque plus quam aurum purum: « melior est enim sa» pientia lapidibus pretiosis: quidquid autem est pretiosum » non est pretio cum ea conferendum. »

Dicunt autem Græci post Orpheum et Linum, et poetas, qui apud eos fuerunt antiquissimi, in admiratione fuisse habitos propter sapientiam primos septem, qui cognominati fuerunt Sapientes, quorum quatuor quidem fuerunt ex Asia, Thales Milesius, et Bias Prieneus, et Pittacus Mytilenæus, et Cleobulus Lindius: duo autem ex Europa, Solon Atheniensis, et Chilo Lacedæmonius: septimum autem alii quidem dicunt esse Periandrum Corinthium, alii vero Anacharsim Scytham, alii vero Epimenidem Cretensem, quem Græcum prophetam novit Paulus, cujus etiam meminit in

[1] Eccles. I, 17, 18. — [2] Eccli. VII, 12. — [3] Prov. VIII, 9, 10.

istola ad Titum, sic dicens : « Dixit quidam ex ipsis proprius propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri : et testimonium hoc verum est [1]. » Vides, quomodo etiam Græcorum prophetis dat aliquid veritatis : nec erubescit, et ad ædificationem, et ad aliquorum conversionem disserens, uti Græcis poëmatibus? Itaque ad Corinthios (non enim hic solum) disserens de resurrectione mortuorum, tragico iambo usus est, dicens : « Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus et bibamus, cras enim morimur. Nolite seduci, corrumpunt bonos mores colloquia prava [2]. » Alii autem Acusilaum Argivum in septem Sapientum numerum retulerunt : alii autem Pherecydem Syrium. Plato autem pro Periandro, tanquam sapientia indigno, propterea quod fuerit tyrannus, posuit Mysonem Chenensem. Et quod longe quidem infra Mosis ætatem fuerint Græcorum sapientes, ostendetur paulo post. Quod autem modus ejus, quæ fuit apud eos, philosophiæ, fuerit Hebraicus et ænigmaticus, jam considerandum est. Brevitatem itaque amplectebantur aptam ad tradendas admonitiones, et utilissimam. Ipse enim Plato hunc modum dicit studiose ac diligenter fuisse consectatos, communiter quidem omnes Græcos, præcipue autem Lacedæmonios et Cretenses, qui optimis legibus utebantur. Atque illud quidem, *Nosce teipsum*, alii quidem existimarunt Chilonis : Chamæleo autem, in libro *de Diis*, Thaletis : Aristoteles autem Pythiæ. Qua sententia fieri potest, ut cognitionem persequi admoneamur : quippe cum partes sine essentia totius universitatis cognosci nequeunt, unde ad cognitionem humanæ naturæ requiritur, ut ipsius mundi naturam prius quæramus. Chiloni rursus Lacedæmonio tribuunt, *Ne quid nimis*. Strato autem in opere *de Inventis*, ascribit hoc dictum Stratodemo Tegeatæ : Didymus

[1] Tit. I, 12, 13. — [2] I Cor. XV, 32, 33.

autem id censet esse Solonis; sicut etiam Cleobuli, *Modus optimus*. Illud autem, *Sponde, noxa præsto est*, Cleomenes quidem in libro *de Hesiodo*, dicit prius fuisse dictum ab Homero his verbis :

Miseræ pro miseris etiam sponsiones ad spondendum.

Aristotelici autem existimant id fuisse Chilonis : Didymus autem dicit id fuisse admonitionem Thaletis. Et deinde illud, *Omnes homines mali*; vel, *Plurimi hominum mali* (hoc enim dictum duobus modis effertur), Sotades Byzantinus dicit esse Biantis : et illud, *Omnia vincit diligens meditatio*, volunt esse Periandri. Similiter autem admonitionem, quæ dicit, *Nosce occasionem*, fuisse Pittaci. Solon autem leges tulit Atheniensibus, Pittacus vero Mitylenæis. Tandem autem Pythagoras Pherecydis familiaris, seipsum primus appellavit Philosophum. Philosophiæ itaque, post hos, quos ante dixi, tres fuere successiones, quæ nomina sumpserunt a locis, in quibus versatæ sunt. Italica quidem, quæ derivata est a Pythagora : Ionica, quæ a Thalete : Eleatica autem, quæ a Xenophane. Porro autem Pythagoras, Mnesarchi filius, Samius quidem erat, ut dicit Hippobotus : ut autem dicit Aristoxenus in vita Pythagoræ, et Aristarchus, et Theopompus, erat Tuscus : ut autem Neanthes, Syrius vel Tyrius : adeo ut ex plurimorum sententia Pythagoras esset genere barbarus. Quinetiam Thales, ut referunt Leander et Herodotus, erat Phœnix : ut autem nonnulli existimarunt, Milesius. Hic solus videtur esse congressus cum prophetis Ægyptiorum; ejus autem nullus scribitur præceptor : quemadmodum nec Pherecydæ Syrii, cujus fuit discipulus Pythagoras. Sed Pythagoræ quidem, quæ Italica dicta est, philosophia, consenuit in Metaponto oppido Italiæ. Anaximander autem, Praxidami filius, Milesius, succedit Thaleti. Ei Anaximenes Eurystrati, Milesius. Post quem Anaxagoras Hegesibuli, Clazomenius. Hi

x Ionia scholam traduxit Athenas. Ei succedit Archelaüs, uem audivit Socrates :

Ex his æquiloquus declinavit lapicida,
Graium incantator,

it Timon in Sillis, propterea quod a physicis declinarit ad a, quæ ad mores pertinent. Socratem autem cum audiisset, ntisthenes quidem, sectam introduxit Cynicam, Plato utem secessit in Academiam. Apud Platonem philosophas Aristoteles, cum transiisset in Lyceum, sectam condit eripateticam. Ei succedit Theophrastus, cui Straton, cui ycon, deinde Critolaüs, deinde Diodorus. Platoni succesit Speusippus, ei Xenocrates, cui Polemon : Polemonis utem auditores fuere Crates et Crantor, in quos desiit etus Academia. Crantoris autem fuit particeps Arcesilaüs, quo usque ad Hegesilaüm media floruit Academia. Deinde arneades succedit Hegesilao, et alii deinceps. Cratetis utem discipulus fuit Zeno Citieus, Stoicorum sectæ prinps : huic succedit Cleanthes, post quem Chrysippus, et lii deinceps. Eleaticæ autem disciplinæ princeps fuit Xeophanes Colophonius, quem dicit Timæus fuisse tempore ieronis, qui in Sicilia obtinuit dominatum, et Epicharmi oëtæ : Appollodorus autem eum, cum natus esset quadraesima Olympiade, pervenisse usque ad tempora Darii et Cyri. Xenophanis ergo fuit auditor Parmenides, ejus Zeno, einde Leucippus, deinde Democritus. Democriti autem uditores, Protagoras Abderitanus et Metrodorus Chius, ujus Diogenes Smyrnæus, cujus Anaxarchus : ejus autem Pyrrhon, cujus Nausiphanes : ejus dicunt nonnulli discipulum fuisse Epicurum. Et hæc est quidem successio eorum, qui fuerunt apud Græcos, philosophorum, tanquam in epitome. Tempora autem eorum, qui fuerunt principes et auctores ipsorum philosophiæ, sunt dicenda consequen-

ter : ut facta comparatione, ostendamus Hebræorum philosophiam fuisse generationibus multis antiquiorem. Et de Xenophane quidem dictum est, qui fuit Eleaticæ princeps Philosophiæ. Thaletem autem Eudemus in historiis astrologicis dicit prædixisse defectum solis, qui fuit eo tempore, quo inter se manus conseruere Medi et Lydi, regnante quidem Cyaxare, patre Astyagis, in Media, Alyatte autem Crœsi, in Lydia. Ei autem congruit Herodotus quoque in primo. Sunt autem ea tempora circa quinquagesimam Olympiadem. Pythagoras autem invenitur tempore Polycratis tyranni circa sexagesimam secundam Olympiadem. Solonis autem æmulator fuisse scribitur Mnesiphilus, cum quo versatus est Themistocles. Floruit autem Solon quadragesima sexta Olympiade. Heraclitus porro, Bausonis filius, persuasit Melancomæ tyranno, ut deponeret tyrannidem. Hic despexit regem Darium adhortantem, ut veniret ad Persas.

Hæc sunt quidem tempora eorum, qui apud Græcos fuere antiquissimi Sapientum et Philosophorum. Quod autem eorum plurimi fuerint et genere barbari, et a barbaris eruditi, quid opus est dicere? Siquidem Tuscum aut Tyrium fuisse Pythagoram ostensum est. Phryx autem erat Antisthenes; et Orpheus, Odrysius vel Thrax. Homerum enim plurimi produnt fuisse Ægyptium. Thales autem cum esset Phœnix genere, etiam cum Ægyptiorum prophetis congressus esse dicitur : sicut etiam Pythagoras cum iis ipsis, per quos etiam fuit circumcisus, ut adyta ingrediens Ægyptiorum mysticam disceret philosophiam; et cum Chaldæorum et Magorum versatus est præstantissimis : et eam, quæ nunc vocatur, Ecclesiam significat id, quod apud ipsum est ὁμακοεῖον. Plato autem non it inficias, se ea quæ sunt præstantissima in philosophia, mercatum esse a barbaris, et fatetur venisse in Ægyptum : unde in Phædone scribens, undiquaque posse juvari Philosophum, « Magna

quidem est, *inquit*, Græcia, o Cebes! ait ille, in qua sunt viri omni ex parte boni; multa sunt autem etiam genera barbarorum. » Sic existimat Plato ex barbaris neque esse aliquos Philosophos. Epicurus autem contra existimat solos Græcos posse philosophari. Et in Convivio Plato laudans barbaros, ut qui philosophiam insigniter exercuerint, vere dicit : *Et in multis aliis, et apud Græcos, et apud barbaros*, quorum etiam *templa jam multa facta sunt, propter ejusmodi filios*. Clarum est autem, barbaros eximie semper honorasse suos legumlatores et præceptores, eos deos appellantes. «Bonas enim animas, *ut dicit Plato*, supercœlesti loco relicto, sustinuisse venire in hunc tartarum, et corpore suscepto malorum omnium, quæ ex generatione contrahuntur, fuisse participes existimant, humani generis curam gerentes : » quæ et leges tulerunt, et philosophiam prædicarunt; «quo majus bonum ad hominum genus numquam venit, nec veniet. » Atque mihi quidem videntur cum sensissent magna, quæ per sapientes conferebantur, beneficia, et eos coluisse, et publice esse philosophati, et Brachmanes universi, et Odrysæ, et Getæ. Quinetiam genus Ægyptium diligentissime illos in Deos retulit, et Chaldæi et Arabes, qui dicti sunt Felices, et quicumque habitarunt Palæstinam, et non minima Persici generis pars, et alia præter hæc genera innumerabilia. Clarum est autem inveniri semper Platonem magni facere barbaros, ut qui meminisset se et Pythagoram plurima eaque præstantissima et nobilissima dogmata didicisse apud barbaros. Et ideo etiam, genera barbarorum vocat *genera philosophorum barbarorum* : neque ignorat in Phædro regem Ægyptium, et Thoyth nobis ostendit sapientiorem; quem quidem novit esse Mercurium. Quinetiam in Charmide videtur quosdam nosse Thraces, qui dicuntur animam facere immortalem. Narratur autem Pythagoras fuisse

discipulus Sonchedis, archiprophetæ Ægyptii : Plato autem Sechnuphidis Heliopolitani : Eudoxus autem Cnidius Conuphidis, qui ipse quoque fuit Ægyptius. In Dialogo autem de anima, rursus videtur Plato agnoscere prophetiam, introducens prophetam Lachesis orationem enuntiantem, et apud eas quæ sortiuntur, animas prædicentem : et in Timæo sapientissimum Solonem introducit discentem a barbaro. Ita autem se habet dictio : « O Solon! Solon! vos » Græci semper estis pueri, senex autem nullus est Græ» cus : disciplinam enim nullam habetis canam. » Democritus autem morales libros scripsit Babylonicos : dicitur autem Açicari, quam est interpretatus columnam, suis scriptis adjunxisse. Atque ex ipso observari hoc potest, ubi, *Hæc autem dicit Democritus*, scribit. Quinetiam de seipso, de magna sua se jactans doctrina, ait : « Ego ex iis, qui meo » tempore fuerunt, plurimas terras peragravi, ea quæ pro» cul erant remota inquirens, et aëris et terræ vidi regiones » plurimas, et homines doctos audivi plurimos, nec in de» cendis committendisque lineis, vel eorum, qui apud » Ægyptios Arpedonaptæ dicuntur, quisquam me demon» strationum certitudine superabat, quibus cum omnibus ad » octoginta annos peregrinus hospesque versatus sum. » Adiit enim Babylonem, Persidem et Ægyptum, Magorum et Sacerdotum se præbens discipulum. Zoroastrem autem Magum Persam Pythagoras ostendit. Qui Prodici hæresim persequuntur, gloriantur se arcanos libros hujus viri possidere. Alexander autem, in libro de Symbolis Pythagoricis, refert Pythagoram fuisse discipulum Nazarati Assyrii (quidam eum existimant Ezechielem, sed non est, ut ostendetur postea), et vult præterea Pythagoram Gallos audiisse et Brachmanas. Clearchus autem Peripateticus dicit se nosse quemdam Judæum, cum quo versatus est Aristoteles. Heraclitus autem non humanitus, sed divinitus potius dicit

pparuisse Sibyllam. Aiunt itaque Delphis in curia ostendi etram quamdam, super quam dicitur sedisse prima Sibylla, quæ ex Helicone venerat, educata a Musis, cum esset lia Lamiæ Sidoniæ. Serapion autem in versibus dicit ne ortuam quidem a divinandi arte cessasse Sibyllam : et id uidem, quod ex ea in aërem recessit post obitum, esse, uod in ominosis vocibus ac rumoribus divinat : ex eo autem, quod in terram mutatum est, corpore, exorta, ut onsentaneum est, herba, quæcumque eam bestiæ comedissent, cum in eo loco essent, scribit perfectam futuri ognitionem per exta hominibus significasse. Ejus autem nimam existimat eam esse faciem, quæ apparet in luna. t hæc quidem de Sibylla. Numa autem, rex Romanorum, rat quidem Pythagoreus, ex iis autem, quæ a Mose tradita sunt, adjutus, prohibuit Romanis, ne homini aut animali similem Dei facerent imaginem. Cum itaque centum t septuaginta primis annis templa ædificarent, nullam maginem nec effictam nec depictam fecere. Occulte enim is indicarat Numa, quod id, quod est optimum, non alia ratione quam sola mente ulli licet attingere. Philosophia ergo, es quædam valde utilis, olim quidem floruit apud barbaros er gentes resplendens : postea autem venit etiam ad Græcos. i autem præfuerunt et Ægyptiorum Prophetæ et Assyriorum haldæi, et Gallorum Druidæ, et Semanæi Bactrorum, et Celtarum ii qui philosophati sunt, et Persarum Magi, qui quidem ervatoris quoque nostri ortum significaverunt, stella eos præcedente venientes in Judæam; et Indorum Gymnosophistæ, et alii Philosophi barbari. Est autem duplex horum enus : alii enim ex iis vocantur Sarmanæ, alii vero Brachmanes. Et ex Sarmanis quidem, ii, qui appellantur Allobii, neque rbes habitant, nec domus aut tecta habent : arborum autem induuntur corticibus, et glandes arborumque baccas omedunt, et aquam bibunt manibus : non nuptias, non libe-

rorum norunt procreationem, quemadmodum ii, qui nunc vocantur Encratitæ, id est, *continentes*. Sunt autem etiam ex Indis, qui Buttæ parent præceptis, quem propter insignem virtutem ut Deum honorarunt. Scytha autem erat etiam Anacharsis, qui scribitur Græcorum multis antecelluisse philosophis. Hellanicus autem scribit Hyperboreos habitasse ultra Riphæos montes, doceri autem ipsos justitiam, non vescentes carnibus, sed arborum fructibus. Et sexagenarios extra portas ducentes, tollunt de medio. Sunt autem etiam apud Germanos sacræ, quæ vocantur, mulieres, quæ fluviorum vortices prospicientes, fluentorumque sonitus ac circumvolutiones, futura conjiciunt et prædicunt. Eæ non permiserunt, ut ipsi cum Cæsare pugnarent, antequam nova luna illuxisset. His omnibus Judæorum genus est longe antiquius : et eam, quæ apud ipsos scripto mandata est, philosophiam cœpisse ante Græcam, multis verbis ostendit Philo Pythagoreus. Quinetiam Aristobulus quoque Peripateticus, et alii complures, ne in eis nominatim persequendis immorer. Apertissime autem scriptor Megasthenes, qui vixit cum Seleuco Nicatore, scribit in tertio rerum Indicarum : « Omnia quidem, quæ de natura » dicta sunt a veteribus, dicuntur etiam ab iis, qui extra » Græciam philosophantur, partim quidem apud Indos a » Brachmanis, partim vero in Syria ab iis, qui vocantur » Judæi. » Quidam autem fabulosius ex iis, qui Idæi appellantur Dactyli, sapientes quosdam primum fuisse dicunt, a quos et Ephesiarum, quæ dicuntur, litterarum, et eorum, qui sunt in Musica, numerorum refertur inventio. Propter quam causam sunt appellati, qui sunt apud musicos, dactyli. Phryges autem erant et barbari Idæi Dactyli. Herodotus autem refert Herculem, cum esset vates et naturalis scientiæ studiosus, ab Atlante barbaro Phryge mundi suscepisse columnas. Qua fabula innuitur, eum cœlestium

scientiam ab illo didicisse. Hermippus autem Berytius vocat Chironem centaurum sapientem. De quo etiam dicit, qui scripsit Titanomachiam, quod « is primus universum mortalium genus ad justitiam duxit, indicatis jurisjurandi formulis, deorum lætis sacrificiis, et cœli figuris. » Ab eo instituitur Achilles, qui militavit ad Ilium. Hippo autem filia Centauri, Æolo conjuncta, docuit eum naturæ contemplationem, patris sui scientiam. De Hippone autem testatur quoque sic Euripides :

> Divina quæ primum quidem præsagiit
> Oraculis, nec non per ortus syderum.

Ad hunc Æolum, Ulysses post Trojam captam hospitio excipitur. Observa mihi tempora ad comparationem ætatis Mosis, et antiquissimæ, quæ ejus tempore fuit, philosophiæ. Non solum autem philosophiæ, sed etiam omnium fuere inventores Barbari. Primi itaque Ægyptii Astrologiam ad homines deduxere. Similiter autem etiam Chaldæi. Ægyptii ignes et lucernas primi accendere docuerunt, et annum in menses duodecim diviserunt, et in templis cum mulieribus coire prohibuerunt, neque ad sacra ab uxore illotis accedendum esse, lege sanxerunt. Et rursus inventores fuere Geometriæ. Sunt autem, qui dicunt Cares eam, quæ ex astris colligitur, invenisse præscientiam. Avium autem volatus primi Phryges observarunt. Aruspicinam autem seu extispicinam perfecte tenuerunt Tusci, vicini Italiæ. Isauri autem et Arabes augurii studuere, sicut Telmisenses ei, quæ per somnia fit, divinationi. Etrusci tubam, et Phryges tibiam excogitavere. Phryges enim erant Olympus et Marsyas. Cadmus autem erat Phœnix, qui fuit Græcis litterarum inventor, ut ait Euphorus. Unde etiam scribit Herodotus, literas appellatas fuisse Phœnicias. Alii autem dicunt, Phœnices et Syros primos excogitasse litteras. Medicinam

autem, Apim Ægyptium indigenam, priusquam Io veniret in Ægyptum: postea autem Æsculapium dicunt artem amplificasse. Atlas autem Libys, primus navem est fabricatus, et mare navigavit. Et rursus Celmis et Damnaneus, Idæi Dactyli, ferrum primi invenerunt in Cypro. Alius autem Idæus ferri invenit temperaturam; ut autem Hesiodus, Scytha. Ac Thraces quidem primi eam, quæ ἅρπη vocatur, invenerunt (est autem incurvus gladius), et peltis primi usi sunt in equis. Similiter autem Illyrii quoque peltam invenerunt. Tuscanos aiunt plasticen excogitasse, Itanumque (Samnites is fuit) primo clypeum fecisse. Cadmus autem Phœnix primus invenit lapidicinam, et in monte Pangæo excogitavit auri metalla. Jam vero alia quoque gens, Cappadoces, primi invenerunt id, quod nablium appellatur; quemadmodum Assyrii quoque dichordon. Carthaginenses autem primi construxerunt quadriremem: eamdem extemporaneam fabricatus est Bosphorus. Medea autem, Æetæ filia, Colchis, prima pilos tingere excogitavit. Quinetiam Noropes (est autem gens Pæoniæ, nunc autem appellatur Norica) æs elaborarunt, et primi ferrum purgarunt. Amycus, rex Bebrycum, lora pugilum, id est, cæstus, primus excogitavit: et Olympus Mysius in musica harmoniam Lydiam artificiose invenit: et qui vocantur Troglodytæ, sambucam instrumentum invenere musicum. Aiunt autem, obliquam quoque fistulam Satyrum invenisse Phrygem: modos, Olympum similiter Phrygem; quemadmodum Phrygiam harmoniam et Mixophrygiam et Mixolydiam, Marsyam, qui erat ejusdem regionis cum iis, qui ante dicti sunt: et Doricam Thamyrim Thracem excogitasse. Persas quoque primos audivimus currum, et lectum, et pedum scabellum effecisse, et Sidonios triremem navem ædificasse. Siculi quoque, qui sunt juxta Italiam, primi invenere phormingem, quæ non multum differt a cithara: et invenere

crepitacula. Quinetiam tempore Semiramidis, regis Ægyptiorum, narrant inventas fuisse vestes byssinas. Et primam composuisse epistolas Atossam, Persarum reginam, dicit Hellanicus. Scamon quidem Mitylenæus et Theophrastus Eressius, et Cydippus Mantineus, et præterea Antiphanes, et Aristodemus, et Aristoteles, quinetiam Philostephanus, et Strato quoque Peripateticus, in libris suis de Inventis, hæc narrarunt. Ex his autem pauca adjeci ad confirmandum, ad res inveniendas idoneam et vitæ utilem naturam esse Barbaris; a quibus, in studiis et rebus exercendis, Græci magnam accepere utilitatem. Si quis autem vocem reprehendit barbaram, *Mihi* autem, inquit Anacharsis, *omnes Græci scythice loquuntur*. Is autem erat, qui apud Græcos in admiratione est habitus, qui dixit: « Mihi indumentum est læna: cœna, lac et caseus. » Vides barbaram philosophiam, quæ facta, non verba profitetur. Apostolus autem dicit: « Sic et vos per linguam, si non recte significantem vocem dederitis, quomodo cognoscetur, quod dicitur? Eritis enim in aërem loquentes. Tot, verbi gratia, genera linguarum sunt in mundo, et nihil est vocis expers. Si ergo non novero vim vocis, ero loquenti barbarus, et loquens mihi barbarus. » *Et,* « qui loquitur lingua, oret ut interpretetur [1]. » Quin et sero ad Græcos accessit componendarum orationum doctrina, et scriptura. Et Alcmæon quidem, Perithi filius, Crotoniata, primus librum scripsit de natura. Alii autem Anaxagoram, Hegesibuli filium, Clazomenium, primum librum scriptum edidisse referunt. Modos autem poëmatibus primus adjecit, et Lacedæmoniorum leges numerosis versibus scripsit Terpander Antissæus. Dithyrambum autem excogitavit Lassus Hermioneus: hymnum Stesichorus Himeræus: choream Alcman Lacedæmonius: amatoria Anacreon Teius: ὑπόρχησιν (id est,

[1] Cor. XIV, 9, 10, 11, 13.

canticum ad saltandum accommodatum), Pindarus Thebanus. Et νόμους quos vocant, primos cecinit in choro et cithara Timotheus Milesius. Jam vero iambum quidem excogitavit Archilochus Parius: claudum autem iambum Hipponax Ephesius. Et tragœdiam quidem Thespis Atheniensis, comœdiam autem Sisarion Icariëus. Tempora horum tradunt Grammatici. Longum autem fuerit ea accurate describere, cum ipse mox ostendatur Dionysius, nempe Bacchus, propter quem celebrantur et Dionysia et spectacula, esse Mose posterior. Aiunt autem quæ in schola fiunt orationes, et rhetoricas proprietates invenisse, et mercede advocatum fuisse, ac primum judicialem orationem ad tradendam conscripsisse Antiphontem, Phyli filium, Rhamnusium, ut dicit Diodorus. Apollodorus autem Cumanus, primus Critici nomen suscepit, et appellatus est Grammaticus: nonnulli autem dicunt Eratosthenem Cyrenæum, quoniam is duos edidit libros, quos inscripsit Grammaticos. Nominatus autem est Grammaticus, ut nunc dicimus, primus Praxiphanes, Dionysophanis filius, Mitylenæus. Zaleucus vero Locrus primus scribitur leges tulisse: alii autem dicunt Minoem, filium Jovis, Lyncei tempore. Is fuit post Danaum, undecima generatione ab Inacho et Mose, ut paulo inferius ostendemus. Lycurgus autem, qui fuit multis annis post Trojam captam, centum et quinquaginta annis ante Olympiades tulit leges Lacedæmoniis. Solonis vero tempus prius diximus. Dracon autem, qui ipse quoque fuit legislator, invenitur fuisse circa tricesimam nonam Olympiadem. Antilochus autem, qui scripsit de omnibus viris doctis a Pythagoræ ætate usque ad mortem Epicuri, quæ fuit decimo gamelionis, complectitur totos annos trecentos duodecim. Præterea aiunt Phanotheam, Icarii uxorem, invenisse heroicum hexametrum: alii vero Themin, unam ex Titanidibus. Didymus autem, in libro de Philoso-

lia Pythagorica, refert Theano Crotoniatidem, primam x mulieribus esse philosophatam, et scripsisse poëmata. Græca itaque philosophia, ut aliqui quidem, casu utcunque et obscure veritatem, sed non omnem assequitur: ut ii autem volunt, instituta est a Diabolo. Nonnulli autem universam philosophiam quasdam Potestates e cœlo delapsas inspirasse existimant. Quod si non comprehendit quidem Græca philosophia veritatis magnitudinem, et est adhuc imbecilla ad mandata Domini exequenda, at maxime regali quidem doctrinæ viam præparat, utcunque castigans, mores prius formans, et ad suscipiendam veritatem confirmans eum, qui opinatur esse Providentiam.

At, inquiunt, scriptum est, *Omnes, qui fuerunt ante adventum Domini, sunt fures et latrones*[1]. Omnes ergo, qui a Logo sunt (hi autem sunt etiam, qui fuerunt ante susceptam a Logo carnem), exaudiuntur generaliter. Sed Prophetæ quidem, ut qui a Domino fuerunt missi et inspirati, non erant fures, sed ministri. Dicit itaque Scriptura: «Misit sapientia servos suos, convocans cum alto præconio in craterem vini[2].» Philosophia autem non missa est a Domino, sed venit, inquit, furto surrepta, vel a fure data. Aliquis igitur, sive Potestas, sive Angelus, qui veritatis aliquid didicit, et in ea non mansit, hæc inspiravit, et furto surrepta docuit; hoc faciens, non quod nescierit Dominus, qui fines eorum, quæ futura sunt, novit ante constitutionem uniuscujusque essentiæ, sed quod non prohibuerit. Tunc enim aliquam habuit utilitatem furtum, quod redibat ad homines, non quod is, qui surripuit, utile illi proponeret, sed Providentia ad utile dirigeret istius facinoris eventum. Scio multos in nos assidue insurgere, et id, quod non prohibet, causam esse dicere. Furti enim causam esse dicunt eum, qui non servavit, vel eum, qui

[1] Joan. x, 8. — [2] Prov. ix, 3.

non prohibuit : quemadmodum incendii, eum, qui ign non extinxit incipientem : et naufragii, gubernatorem, q rudentem non contraxerit. Jam vero puniuntur a lege, q horum causæ sunt ; nam in cujus potestate erat situm pr hibere, in eum ejus, quod accidit., culpa confertur. Ad h autem dicimus, quod in faciendo, operando, et agend causa cognoscatur : id autem, quod non prohibet, hoc i remotum est ab operatione. Præterea causa quidem ver tur in operatione; quemadmodum navis ædificator in f bricanda scapha; domus autem ædificator, in ædis co structione : id autem, quod non prohibet, ab eo, quod separatum est. Propterea ergo perficitur, quod id, q potest prohibere, non operatur, nec prohibet. Quid e operatur, qui non prohibet? Jam vero ad absurdum quoq redit id, quod ab eis dicitur : siquidem vulneris caus esse dicent, non telum, sed clypeum, qui non prohib quo minus telum pervaderet. Neque igitur furem, sed e qui furtum non prohibuit, reprehendent. Alioqui Græc rum quoque naves non Hectorem dicant combussisse, s Achillem : quoniam cum prohibere posset Hectorem, n prohibuit. Sed ille quidem propter iram (in ejus aut potestate erat irasci, vel non irasci) et ignem non pro buit, et forte adjuvans causa fuit : Diabolus autem c liberum haberet arbitrium, et duci posset pœnitentia furari, ipse quoque furti causa est, non autem Domin qui non prohibuit. Sed nec noxium erat donum, ut acc deret prohibitio. Quod si accurate adversus eos agend est, sciant id quidem, quod non prohibet, quod in fa factum esse dicimus, nullo modo esse causam : in id autem, quod prohibet, causam culpamque conferri. Qui en clypeo protegit, ei, qui protegitur, causa est, ne saucie tur, prohibens ipsum sauciari. Et Socrati dæmonium causa erat, non prohibens, sed adhortans, etsi non adhortaretur;

ed nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec upplicia justa sunt, si anima non habeat liberam potestatem et appetendi et abstinendi, sed sit vitium involuntaium. Unde qui prohibuit quidem, causa est: qui autem on prohibuit atque impediit, liberam animæ electionem uste judicat: ut vel maxime quidem Deus nobis non sit ausa vitii. Quoniam autem libera electio et appetitio peccata primum inchoat, falsa autem nonnunquam dominatur pinio, a qua, cum ignorantia et imperitia sit, recedere egligimus, jure infliguntur supplicia. Febrire enim est nvoluntarium, sed cum quis per se et propter suam intemperantiam febrierit, eum reprehendimus. Utpote cum inoluntarium jam sit malum: nemo enim malum eligit, uatenus malum: sed abductus ab ea, quæ inest in ipso, oluptate, id bonum ratus, suscipiendum existimat. Quæ um ita se habeant, et liberari ab ignoratione, et a mala et delectabili electione; et ante omnia non assentiri fallaibus illis phantasiis et visis, situm est in nostra potestate. *Latro* autem et *fur* dicitur Diabolus, qui prophetis pseudoprophetas admiscuit, tanquam frumento zizania. « Omnes ergo, qui fuerunt ante Dominum, fures et latrones[1], » on absolute autem omnes homines, sed omnes pseudoprophetæ, et omnes, qui non proprie ab ipso missi sunt. Habuerunt autem pseudoprophetæ quoque furtum, quod prophetæ dicerentur: cum prophetæ quidem essent, sed ejus, qui est mendax. Dicit enim Dominus: « Vos ex patre vestro Diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quoniam non est in ipso veritas. Cum locutus fuerit falsum, ex propriis loquitur, quoniam mendax est, et pater ejus[2]. » In falsis autem vera quoque aliqua dicebant pseudoprophetæ. Et ii revera prophetabant in *extasi*, ut *Apos-*

[1] Joan. x, 8. — [2] Id. viii, 44.

tatæ, ejus, inquam, qui defecerat, ministri. Dicit aut
Pastor quoque, Angelus pœnitentiæ, ad Hermetem,
pseudopropheta : « Quædam enim verba vera dicit : Di
» bolus enim eum implet suo spiritu, si quem possit
» justis frangere. » Omnia ergo cælitus in bonum disp
santur, « Ut per Ecclesiam innotescat multiplex ac varia
» sapientia, secundum sæculorum præscientiam, quam f
» in Christo [1]. » Deo autem nihil adversatur, nec est qui
quam ei contrarium, ut qui sit Dominus et omnipote
Quinetiam eorum, qui defecerunt, consilia et operatio
cum partem solum afficiant, fiunt quidem ex mala af
tione, sicut morbi corporis : ab universali autem pr
dentia diriguntur ad finem salubrem, etiamsi causa
morbi efficiens. Est itaque maximum divinæ Provid
opus, quod non sinat, ut vitium, quod ex voluntaria def
tione ortum est, inconducibile maneat et inutile, sed n
sit ubique et in omnibus noxium. Divinæ enim sapientiæ
et virtutis, et potentiæ est officium, non solum benefa
(hæc est enim, ut ita dicam, Dei natura, ut ignis cal
cere, et lucis illuminare) sed illud quoque maxime, ut i
quod per malos aliquos excogitatum est, ad bonum aliqu
finem et utilem deducat, et commode iis, quæ videnti
mala, utatur, sicut eo, quod ex tentatione processit, te
timonio. Est ergo etiam in philosophia, quæ furto surrep
veluti a Prometheo, tanquam aliquantulum ignis, ge
rando lumini, si commode excitetur, aptum, et vestigium
aliquod sapientiæ, et motio a Deo orta. In hoc autem la
trones et *fures* fuerint Græcorum philosophi, quod eti
ante Domini adventum a prophetis Hebræis quasdam partes
veritatis sumpserint, id minime agnoscentes, sibi tanquam
propria dogmata attribuerunt, et alia quidem adulterarunt,

[1] Ephes. III, 10, 11.

[2] Vide D. Guillon, pag. 393.

autem, supervacanea quadam diligentia imperite, eo histarum more interpolarunt; alia autem etiam invene t: nec enim vero absimile est, eos *sensus spiritum* habuisse[1]. Assentitur autem scripturæ quoque Aristoteles, dixit, Sophisticam esse furem sapientiæ, sicut ante ndimus. Apostolus autem, « Quæ etiam loquimur, *inquit*, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus[2]. » De prophetis enim, « Omnes, *inquit*, de enitudine ejus accepimus, » Christi scilicet [3]. Quare sunt fures Prophetæ. « Et doctrina mea, non est mea, *quit Dominus*, sed ejus, qui misit me, Patris[4]. » Et de ibus, « Qui autem ex seipso, *inquit*, loquitur, gloriam opriam quærit. Tales autem sunt Græci, « seipsos amantes, elati[5]. » Sapientes autem eos dicens Scriptura, non prehendit eos, qui sunt vere sapientes; sed eos, qui sibi lentur.

De his autem dicit: « Perdam sapientiam sapientum, et rudentiam prudentum abolebo[6]. » Infert itaque Apostolus: ubi sapiens? ubi scriba? ubi inquisitor hujus sæculi? » sirum a scribis, hujus sæculi inquisitores, philosophos entibus, distinguens. « Nonne stultam fecit Deus mundi pientiam? » quod perinde est, ac stultam ostendit, et veram, ut illi eam esse putabant. Et si roges causam sibi viderentur sapientes: « Propter cæcitatem cordis eorum[7], *inquiet*: Quoniam in sapientia Dei[8], *ea nempe, per Prophetas est annuntiata*, « non cognovit mundus per sapientiam, *quæ scilicet loquitur per Prophetas*, eum, *scilicet Deum*, ipsi Deo visum est per prædicationem stultitiæ, *quæ Græcis scilicet videtur esse stultitia*, salvos facere credentes: Quoniam Judæi, *inquit*, signa

[1] Exod. XXVIII, 3. — [2] I Cor. II, 13. — [3] Joan. I, 16. — [4] Ibid. VII, 16. — [5] 2 Tim. III, 2. — [6] I Cor. I, 19, 20. — [7] Ephes. IV, 18. — [8] I Cor. I, 22, 23, 24.

»petunt *ad fidem*, Græci autem quærunt sapientiam : » nempe orationes, quæ vocantur ἀναγκαστικαὶ hoc est, *necessario concludentes*, et alios scilicet syllogismos. « Nos »autem prædicamus Jesum Christum crucifixum, Judæis »quidem scandalum; » quod cum sciant prophetiam, non credant eventui : « Græcis autem stultitiam; » fabulam enim esse existimant, qui sibi videntur sapientes, quod per hominem filius Dei loquatur, et Deus habeat filium, et is sit passus : quo fit, ut nimia sui existimatione præoccupati credere nolint. Servatoris enim adventus, non stultos fecit et duros corde, et infideles; sed prudentes, et aptos quibus persuadeatur, et præterea fideles. Verum, qui parere noluerunt, ab eorum, qui obedierunt voluntaria adhæsione discedendo ostensi sunt imprudentes, et infideles, et stulti. « Ipsis autem vocatis, Judæis et Græcis, Christus est Dei »virtus, et Dei sapientia. » Num ergo (quod est etiam melius) existimandum est esse negativum illud, Οὐχὶ ἐμώρανε *Deus sapientiam mundi*, perinde ac ὀυκ ἐμώρανεν, *non stultam fecit*, ne causa duritiei cordis a Deo eis facta videatur; qui stultam fecit sapientiam? Omnino enim cum sapientes essent, majori culpæ fuere obnoxii, qui prædicationi non crediderunt : voluntaria enim est electio et delectus veritatis. Quinetiam illud, *Perdam sapientiam sapientum*, ejus, quæ contemnitur ac despicitur, barbaræ philosophiæ oppositione dicit illustrasse; sicut etiam lucerna, quæ a sole illustratur, dicitur periisse, eo quod non sit paris efficaciæ. Cum ergo omnes homines vocentur, qui voluerunt obedire, nominati sunt *vocati*. Non est enim apud Deum injustitia. Jam vero qui ex utroque populo crediderunt, ii sunt *populus peculiaris*. Et in Actis Apostolorum hoc his verbis inveneris : « Qui itaque verbum ejus susce»perunt, baptizati sunt[1]. » Qui autem noluerunt parere,

[1] Act. II, 41.

ipsos scilicet abalienaverunt. Ad eos dicit Prophetia : Et si velitis, et me audieritis, bona terræ comedetis [1] : » nobis situm esse arguens ut eligamus, et declinemus. ei autem *sapientiam* dixit Apostolus doctrinam, quæ est Domino, ut veram philosophiam ostenderet tradi per ium. Quinetiam qui sibi videtur sapiens, habet quasm admonitiones, quæ jubent apud Apostolum « induere ovum hominem, qui secundum Deum creatus est in ustitia et sanctitate veritatis. Quamobrem deponentes menlacium, loquimini veritatem. Ne detis locum diabolo. Qui furabatur, non amplius furetur, sed potius laboret, perans bonum [2]. » (*operari* autem est allaborare quærendo itatem : nam conjunctam est illi, quæ sermone fit, beficientæ) « ut impertiri possitis ei, qui opus habet, » et eculares copias, et divinam sapientiam. Vult enim verbum loceri, et argentum mensis dari perfecte examinatum, ut etur fœnori. Unde infert : « Turpe verbum ex ore vestro non exeat. » Id autem turpe est, quod procedit ex opiione, quam de se quis concipit : « Sed si quod est bonum ad ædificationem utilitatis, ut det gratiam audientibus. » mi autem Dei, bonum sit verbum necesse est. Quomodo item non est bonum, quod salvum facit?

Quod itaque testimonio comprobetur, Græcos vera quæm habere dogmata, hinc quoque licet considerare. Scriitur in Actis Apostolicis, Paulum hæc dicere ad Areopaitas : « Superstitiosiores vos video. Præteriens enim, et videns simulacra vestra, inveni et aram, in qua scriptum erat, *Ignoto Deo*. Quem ergo ignorantes colitis, eum vobis nnuntio. Deus enim, qui fecit mundum, et omnia, quæ in ipso sunt : hic cœli et terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec a manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam et

[1] Isai. I, 19. — [2] Ephes. IV, 24, 25, 27, 28, 29.

mus. Si quis enim dixerit προσαναφώνησιν hoc est, *prædictionem*, et συνεκφώνησιν id est, *conjunctam vocationem*, velut causam assignet, dicit species prophetiæ. Atque ex ejusdem veritatis specie, seu imagine, alii dicunt, quædam esse a philosophis prolata. De nobis itaque dicit divinus Apostolus : « Videmus enim nunc tanquam per speculum[1], » per eam scilicet, quæ est in ipso, reflexionem nos ipsos cognoscentes; et ex ea, quæ est in nobis, divinitate efficientem causam, quoad ejus potest fieri, una contemplantes. « Vidisti enim, *inquit*, fratrem tuum, vidisti Deum tuum. » Servatorem puto Deum nunc nobis dictum esse. Post carnem autem depositam, *facie ad faciem*; tunc scilicet ita ut clare definire et comprehendere valeamus, quando *cor purum* fuerit. Et per imaginem quidem et transpectum Deum vident, qui apud Græcos accurate sunt philosophati. Nam per imbecillitatem nostram fit, ut ejusmodi sint, quotquot veras de Deo imagines habemus, quales per aquas cernuntur, aut per alia pellucida et perspicua corpora videre solemus. Recte ergo Salomon : « Qui seminat, *inquit*, justitiam, operatur fidem. Sunt autem, qui plura seminant, ii, qui plura faciunt[2]. » Et rursus: « Curam gere eorum, quæ sunt in campo viridia, et tondebis herbam : et collige fœnum maturum, ut habeas oves ad vestimentum[3]. » Vides, quemadmodum externi quoque integumenti et præsidii sit cura gerenda. « Scienter autem agnoscas animas gregis tui[4]. Quando enim gentes, quæ legem non habent, natura quæ sunt legis faciunt, ii non habentes legem, sibi ipsis sunt lex[5]; » præputio scilicet servante Legis justitias, ex sententia Apostoli, et ante Legem et ante Adventum. Tanquam comparationem autem faciens philosophorum cum iis, qui vocantur Hæretici, admodum dilucide, « Melior est, *inquit*

[1] I Cor. XIII, 12. — [2] Prov. XI, 21, 24. — [3] Id. XXVII, 25, 26. — [4] Ibid. 23. — [5] Rom. II, 14.

Logos, amicus prope, quam frater longe habitans [1]. Qui autem falsis innititur, is pascit ventos, et persequitur aves pennatas [2]. » Non existimo Logon nunc dicere philosophiam, licet ea sæpe argumentis probabilibus et ad fidem faciendam aptis utatur, sed insectatur hæreses. Infert itaque : « Reliquit enim vias suæ vineæ, in semitis autem propriæ agriculturæ aberravit. » Eæ autem sunt, quæ primævam Ecclesiam relinquunt. Jam vero qui cecidit in hæresim, *transit per solitudinem sine aqua*, eo, qui vere Deus est, relicto, a Deo desertus, aquam quærens sine aqua, « non habitabilem et sitibundam terram perambulans, colligens manibus sterilitatem fructuum. Et iis, qui carent prudentia, jubeo, *inquit Sapientia, scilicet, qui versantur in hæresibus*, Panes absconsos lubenter tangite, et aquam furti dulcem : » ubi per *panem* et *aquam*, eas hæreses clare notat Scriptura, quæ in oblatione pane et aqua aliter utuntur, quam Ecclesiæ canonibus præcipitur. Sunt enim, qui sola aqua utuntur in Eucharistia. « Sed resilias, ne diu moreris in loco ejus : » eam synagogam, non autem Ecclesiam, æquivoce appellavit. Deinde acclamat : « Ita enim trajicies aquam alienam : » baptisma hæreticum, non convenientem et germanam aquam reputans. « Et transmeabis fluvium alienum, » qui in mare defert et detrahit, in quod illabitur, qui divertit a stabilitate veritatis, rursus confluens ad gentiles et inordinatos vitæ fluctus.

Hebræorum postea Philosophiam paganorum Philosophia antiquiorem demonstrat, deducta longiore sive Græcorum, sive Judæorum chronologia, quam licet magna doctrina insignem brevitatis causa prætermittimus (a N°. XXI usque ad XXIV) inde occa-

[1] Prov. XXVII, 10. — [2] Id. IX, 12, 16, 17, 18.

sione accepta, ordinem temporum continuat usque ad quadragesimam octavam Olympiadem, deinde ver usque ad ultimum Commodi imperatoris annum, i quibus hæc præcipue notanda :

1°. Septuaginta interpretum versionem[1] :

Versas autem fuisse Scripturas et Legis et Prophetar Hebræo sermone in linguam Græcam aiunt tempore P lomæi, Lagi filii : aut, ut dicunt nonnulli, tempore ej qui fuit cognominatus Philadelphus, cum maximam ad rem contulisset diligentiam Demetrius Phalereus, et q ad interpretationem necessaria erant, summo studio p curasset. Nam cum adhuc Asiam obtinerent Macedo rex magno studio contendens eam, quæ Alexandriæ in ej potestate erat, bibliothecam omnibus scripturis exorn voluit ut Hierosolymitani quoque eas, quæ apud se e prophetias in sermonem Græcum interpretarentur. autem, ut qui adhuc obedirent Macedonibus, ex iis, apud se erant probatissimi, et maximæ existimati Scripturarum peritos, et Græcæ linguæ scientes, septua seniores delectos ad eum miserunt cum libris divinis. C autem unusquisque sigillatim ex suo singulas interpret esset prophetias, conspirarunt omnes simul collatæ in pretationes et sensibus, et dictionibus. Dei enim erat luntas, quæ id ad Græcorum aures consulto compara Neque vero ab inspiratione Dei erat alienum, qui pro tiam dederat, ut interpretationem quoque tanquam G cam efficeret prophetiam. Nam etiam in captivitate Nabuchodonosor, cum interiissent Scripturæ, temp Artaxerxis, Persarum regis, inspiratus Esdras Levites

[1] Pag. 409.

erdos, prophetavit, omnes veteres rursus Scripturas re-
ponens.

2'. Platonis cum Hebræis concordantiam [1] :

Aristobulus autem in primo libro ad Philometorem scribit his verbis : « Secutus est autem nostras quoque leges Plato, et satis aperte ostendit se eorum, quæ in eis dicuntur, fuisse admodum studiosum. Ante Demetrium autem, priusquam rerum potirentur Alexander et Persæ, ab alio versa fuerant, quæ ab Hæbreis nostris gesta fuerant in exitu ex Ægypto, et quæcumque eis insignia et facta erant et apparuerant, et regionis per vim quæsita possessio, et omnium, quæ latæ sunt, legum descriptio; adeo ut clarum sit antedictum Philosophum multa ex eis sumpsisse ; fuit enim multa doctrina præditus : sicut etiam Pythagoras multa ex nostris transtulit in suorum dogmatum traditionem. » Numenius autem philosophus Pythagoreus aperte scribit : *Quid enim est Plato, nisi Moses Attice loquens?*

3', Varia Mosis nomina [2] :

Deinde puero imponit nomen Regina, Moysen, apta etymologia, eo quod eum ex *aqua* sustulisset. *Aquam* enim *Moy* vocant Ægyptii, in qua moriturus fuerat expositus. Moysen enim vocant eum, qui *ex aqua emersus* expiraverit. Clarum est ergo, quod prius circumcisio puero, parentes aliquod nomen imposuerunt : vocabatur autem Joacim. Habuit autem tertium quoque nomen in cœlo postquam assumptus est, ut dicunt Mystæ, nempe Melchi.

[1] Pag. 410 et seq.
[2] Pag. 412 et seq.

4°. Ejusdem institutionem [1] :

Cum autem ætate esset grandior, Arithmeticam et Geometriam, Rythmicam et Harmonicam, et præterea Medicinam simul et Musicam doctus est ab iis, qui erant insignes inter Ægyptios; et præterea eam, quæ traditur per symbola, philosophiam, quam in litteris ostendunt Hieroglyphicis. Reliquum autem doctrinæ orbem, tanquam puerum regium, Græci eum docuere in Ægypto, ut dicit Philo in vita Mosis. Ad hæc litteras Ægyptiorum, et cœlestium scientiam a Chaldæis, et ab Ægyptiis didicit. Unde in Actis dicitur « edoctus fuisse in omni sapientia Ægyptio- » rum [2]. » Eupolemus autem in opere de Judææ regibus dicit, « Mosen primum fuisse sapientem, et Grammaticam » primum tradidisse Judæis, et eam Phœnices a Judæis ac- » cepisse, Græcos autem a Phœnicibus. » Ad eorum autem naturam deductus, sapientiam suam auxit : verumtamen consanguineorum ac majorum suorum disciplinam et instituta adeo coluit, ut Ægyptium, qui Hebræum injuste cæderet adortus, percussum interficeret. Tradunt autem, qui arcanos sensus sequuntur, solo verbo occidisse Ægyptium: quemadmodum certe postea in Actis Petrus fertur eos qui pretium agri sibi usurpaverant, et mentiti fuerant verbo interemisse [3]. Porro Artapanus, in opere de Judæis refert « Mosen in custodiam traditum a Nechephre Ægy- » ptiorum rege, quod peteret, ut populus ex Ægypto di- » mitteretur, noctu Dei voluntate aperto carcere egres- » sum fuisse, et ad regiam profectum, dormienti regi ad- » stitisse, eumque excitasse : Tum illum eo, quod fac- » tum fuerat, perculsum, jussisse, ut Moses Dei, a quo » erat missus, nomen diceret : et hunc quidem inclinatum

[1] Pag. 413.
[2] Act. VII, 22. — [3] Id. V, 1.

lixisse ei in aurem : quo audito, regem statim quidem ɜxanimem cecidisse; verum a Mose erectum, ad vitam ɾediisse. »

5°. Nativitatem Christi et Passionem, de quorum mporibus errare videtur[1] :

Natus est autem Dominus noster XXVIII anno, cum ɲmum jusserunt *censum*[2] descriptionemve fieri, tempore ɪgusti. Quod autem hoc verum sit, sic scriptum est in ɪangelio secundum Lucam : « Anno autem quintodecimo Tiberii Cæsaris, factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium.[3] » Et rursus in eodem : « Erat Jesus veniens ɪd baptisma, quasi triginta annorum. » Et quod anno solo ɲorteret eum prædicare, hoc quoque sic scriptum est : *Annum acceptabilem Domini prædicatum misit me*[4]. Hoc et ropheta dixit, et Evangelium. Quintodecimo ergo anno iberii, et quintodecimo Augusti, sic implentur triginta ɪni usque ad tempus, quo passus est.

6°. Dum Mosis scientiam laudibus extollit, de variis ɪperandi generibus sic loquitur[5] :

Regii autem officii una quidem species est divina, ut quæ secundum Deum et sanctum ejus Filium, a quibus cum ɪæ ex terra bona sunt, et quæ externa, tum etiam perfecta licitas suppeditatur. « Petite enim, *inquit*, magna, et parva ɾobis adjicientur. » Secunda est autem regni species, post m administrationem, quæ rationalis pure est ac divina, , quæ irascibili animæ parte solum in regnando utitur : a Hercules quidem Argivorum, Alexander vero rex fuit ɪcedonum. Tertia est, quæ unum solum concupiscit, mpe ut vincat et evertat : in malum autem vel bonum

[1] Pag. 406 et seq.
[2] Luc. II, 1. — [3] Id. III, 1, 2. — [4] Isai. LXI, 1, 2; Luc. IV, 19.
[5] Pag. 416 et seq.

finem victoria uti, ei minime inest : qua quidem usi sunt Persæ, cum bellum gererent adversus Græciam. Nam irascibilis appetitus alias quidem prorsus est contentiosus, qui imperium quærit solius dominationis gratia : alias vero boni studiosus, quo anima ad id, quod bonum est et honestum, utitur. Quarta autem regnandi species est omnium pessima, quæ prout fert libido, ordinatur : quale fuit regnum Sardanapali, et eorum, qui hunc finem sibi proponunt, ut quam plurimum indulgeant suis cupiditatibus. Regnandi autem scientiæ, tam quæ virtute vincit, quam quæ vi, instrumentum est ordinandi scientia. Ea vero pro objecti diversitate varia est. Nam arma quidem et pugnacia animalia, ope cum animatorum, tum etiam inanimatorum, anima et mens ordinat : animæ autem affectus, in quibus ope virtutis imperium obtinemus, ordinat ratio, ut quæ continentiam et temperantiam cum sanctitate, et boni cognitionem cum veritate obsignet, omnia demum ad pietatem Deique cultum referens : sic enim virtute utentibus prudentia est, quæ res ordinat : ac divinas quidem, sapientia : humanas vero, politica : universas autem, scientia regnandi. Rex itaque is est, qui imperat secundum leges, et præditus est scientia imperandi volentibus : cujusmodi est Dominus, qui eos, qui in ipsum et per ipsum credunt, admittit. Omnia enim tradidit Deus, et omnia Christo subjecit, regi nostro, « Ut in nomine Jesu omne genu flecta»tur, cœlestium, terrestrium, et infernorum; et omnis »lingua confiteatur, quod Dominus Jesus Christus, in glo»riam Dei Patris [1]. » Ars porro imperatoria tribus continetur speciebus; cautione, audacia, et tertia, quæ ex utrisque mixta est. Unaquæque autem earum componitur ex tribus, et vel per orationem, vel per facta, vel per utraque simul exercetur. Hæc autem omnia licebit efficere, vel persua-

[1] Philip. II, 10, 11.

ndo, vel cogendo, vel injuria afficiendo, quos ulcisci pedit: et hæc, vel faciendo idquod justum est; vel menndo, vel vera dicendo; vel etiam harum artium pluribus dem tempore utendo. Hæc autem omnia, et quomodo orteat uti unoquoque eorum, cum Græci accepissent a se, non parvam accepere utilitatem.

7°. Sequitur Mosaïcæ legis supra Minois et Lycurgi ácita encomium; hanc Plato subsecutus est[1]:

Plato autem philosophus, a Mosis scriptis in legibus fedis adjutus, reprehendit quidem Minoïs et Lycurgi reiblicæ administrandæ rationem, ut quæ ad solam quidem picerent fortitudinem: laudavit autem, ut honestiorem magis venerandam, eam, quæ unum quid dicit, et nper ad unum dirigitur decretum. Nam et robore, et nestate, et prudentia dicit nos decere magis philosophari, ad cœli dignitatem respicientes, immutabiliter, et citra am pœnitentiam, eadem sententia, et de iisdem utamur. in igitur interpretatur ea, quæ in Lege dicuntur, ut ad m Deum respiciamus, et ea, quæ justa sunt, agamus, cipiens. Politici autem dicit esse duas species, unam dem legalem; alteram vero, servato nomine, politicam. politicum quidem proprie significare rerum omnium ficem, innuit in libro ejusdem nominis: quinetiam eos, i ad ipsum respiciunt, vitamque activam et justam elint, et contemplationi etiam vacant, politicos appellat. vero politicum, quod legale dicitur, in mundanam dit mentis magnitudinem, et in privatum ordinem, quem derationem et concinnitatem vocavit, et temperantiam, ndo magistratus quidem convenientes fuerint iis, quibus perant, ii autem, quibus imperatur, paruerint magistibus. Quod quidem ut fiat, Mosis scripta contendunt.

[1] Pag. 419 et seq.

Præterea legale quidem ad generationem, politicum aut[em] ad amicitiam et concordiam pertinere, dicit adjutus Pl[ato]: unde Legibus quidem eum, qui est in Epinomide, phi[lo]sophum conjunxit, qui novit transitus omnis generatio[nis], quæ fit per errantia : philosophum autem alium Tim[æo], qui est et Astronomiæ peritus, et illorum motuum, et e[a], quæ est inter se, consensionem et societatem contempla[tur], conjungit libris de Republica. Finis enim est, ut existi[mo], et Politici, et ejus qui ex lege vivit, contemplatio. Nece[sse] est ergo civitatem recte administrare : optimum est aut[em] philosophari. Qui enim sapit, omnia sua ad cognitio[nem] vivet referens, vitam quidem suam bonis factis dirig[ens], quæ autem sunt contraria despiciens, et, quæ ad verit[atem] conferunt, disciplinas persequens. Lex autem est, non [ea], quæ lege decernuntur (nam nec sunt ea, quæ viden[tur], visus), neque quævis opinio (non enim ea quoque, quæ [est] mala), sed lex est opinio bona : bona est autem, quæ [est] vera : vera est autem, quæ id, *quod est* invenit, et id [as]quitur : *Qui est autem, misit me* [1], inquit Moses. Cui co[n]sequenter, bonæ scilicet opinioni, quidam dixerunt le[gem] esse rectam rationem, quæ jubet quidem ea, quæ sunt [fa]cienda; prohibet autem, quæ non sunt facienda.

Unde merito dictum est, Legem datam esse per Mo[sen], ut quæ sit regula justorum et injustorum : et eam prop[rie] ϑεσμὸν dixerimus, quæ a Deo per Mosen est tradita. E[a]que ad Deum deducit. Dicit autem Paulus quoque : «L[ex] » propter prævaricationes est posita, donec veniret se[men], » cui promissum est. » Quam sententiam ut plenius ex[pli]caret, statim infert : « Priusquam autem veniret fides, [sub] » Lege custodiebamur, conclusi, *timore scilicet ex pecca[to]*, » in eam fidem, quæ erat revelanda : quare Lex pædago[gus] » noster fuit in Christum, ut ex fide justificemur [2]. » E[t]

[1] Exod. III, 13. — [2] Galat. III, 19, 23, 24.

utem legis ferendæ peritus qui id, quod convenit, unicuique animæ parti, et ejus factis tribuit. Moses autem, ut summatim dicam, erat lex animata, quæ Logo bono gubernabatur. Subministravit itaque bonam Reipublicæ administrandæ rationem. Ea autem est bona educatio hominum in societate. Jam vero facultatem tractavit judicialem, quæ est scientia peccatores corrigendi, ut justitiam discant. Ejusdem autem cum ea ordinis, est puniens facultas, quæ tenet modum in puniendo. Ea vero, dum punit, animam corrigit. Versatur autem, ut ita dicam, tota Mosis institutio, et in docendis iis, qui possunt esse boni et honesti; et in iis venandis, qui sunt his similes: quæ quidem fuerit ars imperatoria. Quæ autem versatur in recte utendo iis, quæ Logo capta sunt, ea fuerit legum ferendarum sapientia. Ejus enim, ut quæ sit maxime regia, est proprium et possidere, et uti. Solum itaque sapientem Philosophi, regem, legislatorem, imperatorem, justum, sanctum, Deo amicum prædicant. Si hæc autem in Mose invenerimus, ut ex ipsis ostenditur Scripturis, recte persuasi dixerimus, sapientem revera esse Mosen. Quemadmodum ergo pastoralem artem ovium curam gerere dicimus: unde enim dicitur, quod *pastor bonus animam ponit pro ovibus*[1]: ita etiam legum ferendarum artem, cum hominum gregis curam gerat, eorum virtutem astruere, et quod in illis bonum est, suscitare dicemus. Quod si gregis allegoria gregem hominum innuit, Dominus idem erit bonus et pastor et legislator: et ejusdem gregis, nempe *earum, quæ ipsum audiunt, ovium*[2], unus est curator, nempe is, qui *perditam*[3] et *quærit* et invenit, lege et ratione: siquidem lex est spiritualis, et quæ ad ipsam ducit beatitudinem. Quæ enim Spiritu sancto facta est, est spiritualis. Is autem est revera legislator, qui non solum bona et honesta profite-

[1] Joan. x, 11. — [2] *Ibid.* 16. — [3] Matth. xviii, 12.

tur, sed scit etiam. Et lex est ejus, qui scientiam habet, jussum salutare; vel potius, lex est jussum scientiæ. *Potentia* enim *et sapientia est* ipse Logos *Dei*[1]. Et hic ipse rursus est legum interpres, per quem Lex data est; qui est primus expositor divinorum præceptorum, qui sinum Patris aperit ac exponit, Filius unigenitus. Deinde qui Legi quidem parent, quod habeant aliquam ejus cognitionem, neque possunt non credere, nec ignorare veritatem. Qui autem non credunt, et Legis operibus minime vacant, ii quoque, si ulli alii, se veritatem ignorare fatentur. Quænam est ergo Græcorum incredulitas? An quod nolint credere veritati, quæ dicit Legem per Mosen datam esse divinitus, cum ipsi suorum auctoritate inducti Mosen honorent? Et Minoem ad Jovis antrum venientem, novem annorum spatio leges a Jove accepisse; et Lycurgum assidue Delphos euntem ad Apollinem, leges ab eo didicisse, scribunt Plato, Aristoteles, et Ephorus : et Chamæleo Heracleotes in opere de Ebrietate, et Aristoteles in Republica Locrorum, Zaleucum Locrum leges a Minerva accepisse, litterarum monimentis mandarunt. Qui autem Græcorum leges, ut majori fide dignæ videantur, pro viribus efferentes, ad deos referunt, exemplo Mosaicæ prophetiæ, ideo sunt ingrati, quod non fateantur veritatem et exemplar archetypum eorum, quæ a se traduntur.

Nemo autem propter supplicia insectetur Legem, ut non bonam et honestam. Non enim qui aufert morbum corporis, beneficio afficere videbitur; qui autem ab injustitia animam conatur liberare, non tanto magis videbitur curam nostri gerere, quanto est anima corpore præstantior : sed pro sanitate quidem corporis, et secari, et uri, et medicamenta potare sustinemus, et qui hæc adhibet, et servator vocatur et medicus : et idem nec ex invidia, nec ex odio in

[1] 1 Cor. 1, 24.

ægrotum, sed artis dictante ratione, partes aliquas rescindit, ne sanæ partes una cum eis intereant, nec tamen quis medici artem criminis arguerit: animæ autem gratia, non similiter tolerabimus aut exilia, aut mulctas, aut vincula, si modo quis ex injustitia sit restituendus in justitiam? Lex enim eorum, qui ei parent, curam gerens, ad pietatem in Deum instituit, et dictat ea, quæ sunt facienda, et propulsat unumquodque peccatum, pœnas imponens etiam iis, quæ sunt minora. Cum autem viderit aliquem ita se habere, ut videatur immedicabilis, utpote qui ad extremam provectus sit injustitiam: tunc aliorum jam curam gerens, ne ab ipso corrumpantur, tanquam aliquam partem a toto corpore resecans, sic eum, qui est hujusmodi, salubri consilio morti adjudicat. « Judicati autem a Domino, *inquit Apostolus*, castigamur, ne cum mundo condemnemur[1]. » Prædixit enim propheta : « Castigans castigavit me Dominus, morti autem non tradidit me[2]. Ut enim te suam doceret justitiam, castigavit te, *inquit*, et tentavit, et fame et siti te afflixit in deserto. Ut cognoscerentur omnes justificationes et judicia ejus in corde tuo, quæcumque ego tibi præcipio hodie, et scias in corde tuo, quod ut si quis homo castigabit filium suum, ita castigabit te Dominus Deus noster[3]. » Quod autem aliorum nos exemplum corrigat, statim dicit : « Astutus videns malum puniri, ipse vehementer castigatur : *nam* generatio sapientiæ est timor Domini[4]. » Est autem maximum et perfectissimum bonum, quando a malefaciendo ad virtutem, bonamque vitam possit quis aliquem traducere : quod quidem Lex facit. Quare si quis in immedicabile aliquod malum ceciderit, injustitiæ et avaritiæ mancipatus, beneficio afficietur, si interficiatur. Lex est enim benefica, quæ alios

[1] I Cor. XI, 32. — [2] Psal. CXVIII, 18. — [3] Deut. VIII, 2, 3, 5, 11. — [4] Prov. XXII, 3. 4.

quidem justos ex injustis facit, si modo velint audire; alios vero liberat a malis præsentibus. Eos enim, qui temperate et juste vivere elegerint, immortales satagit reddere. Nomen autem legem est bonæ mentis. Et rursus : « Viri mali legem » non intelligunt : qui autem quærunt Dominum, intelligunt » in omni bono [1]. » Oportet autem eam, quæ administrat, Providentiam, esse et dominam, et bonam. Utraque enim vis procurat salutem : illa quidem, supplicio castigans, ut domina : hæc vero, per beneficentiam commodans, ut benefica. Id vero expedit, ut desinentes filii incredulitatis esse, transeamus a tenebris ad vitam, et aures sapientiæ adhibentes, primo legitimi Dei servi, dein ejusdem fideles famuli fiamus, timentes Dominum Deum. Quod si quis ulterius ascenderit, refertur in numerum filiorum. Postquam autem « charitas operuerit multitudinem pecca- » rum [2], » beatæ spei consummatione, licet tunc auctam charitate suscipere, relatum in electam filiorum adoptionem, quæ Dei vocata est amica, jam votum canentem, et dicentem : *Sit mihi Dominus in Deum*. Legis autem beneficentiam, per eum locum, in quo agit cum Judæis, declaravit Apostolus, sic scribens : « Si tu autem Judæus cog- » nominaris, et in Lege requiescis, et in Deo gloriaris, et » cognoscis voluntatem Dei, et probas utiliora instructus » per Legem, et confidis teipsum esse ducem cæcorum, » lumen eorum, qui sunt in tenebris, eruditorem insipien- » tium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ » et veritatis in Lege [3]. » Hæc enim posse Legem, est extra controversiam; etiamsi ii, qui vitam ex Lege non instituunt, se tanquam in Lege glorientur vivere : « Beatus est autem » vir, qui invenit sapientiam : et mortalis, qui vidit pru- » dentiam. Ex ore autem ipsius, *sapientiæ scilicet*, justitia » egreditur, legem autem et misericordiam fert in lingua [4]. »

[1] Prov. xxviii, 5.—[2] I Pet. iv, 8.—[3] Rom. ii, 17, 18, 19, 20.—[4] Prov. iii, 13, 16.

Sunt enim unius Domini operatio, qui est *Dei virtus et sapientia* [1], Lex et Evangelium: et quem timorem genuit Lex, is est misericors ad salutem. « Eleemosynæ autem, » fides, et veritas ne te deserant, alliga autem eas collo » tuo [2]. » Similiter autem ac Paulus, prophetia exprobrat populo, quod Legem non intelligat: « Contritio et afflictio » in viis ipsorum, et viam pacis non cognoverunt [3]. Non est timor Dei ante oculos ipsorum [4]. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt [5]. Scimus autem, quod Lex bona sit, si quis ea legitime utatur. *Qui autem* volunt esse Legis doctores, non intelligunt, *inquit Apostolus*, nec quæ dicunt, nec de quibus affirmant. Finis autem præcepti est charitas ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta [6]. »

At Mosaica quidem philosophia quadripartito dividitur, in partem Historicam; et eam quæ specialiter vocatur Legalis: quæ duæ ad morum doctrinam pertinent: tertiam autem eam, quæ pertinet ad sacrificia, quæ ad Physicam contemplationem spectat: et postremo quartam speciem, Theologicam, quæ ἐποπτεία, seu sacrorum arcanorum *inspectio* est: quam Plato dicit esse mysteriorum revera magnorum contemplationem: Aristoteles autem hanc speciem vocat Metaphysicam. Et quæ est quidem ex Platonis sententia Dialectica, ut dicit in Politico, est quædam scientia, quæ entium explicationem invenit. A viro autem bono et prudente est acquirenda, non ut aliquid dicat vel faciat eorum, quæ dicuntur aut fiunt apud homines (ut faciunt, qui nunc sunt Dialectici, qui versantur in rebus Sophisticis), sed ut possint quidem dicere et facere ea, quæ Deo grata sunt, idque universum pro viribus. Cum sit autem vera Dialectica, philosophia permixta veritate, res considerans, facultatesque et potestates examinans, transcendit

[1] I Cor., I, 24. — [2] Prov. III, 3. — [3] Isai. LIX, 7, 8; Rom. III, 16, 17. — [4] Psal. XXXVI, 1; Rom. III, 18. — [5] Id. I, 22. — [6] I Tim. I, 8, 7, 5.

ad præstantissimam omnium essentiam, et audet etiam ultra progredi ad Deum universorum, non rerum mortalium peritiam, sed divinarum cœlestiumque scientiam profitens: quam consequitur etiam in rebus humanis, idque cum in dicendo, tum in agendo, proprius usus. Merito ergo Scriptura quoque tales nos esse volens dialecticos, sic hortatur: *Efficiamini autem probi trapezitæ,* alia quidem reprobantes, quod autem bonum est tenentes. Hæc enim revera Dialectica est scientia dividendi ea, quæ intellectu percipiuntur, et singulorum entium subjectum pure ac perspicue ostendendi: sive facultas res in sua genera dividendi: descendens usque ad ea, quæ sunt maxime specialia, et unumquodque ens purum, ac prout in se est, intuendum exhibens. Quocirca ea sola veluti manu ducit ad veram sapientiam, quæ quidem est divina facultas, quæ entia, quatenus sunt entia, cognoscit, id, quod est perfectum, consecuta, et libera ab omni animi perturbatione: idque non sine Servatore, qui semota ab oculis animæ per Logon divinum caligine ignorantiæ, quam illis prava conversatio offuderat, optimum statum restituit, ut clare percipiamus, Deusne sit, an homo. Is est, qui revera ostendit, quomodo nos ipsos cognoscere oporteat: is, qui universorum Patrem revelat, cui vult, et quoad humana natura comprehendere valeat. « Nemo enim novit filium nisi pater, neque patrem » nisi filius, et cui filius revelaverit[1]. » Merito ergo Apostolus dicit, « per revelationem se nosse mysterium, quem» admodum prius scripsi in brevi, ut possitis legentes intelli» gere intelligentiam meam in mysterio Christi[2]. » Ut possitis, dixit, quoniam sciebat aliquos lac solum accepisse, nondum autem cibum, et nec lac quidem solummodo. Tribus autem modis legis sententia est nobis accipienda: ut quæ signum aliquod repræsentet, vel præceptum constituat ad

[1] Matth. xi, 27. — [2] Ephes. iii, 3, 4.

ectam vitæ institutionem, vel tanquam prophetia futura prædicat. Sat autem scio esse virorum, ea, quæ sunt hujusmodi, discernere, ac dicere. Non enim una Myconus est universa ad intelligendum Scripturà, ut dicunt, qui utuntur proverbiis. Est autem quam maxime fieri potest dialectice ad eam accedendum, consequentiam divinæ doctrinæ tenentibus.

Unde pulcherrime sacerdos apud Platonem Ægyptius, «O Solon! Solon! *inquit*, vos Græci semper estis pueri, nullam penitus in animis per veterem auditionem antiquam habentes opinionem : ex Græcis autem nullus est senex.» Senes, ut arbitror, dicens, qui antiquiora, hoc est, nostra, noverant : ut rursus juvenes, qui recentiora, et quæ mercebantur à Græcis, quæ heri et nuper facta fuerant, ut vetera et antiqua, referebant. Subjunxit itaque : « Nec disciplinam ullam canam tempore : » nos enim more quodam barbarico simplicibus ac obscuris metaphoris uti solemus. Qui sunt ergo bona mente præditi, absque ullo artificio accedunt ad totum figmentum interpretationis : de Græcis autem dicit, eorum opinionem *parum quid differre a fabulis*. Non sunt enim pueriles audiendæ fabulæ, sed nec illæ fabulæ, quæ à pueris factæ sunt. *Pueros* autem dixit ipsas quidem certe fabulas, utpote quod parum perspiciant, qui sunt apud Græcos existimant sapientes : per *canam disciplinam*, tacite significans antiquissimam, quæ est apud barbaros, veritatem : cui verbo opposuit illud, *Puer fabula :* arguens fabulosam recentium tractationem, ut quæ puerorum instar, nihil habeat antiquius : utramque communiter, et fabulas eorum, et orationes, esse pueriles ostendens. Divine ergo Potestas illa, quæ Hermæ loquitur in revelatione, « Visiones, *inquit*, et revelationes propter eos, qui sunt duplici » corde, qui disputant in cordibus suis, sint ea, nec ne. » Similiter autem ex redundanti quoque doctrinæ copia cor-

roborant demonstrationes, firmantque ac fundant rationes demonstrativas, quatenus eorum, tanquam juvenum, mentes adhuc pendent instabiles aëre. « Lucerna ergo est præ» ceptum bonum, *ut vult Scriptura* : lex autem est lumen » vitæ : vias enim vitæ arguit disciplina[1]. » *Lex regina est omnium mortalium et immortalium*, inquit Pindarus. Ego autem per hæc eum, qui legem tulit, intelligo : et Hesiodeum illud dictum accipio de Deo universorum, etiamsi ex conjectura a Poëta dictum est, non autem ex comprehensione :

Humano generi lex namque est a Jove lata,
Pisces atque feræ volucresque per aëra nantes
Sese ut consumant : nam jus nescire putantur.
Ast hominum generi jus, res pulcherrima, cessit.

Sive ergo naturalem legem, quæ est una cum generatione; sive eam dicat, quæ postea data est, verum a Deo; et naturæ et disciplinæ una eademque est lex : ut etiam Plato in politico dicit unum legislatorem : in legibus autem unum ea quæ ad musicam pertinent intellecturum; per hæc docens unum esse Logon, et Deum unum. Moses autem videtur Dominum appellare, διαθήκην hoc est, fœdus, *Ecce ego*, dicens, *fœdus meum tecum*[2]. Nam antea dixit, fœdus ipsum non esse quærendum in Scriptura : est enim fœdus, quod Deus statuit, qui est autor universi. Deus autem Græce Θεός dictus, παρὰ τὴν θέσιν hoc est, *ex positione*, et ordine, seu constitutione. In Petri autem prædicatione inveneris Dominum vocari Legem et Logon. Verum primus Gnosticorum secundum veram philosophiam commentatiorum Stromateus hic terminetur.

[1] Prov. vi, 23. — [2] Gen. xvii, 4.

LIBER SECUNDUS.

Græcos, libri initio, *Barbaræ*, id est Hebraicæ *hilosophiæ fures* ostendere nititur, quod in seronis decursu sæpius iterat : Græcæ autem Philophiæ seipsum prorsus alienum asserit [1].

Sæpe autem diximus [2], neque nos ut Græce loquamur osmet exercuisse, neque in eo studium ponere. Hoc enim lis prodest, qui vulgus a veritate abducunt. Vera autem hilosophia, non tam linguas audientium, quam mentes vat. Oportet autem, ut opinor, eum, qui curam gerit ritatis, non artificiose et longo studio composita oratione i; sed conari tantum id, quod vult, qualicumque potest odo exponere. Eos enim, qui hærent dictionibus, et in s sunt occupati, res ipsæ effugiunt. Atque agricolæ quiem est proprium, rosam, quæ in spinis nascitur, citra oxam carpere : similiter et artificis, eam, quæ in ostrei arne infossa est, margaritam invenire. Quinetiam aiunt allinas quoque carnem habere suavissimam, quando eis on copiosus appositus fuerit cibus, sed ipsæ pedibus foientes, cum labore alimentum colligunt. Si quis ergo vesimilium contemplationi deditus, cupit in multis probailibus, iisque Græcis, id, quod verum est, persequi, haud issimilis erit ei, qui verum vultum larvis obtectum discer-

[1] Pag. 429 et seq.
[2] Vide D. Guillon, a pag. 394, usque ad pag. 396.

nere satagit. Dicit enim, quæ Hermæ in visione apparuit, Potestas : *Quod tibi contingit revelari, revelabitur.*

Quo præmisso exordio, argumentum aggreditur, laudandamque contra Paganos simul et Hæreticos Christi Fidem suscipit. Duas in partes sermo dividi potest, quarum prior ad dogma, posterior ad moralem pertinet.

ARTICULUS PRIMUS.

PARS DOGMATICA.

1°. Sapientiæ *via* est *fides*; nam *veritatem nobis* e[...] *occultatam vel uno exemplo ostendi* potest[1] :

Unde Moses, cum persuasum haberet Deum nunqu[am] humana cognitum iri sapientia, *Ostende te mihi*[2], inq[uit], et in caliginem, ubi erat Dei vox, ingredi contendit, hoc [...] ad arcanas et informes de eo quod est notiones. Non [...] enim in caligine Deus, aut in loco, sed supra locum, [...] tempus, et proprietatem eorum, quæ facta sunt : [...] nunquam est in parte, nec ut continens, nec ut cont[entum], aut per circumscriptionem, aut per sectionem. « Q[uam] » enim domum ædificabitis mihi? inquit Dominus[3]. » [...] nec sibi ædificavit, cum capi non possit. Et quamvis cœ[lum] dicatur ejus *sedes*, ne sic quidem continetur, sed requi[escit] delectatus opificio.

2°. Fidei natura[4] :

Fides autem, quam Græci calumniantur, existimantes inanem et barbaram, est voluntaria anticipatio; pietatis assensio; « rerum, quæ sperantur, substantia; argumentum » carum, quæ non videntur, *ut est sententia divini Apostoli*. » Per eam enim *maxime* testimonium acceperunt antiqui »

[1] Pag. 431.
[2] Exod. XXXIII, 13. — [3] Isai. LXVI, 1.
[4] Pag. 432 et seq.

ss. Sine fide autem impossibile est *Deo* placere [1].» Alii tem, rei non apparentis unientem assensionem tradideat esse fidem : sicut demonstrationem, rei, quæ ignora-', evidentem assensionem. Si sit itaque voluntaria elec-, quandoquidem aliquid appetit, certe appetitio est inlectiva. Quoniam autem actionis principium est electio untaria, sequitur fidem esse principium actionis, quæ damentum est prudentis electionis, aliquo ei prius per em ostendente demonstrationem. Libenter autem sequi appetere id, quod est utile, est principium prudentiæ. n magnum momentum ad cognitiònem affert electio firma inconcussa. Statim igitur fidei meditatio fit scientia, stai innixa fundamento. Scientiam enim definiunt philosoi, habitum a ratione qui transmoveri non potest. Estne go aliquis alius ejusmodi verus status pietatis, cujus sola magistra ratio? Non ego quidem arbitror. Cæterum eophrastus dicit, sensum esse fidei principium. Is enim ncipia rationi et intellectui nostro suppeditat. Qui diviergo Scripturis firmo judicio credit, demonstrationem, contradici nequit, Dei scilicet, qui Scripturas nobis de-, vocem, accipit. Ita fides per demonstrationem firr fieri nequit. « Beati itaque, qui non viderunt, et crederunt [2].» Ac Sirenum quidem cantus, vi plusquam huna eos, qui in eas inciderant, obstupefaciebant, ut ea, e dicebantur, exciperent, propemodum invitos indutes.

I°. Rejectis Valentini Basilidisque commentis, fidem nibus competere, et certis niti fundamentis denstrat [3] :

los autem, qui liberam potestatem eligendi et vitandi a

[1] Heb. XI, 1, 2, 6. — [2] Joan. XX, 29.
[3] Pag. 434 et seq.

Domino datam esse hominibus, a Scripturis accepimus, judicio firmo ac immobili fidei acquiescamus, alacrem et promptum ostendentes spiritum, quoniam vitam elegimus, et Deo per vocem illius credidimus; et qui Logo credidit, novit rem esse veram: Logos enim est veritas. Qui autem non credidit dicenti, Deo non credidit. « Fide intelligimus » aptata esse secula verbo Dei, ut ex invisibilibus visi- » lia fierent, *inquit Apostolus*. Fide majorem hostiam Abel, » quam Cain, obtulit, per quam testimonium est consecu- » tus, quod esset justus, testimonium perhibente mune- » bus ejus Deo, et per illam defunctus adhuc loquitur, » quæ deinceps sequuntur, usque ad illud, « quam tempo- » peccati habere jucunditatem [1]. » Hos ergo cum etiam Legem fides justificasset, constituit hæredes divinæ missionis. Quid ergo adhuc fidei ex nostra historia rec- sens adduco testimonia? « Deficiet enim me tempus » rantem de Gedeon, Barac, Sampson, Jephthe, Dav » Samuel, et Prophetis, » et quæ sequuntur. Cum sint quatuor, in quibus verum consistit, sensus, intellig- tia, scientia, opinio; natura quidem prima est intellig- tia: nobis autem et respectu nostri, sensus: ex sensu tem et intelligentia consistit scientiæ essentia. Intellige- tiæ autem et sensus communis est evidentia. Sed sens quidem est gradus ad scientiam. Fides autem progressa sensilia, relinquit opinionem: contendit autem ad ea, mendacio carent, et permanet in veritate.

Huic sententiæ convenit quod infra scripsit [2]:

Divinus Logos clamavit, omnes simul vocans; et eos certissime noverit, qui non sunt parituri, tamen qu- niam in nostra potestate situm est, utrum pareamus, nec-

[1] Hebr. XI, 3, 4, 25, 32.

[2] Pag. 443.

quis possit causari prætextum ignorantiæ, justam fecit
cationem, et quod præstare possunt uniuscujusque vires,
git. Nonnullis enim simul adest et velle et posse; ut iis,
i per exercitationem eo pervenerint, et purgati sint. Alii
tem, etsi nondum possunt, jam tamen habent velle.

4. Unde concludit fidem scientiæ anteponendam[1]:

Est enim scientia, habitus demonstrativus : fides autem, tia, quæ ex iis, quæ demonstrari nequeunt, deducit ad quod est simplex, generale, et universum, quod neque cum materia, neque materia, neque sub materia. Induli autem, ut videtur, ex cœlo, et invisibili, omnia hunt in terram, manibus petras et quercus plane apehendentes, ut ait Plato. Omnia enim, quæ sunt ejusdi, attingentes, nil aliud uspiam esse affirmant, nisi od contingi et contrectari possit : idem statuentes esse pus et essentiam, adversus se decertantes, pie admon de parte superiori atque ex invisibili alicunde vinant incorporeas quasdam, et quæ intelligentia sola cipiuntur, formas, urgentes veram esse essentiam. Ecce facio nova, *ait Verbum*, quæ oculus non vidit, nec ris audivit, nec in cor hominis ascenderunt[2] : » novo lo, nova aure, novo corde, quæcumque videri et aui possunt, sunt per fidem et intelligentiam comprehenda, spiritualiter dicentibus, audientibus, agentibus Doi discipulis. Est enim inter nummos alius probus, us adulterinus, qui nihilosecius rudes decipit, sed non entarios, qui didicerint separare et discernere probum ab ero, qui est malæ notæ. Sic argentarius rudi solum inat nummum esse adulterinum : qua vero ratione id licat, solus discit argentarii discipulus, et qui ad id est

[1] Pag. 435 et seq.
[2] Isai. XLIII, 19.

exercitatus. Aristoteles autem, id, quod consequitur scien-tiam, judicium, quo verum esse hoc aut illud judicamus, dicit esse fidem. Est ergo fides scientia præstantior, et ejus criterium. Fidem autem imitatur conjectura, quæ est in-becilla opinio, sicut adulator amicum, et lupus canem. Quoniam autem videt faber, quod quædam discendo fit artifex; et gubernator, quod cum artem perceperit, guber-nare poterit; non satis esse reputat, velle fieri bonum et honestum : sed necesse est, eum alicui parendo discere; parere autem Logo, quem magistrum esse diximus, et illi credere, in nulla re ei repugnando. Quomodo enim fieri potest, ut adversus Deum in acie stemus? Est ergo cum fide cognitio, et vicissim cum cognitione fides, quâ-dam divina consecutione mutuo connexa.

5°. Fidem semper et ubique necessariam, utpote *maximam virtutum matrem ex Platonis sententia constare* asserit[1] :

Ea est autem fidelitas : qua in omni tempore opus habe-mus, et in pace et in bello, et in alia universa denique vita: ea quippe alias simul omnes videtur continere.

6°. Fides ex auditu[2] :

« Domine, quis credidit auditui nostro? *inquit Esaias*[3].
» Fides *enim* est ex auditu : auditus autem per verbum Dei,
» *inquit Apostolus*. Quomodo ergo invocabunt, in quem
» non crediderunt? Quomodo autem credent ei, quem
» non audierunt? Quomodo autem audient sine prædi-
» cante? Quomodo autem prædicabunt, nisi missi fuerint?
» Quemadmodum scriptum est : Quam speciosi pedes evan-
» gelizantium bona[4]. » Vides, quomodo per auditum, et

[1] Pag. 441.
[2] Pag. 442 et seq.
[3] Isai. LIII, 1. — [4] Rom. x, 17, 14, 15.

ædicationem Apostolorum, fidem ad verbum Domini et ilium Dei attollit? Nondum intelligimus demonstrationem se verbum Domini. Quemadmodum ergo sphæræ lusus, n solum dependet ab eo, qui mittit ex arte sphæram, d alium etiam requirit, qui illam numerose excipiat, ut t sphæræ legibus peragatur ludi exercitatio : ita etiam ctrina tum demum fide digna esse cernitur, quando fi- s eorum, qui audiunt, quæ est ars, ut ita dicam, natu- lis, ad eam discendam confert. Haud aliter adjuvat etiam ra fertilis ad seminum dejectionem. Neque enim optimæ ctrinæ est aliqua utilitas, nisi qui discit, probe eam sus- piat; neque prophetiæ, nisi morem gerant, qui eam au- unt. Quinetiam aridæ festucæ, quæ sunt paratæ ad sus- piendam ignis vim, facilius accenduntur : et lapis vulgo lebratus ferrum trahit propter naturæ cognationem, et cryma succini attrahit festucas, et electrum commovet leas. Eis autem parent, quæ trahuntur occulto quodam iritu tracta, non ut principales causæ, sed ut adjuvantes.

ARTICULUS II.

PARS MORALIS.

Ex fide plurimæ nascuntur virtutes, nempe:

1°. Pœnitentia[1]:

Nisi enim[2] crediderit esse peccatum, quo prius teneba- ur, ab eo non dimovebitur : et nisi crediderit, ei quidem, ui delinquit, impendere supplicium : paratam autem esse lutem ei, qui ex præceptis vivit, ne sic quidem muta- tur.

2°. Spes[3]:

Jam autem spes quoque consistit ex fide. Definiunt ita-

[1] Pag. 443.
[2] Vide D. Guillon, pag. 395.
[3] Pag. 443 et seq.

que fidem sectatores Basilidis, animæ assensionem ali
eorum, quæ sensum non movent, propterea quod non
sunt. Spes autem est bonæ possessionis expectatio. Fi
lem autem necesse est esse expectationem.... Expecta
autem[1] est opinio futuri. Et cæteræ quidem expectati
nes sunt opiniones de incertis : fiducia autem est fir
de aliquo apprehensio. Quare ei credimus, in quo fiduci
habemus, nos gloriam divinam et salutem consecutu
In solo autem Deo fiduciam habemus, quem scimus
transgressurum ea, quæ sunt pulchre nobis promissa,
cum in hunc finem creata fuerint, ab ipso benevole
data sunt. Est autem benevolentia, bene velle alteri
ipsius gratia; ille enim nullius indiget.

3°. Charitas : hæc enim, « per eam quæ illi cum
» intercedit amicitiam, facit fideles. Fides autem
» stabilimentum Charitatis[2] : »

Prima (enim) ad salutem esse inclinatio nobis fides ap
ret, post quam timor et spes et pœnitentia, cum conti
tia et tolerantia proficientes, nos ducunt ad charitatem
ad cognitionem. Merito ergo Barnabas Apostolus, « ex
» quam accepi, *inquit*, parte studui paulatim ad vos
» tere, ut cum fide vestra perfectam etiam habeatis co
» tionem. Fidei ergo nostræ coadjutores sunt timor et t
» rantia : quæ autem nobis opem ferunt, sunt longani
» et continentia. His ergo, *inquit*, in iis, quæ ad Domi
» pertinent, caste manentibus, una cum eis lætantur
» pientia, intelligentia, scientia, cognitio. » Cum ita
prius dictæ virtutes sint elementa cognitionis, evenit,
fides sit magis elementaris, nec minus homini Gnost
necessaria, quam ei, qui in hoc mundo vivit, ad vivend
respiratio.

[1] Pag. 444.
[2] Pag. 445.

4°. Timor : timor enim minime abjiciendus[1].

Qui timorem autem accusant, legem insectantur. Quod si legem, clarum est, quod illum quoque, qui legem dedit... At certe, inquiunt, timor est a ratione aliena declinatio, et animi perturbatio. Quid tu dicis? et quomodo tibi amplius servari possit hæc definitio, cum præceptum mihi per Logon, seu *Rationem*, datum sit? Præceptum autem timorem pronuntiat per disciplinam, eum qui id suscipit, curans ut corrigatur. Non est ergo timor a ratione alienus : est itaque rationi consentaneus. Quidni enim? cum adhortetur, « Non occides, non mæchaberis, non furaberis, non falsum dices testimonium[2]. » Sed si nomina argute excogitare velint, εὐλάβειαν, id est, *cautionem*, per me licet vocent legis timorem philosophi, quæ est consentanea rationi declinatio. Hos Critolaüs Phaselites non inepte vocavit ὀνοματομάχους, id est, qui *depugnant de nominibus*... Videamus autem, quænam esse timenda lex annuntiet. Si ea quidem, quæ sunt media inter virtutem et vitium, ut paupertatem, et morbum, et ignominiam, et ignobilitatem : et quæ sunt his similia : hæc quidem pleræque civitatum leges proponentes laudantur : et Peripateticis, qui tria bonorum genera introducunt, et eorum contraria mala esse reputant, ea conformis est opinio. Nobis autem data lex ea, quæ vere mala sunt, jubet fugere, adulterium, petulantiam, puerorum amorem, ignorantiam, injustitiam, morbum animæ, mortem; non eam, quæ solvit animam a corpore; sed eam, quæ animam dissolvit a veritate. Hæc sunt enim vere gravia et timenda vitia, et quæ ex eis proficiscuntur operationes.

Unde *sapientiæ principium timor Dei*[3] divine dictus est.

[1] Pag. 446 et seqq.
[2] Exod. xx, 13, 14, 15, 16. — [3] Prov. 1, 7.

5°. Charitas fraterna, quæ cum pluribus aliis con catenatur virtutibus[1] :

Charitas autem fuerit consensio eorum, quæ sunt ratione et vita et moribus : aut, ut paucis dicam, vitæ cietas : vel amicitiæ et benevolentiæ perseverantia recta ratione, in usu amicorum ac familiarium, qui vocantur (dicitur autem ἑταῖρος, quasi ἕτερος ἐγὼ, id est, *alter*) qua ratione eos *fratres* appellamus, qui sunt eod verbo regenerati. Adhæret autem charitati et hospitali quæ est artificiosa amicitiæ ratio circa usum peregri rum..... Humanitas, per quam fit bona affectio, quæ est cus usus hominum; et ipsa bona affectio, quæ est qu artificiosa amicitiæ ratio circa amicorum vel necessari dilectiones, comitantur charitatem. Si autem revera ho qui est in nobis, est spiritualis, humanitas est fratern iis, qui sunt ejusdem Spiritus participes. Affectio aut rursus est conservatio benevolentiæ, vel dilectionis. Dile tio autem est perfecta et absoluta demonstratio : et dil quod est ἀγαπᾶσθαι, est placere moribus, ducique et duci. In idem autem ducuntur per consensionem, quæ scientia communium bonorum. Consensio enim, q ὁμογνωμοσύνη, est consensus animorum..... Quod itaque vi tutes se invicem consequuntur, quid opus est dicere, cu jam ostenderimus, quod fides quidem sperat propt pœnitentiam, timor autem propter fidem, et quæ in iis perseverantia et exercitatio, una cum doctrina termina in charitate, illa vero perficitur cognitione?

6°. *Veritatis cognitio a qua nunquam separat justa cognitio*[2] :

Hæc ergo tria noster sibi vindicat philosophus : primu

[1] Pag. 450 et seqq.

[2] Pag. 453 et seq.

idem, contemplationem: secundo autem, præceptorum ecutionem: tertio vero, bonorum virorum constitutionem. Quæ quidem cum convenerint, efficiunt virum Gnosticum. Si quid autem defecerit ex istis, claudicat cognitio. nde divine dixit Scriptura: « Et dixit Dominus ad Mosen, licens: Loquere filiis Israel, et dices illis: Ego Dominus Deus vester. Secundum studia terræ Ægypti, in qua habitastis in ea, non facietis, et secundum studia terræ Chanaan, in quam vos ego illuc introduco, non facietis, et in eorum legitimis non incedetis. Judicia mea facietis, et præcepta mea servabitis. Ambulate in eis. Ego Dominus Deus vester. Et servabitis omnia præcepta mea, et facietis ea. Qui fecerit ea homo, vivet in eis. Ego Dominus Deus vester[1]. » Utrum autem mundi et deceptionis, an animi perturbationum et vitiorum sint symbolum Ægyptus et terra Chanaan, a quibus abstinendum sit, quibus autem rebus danda sit opera, quod divinis potius quam mundanis, nobis ostendit oraculum. Cum autem dicit: *Qui fecerit homo, vivet in eis*: et ipsorum Hebræorum correctionem, et proximorum nostrorum exercitationem et profectum, ipsorum vitam dicit et nostram. Qui enim sunt mortui delictis, convivificantur Christo[2], » per nostrum Testamentum. Sæpe autem repetens Scriptura illud: *Ego Dominus Deus vester*, pudore afficiendo pulcherrime hortatur, docens sequi Deum, qui dedit præcepta. Quinetiam tacite commonet, Deum quærere, et, quoad fieri potest, conari cognoscere: quæ quidem fuerit maxima contemplatio, sacra mysteria inspiciens, vere scientia, certa et immutabilis ratione facta. Hæc sola est sapientiæ cognitio, a qua nunquam separatur justa operatio.

[1] Levit. XVIII, 1, 2, 3, 4, 5. — [2] Ephes. II, 5.

7°. Perseverantia, quæ veram sola constituit pœnitentiam[1] :

« Eum ergo, *ut Pastor inquit*, qui accepit remissionem » peccatorum, non oportet amplius peccare ; nam in prima » unica peccatorum pœnitentia, ea fuerit eorum, quæ prius » fuerunt in gentili et prima vita, ea, inquam, quæ fuit in » ignorantia, iis etiam, qui vocati sunt, continuo proposita » pœnitentia, expurgans locum animæ a peccatis, ut fides » fundetur. Cum autem sit Dominus cognitor cordium, et futura præsciat, facilem hominis mutationem, et ad revertendum propensionem, et Diaboli calliditatem ab alto videt » principio, quod homini invidens propter remissionem peccatorum, aliquas peccatorum causas servis Dei suggerit, » astute hoc moliens, ut ipsi quoque cum eo cadant. Dedit » ergo, cum sit multæ misericordiæ, iis etiam, qui in fide » in aliquod peccatum incidunt, secundam pœnitentiam, » quam, si quis tentatus fuerit post vocationem, coactus et » callide circumventus, unam adhuc non pœnitendam acceperit pœnitentiam. » *Voluntarie enim peccantibus nobis, postquam acceperimus agnitionem veritatis, non amplius relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis quædam expectatio judicii, et zelus ignis, qui est devoraturus adversarios*[2]. Continuæ autem et se vicissim excipientes propter peccata pœnitentiæ, nihil differunt ab iis, qui omnino non crediderunt, præterquam in eo solo, quod se peccare senserunt: neque scio, utrum sit deterius, prudentemne ac scientem peccare, an cum pro iis, quæ peccavit, pœnitentia ductus fuerit, rursus peccare. Eo enim, quod utrinque arguatur, peccatum apparet : illud quidem, quod dum fit, condemnatur ab ipso auctore iniquitatis : hoc vero, quod

[1] Pag. 459 et seq.
[2] Hebr. x, 26, 27.

ium antequam fieret, auctor præsciverit, tamen aggreditur it malum..... Apparet ergo[1], sed non est pœnitentia, sæpe etere veniam de iis, quæ sæpe peccamus.

Perseverantia autem non involuntariis affectibus ntercluditur :

Non venit autem in judicium id, quod est involuntarium. l autem est duplex; unum quidem, quod fit ex ignoraone; alterum vero, quod ex necessitate. Nam quomodo idicaveris de iis, qui dicuntur peccare modis involuntariis? ut enim quis seipsum ignoravit, ut Cleomenes et Athaias, qui erant correpti furore : aut rem, quam facit, ut Æschylus, qui in scena effatus mysteria, in Areopago dicta ausa fuit absolutus, cum ostendisset se non esse mysteriis nitiatum : aut ignorans id, quod agitur, ut qui, dimisso idversario, domesticum occidit pro inimico : aut id, quo gitur, ut qui præpilatis exercetur lanceis, et aliquem inrfecit, cum pilam lancea amisisset : aut ignorans quemdmodum esset faciendum, ut qui in stadio occidit adversaium; non enim ut occideret, sed ut vinceret, certabatur : ut id, cujus gratia agitur, quemadmodum dedit medicus alubre antidotum, et occidit. Is autem non ea de causa ledit, sed ut eum servaret. Ac puniebat quidem tunc quoue Lex eum, qui non sponte interfecit; ut eum, qui non ponte laborabat profluvio seminis : sed non æque atque um, qui sponte. Quamquam ille quoque punietur tanquam ropter voluntarium, si quis affectum traduxerit ad veriitem. Revera enim est puniendus is, qui est verbi genitas incontinens : quod ipsum quoque est animi affectio aliena ratione, quæ prope accedit ad futilem loquacitatem : «Fidelis autem eligit res celare spiritu[2].» Quæ sponte ergo et

[1] Pag. 460 et seqq.
[2] Prov. xi, 13.

ex electione suscipiuntur, puniuntur. « Dominus enim scrutatur corda et renes[1] : » et judicatur is, qui « respexit ad concupiscentiam[2]. » Quare etiam dicit, « Ne concupisces[3]. » *Et*, Hic populus, *inquit*, honorat me labiis : cor autem » ipsorum procul est a me[4]. » Deus enim respicit ad animum. Nam uxorem quoque Loth, quæ sua sponte solum erat conversa ad mundanum vitium, reliquit insensilem, in similitudinem salinæ petræ conversam, et sic fixam, ne ulterius progrederetur, non stultam et quæ nihil efficeret imaginem, sed quæ condire et confirmare posset eum, qui potest perspicere spiritualiter.

Voluntarium autem, seu spontaneum, est, vel ex appetitione, vel ex electione, vel ex animi sententia. Jam vero hæc quodammodo inter se prope sita sunt, peccatum, infortunium, scelus seu injuria. Et est peccatum quidem, verbi gratia, luxuriose et intemperanter vivere. Infortunium autem, amicum tanquam inimicum inscienter occidere. Scelus autem seu injuria est, sepulcrorum effossio, aut sacrilegium. Peccare autem constat ex eo, quod nesciat quis judicare, quidnam facere oporteat, aut quod facere non possit : sicut certe in fossam quoque incidit aliquis, vel quod ignoraverit, vel quod transilire non potuerit propter imbecillitatem corporis. Sed in nostra quidem certe est potestate, ut percipiendæ disciplinæ operam demus, et ut pareamus præceptis : quorum si noluerimus esse participes, iræ et voluptati nos ipsos dedentes, peccabimus, vel potius injuria nostram afficiemus animam. Laius enim ille dicit in tragœdia :

Nihil me eorum, quæ mones, latet quidem ;
Natura sed me, cum sciam, rapit tamen :

[1] Psal. VII, 9 ; Jerem. XII, 10. — [2] Matth. V, 28. — [3] Exod. XX, 17. — [4] Isai. XXIX, 13 ; Matth. XV, 8 ; Marc. VII, 6.

[h]oc est, se tradidisse in affectuum potestatem. Medea quo[q]ue ipsa similiter clamat in scena :

Factura quænam sim satis scio mala :
At ira major consili vires domat.

[S]ed nec tacet Ajax, sed sibi manus illaturus vociferatur :

Res ergo mentem est nulla, quæ sic liberi
Mordet viri, ac iniqua injusta infamia.
Affectus ipse sic sum ego, quem nunc rapit
Condensa labes, ex profundo commovet,
Stimulis furoris concitum peracribus.

[A]tque hos quidem ira, alios vero innumerabiles cupiditas [d]educit in tragœdiam, Phædram, Anthiam, Eriphylen,

Quæ pro dilecto viro pretiosum acceperat aurum.

[C]omicum enim Trasonidem alia scena, « Puellula, *inquit*, vilis me sibi servum fecit. » Infortunium autem, est pec[c]atum mentis præter rationem. Peccatum autem est volun[ta]ria injustitia. Injuria autem est vitium voluntarium. Est [e]rgo peccatum quidem meum voluntarium : (Et ideo dicit : « Peccatum vobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia [1] ; » dicens iis, qui jam crediderant : « Quoniam ejus nos livore sanati sumus [2] »). Infortunium autem [e]st alterius in me actio involuntaria. Injuria autem invenitur [s]olum voluntaria, sive sit mea, sive alterius. Has autem [p]eccatorum differentias significat Psalmographus, Beatos [d]icens, quorum Deus delevit iniquitates, texit autem peccata; et non quidem alia imputavit, alia vero dimisit : scrip[t]um est enim : « Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata : Beatus, cui non imputaverit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus [3]. »

[1] Rom. VI, 14. — [2] Isai. LIII, 5; 1 Pet. II, 24. — [3] Psal. XXXII, 1, 2; [R]om. IV, 7, 8.

Hæc beatitudo facta est super electos a Deo per Jesum Christum dominum nostrum. « Operit enim charitas multitudinem » peccatorum [1]. » Delet autem is, qui « magis vult pœnitentiam quam mortem peccatoris [2]. » Non imputantur autem, quæ non procedunt ex libera electione. « Qui enim » concupivit, jam, *inquit*, mæchatus est [3]. » Et remittit peccata Logos illuminans : « Et in tempore illo, inquit Dominus, quærent injustitiam Israel, et non erit : et peccata » Judæ, et non invenientur [4]. Quoniam quis sicut ego, et » quis stabit contra faciem meam [5]? » Vides unum Deum annuntiari bonum, qui retribuit pro meritis, et peccata remittit. Videtur autem Joannes quoque in majore epistola in his peccatorum docere differentias. « Si quis viderit fratrem suum peccantem peccatum non ad mortem, petet, » et dabit ei vitam, peccantibus non ad mortem, *inquit*. *Est* » *enim* peccatum ad mortem : non de illo dico, ut roget » quis. Omnis injustitia est peccatum : et est peccatum non » ad mortem [6]. » « Sed et David, et ante David Moses, per » hæc, trium dogmatum ostendunt cognitionem. *Beatus* » *vir, qui non ambulavit in via impiorum*[7], sicut pisces vadunt » in tenebris ac in profundo. Qui enim squamas non habent, quos prohibet Moses attingere, pascuntur in profundo » maris. *Neque in via peccatorum stetit*, sicut ii, qui cum » Dominum videantur timere, peccant ut porcus. Esuriens » enim, clamat : repletus autem, non agnoscit Dominum. » *Neque sedit super cathedram pestilentiæ*, sicut volucres paratæ ad rapinam. Suasit autem Moses [8] non vesci porco, » nec aquila, nec accipitre, neque corvo, neque quovis » pisce, qui non habet squamas. » Hæc quidem Barnabas. Audivi autem ego virum in his rebus doctum, dicentem *consilium impiorum* significare Gentes : *viam* autem

[1] I Pet. IV, 8. — [2] Ezech. XXXIII, 11. — [3] Matth. V, 28. — [4] Jerem. L, 20 — [5] Id. XLIX, 19. — [6] I Joan. V, 16, 17. — [7] Ps. I, 1. — [8] Levit. XI; Deut. XIV.

ccatorum, Judaicam opinionem; et *pestilentiæ cathedram*, ereses interpretantem. Alius autem dicebat magis prorie, intelligendam quidem esse primam beatitudinem de , qui non sunt sceleratas secuti sententias, quæ a Deo fecerunt : secundam autem, de iis, qui in lata via non anent, sive nutriti in Lege, sive ex Gentibus conversi erint. *Cathedra* autem *pestilentiæ* et theatra fuerint, et ibunalia, ubi imprimis solent homines sequi improbas exitiales Potestates, et operum earum participes fieri. *ed in lege Domini voluntas ejus* [1] : Petrus in Prædicatione gem et Logon appellavit Dominum. Aliter autem videtur ioque legislator docere tres modos, quibus accipitur peccatum : eorum quidem, quæ in sermone fiunt, per pisces iutos : est enim revera ubi *silentium est sermone præstantius :* st etiam *silentii honor expers periculi :* eorum autem, quæ unt in facto, per aves rapaces et carnivoras : porcus cœno t stercore delectatur : et oportet ne *conscientiam* quidem abere *pollutam* [2]. Merito ergo dicit propheta : « Non sic, *inquit*, impii, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. Propterea non resurgent impii in judicio [3], *qui jam sunt condemnati : quoniam* qui non credit, jam judicatus est [4] : Neque peccatores in consilio justorum [5], » ui jam sunt damnati ad hoc, ut non uniantur iis, qui inocenter vixerunt : « Quoniam novit Dominus viam justorum, et via peccatorum peribit. » Rursus Dominus aperte stendit in nostra esse potestate delicta et peccata, cum nodos curationis animi morbis convenientes ostendit, et os a pastoribus corrigi debere per Ezechielem monet : ccusans, opinor, eorum aliquos, quod præcepta non servaverint : *Quod imbecillum fuit, non confirmastis* [6], et quæ leinceps consequuntur, usque ad illud : « Et non erat, qui

[1] Psalm. I, 2. — [2] I Cor. VIII, 7. — [3] Psalm. I, 4, 5. — [4] Joan. III, 8. — Psalm. I, 5, 6. — [6] Ezech. XXXIV, 4.

» requireret, nec averteret[1]. Magnum est enim gaudium apud » Patrem, uno peccatore servato[2], *inquit Dominus.* »

Hinc per transennam confutat eos qui nostris animi affectionibus abducti, Dei impatibilis voluntatem humanis motionibus similem existimant[3].

Deus autem nullam habet in nos naturalem habitudinem seu relationem, ut volunt hæresium conditores: neque si ex nihilo omnia produxerit, nec si ex præexistente materia fecerit: quandoquidem illud quidem ne omnino quidem est, hæc vero est a Deo diversa in omnibus; nisi quis nos ejus esse partem, et ejusdem cum Deo essentiæ ausit dicere. Nescio autem quomodo quis, qui Deum novit, aequo hoc audire animo possit, si respiciens ad nostram vitam, in quot versemur malis, consideret. Sic enim, quod nec fas est dicere, Deus peccaret in quibusdam partibus, siquidem partes sunt totius partes, et totum complent. Sin autem non complent, ne partes quidem fuerint. Verumenimvero cum natura Deus sit dives misericordia, nostri propter suam bonitatem curam gerit, qui nec sumus ejus partes, nec filii natura. Et est hoc quidem certe maximum Dei in nos bonitatis indicium, quod cum sic in ipsum nos geramus, et natura simus omnino alieni, nostri tamen curam gerat. Ac naturalis quidem est animantibus in suos fetus affectio, et quæ ex consuetudine oritur amicitia iis, qui sunt ejusdem sententiæ. Est autem in nos copiosa Dei misericordia, qui nihil ad eum attinemus, vel essentia, inquam, nostra, vel natura, vel propria nostræ essentiæ facultate, sed eo tantum quod simus opus ejus voluntatis. Atque adeo eum, qui sua sponte cum exercitatione et doctrina cognitionem accepit veritatis, vocat ad adoptionem, quæ est maximus omnium profectus. « Loquuntur autem

[1] Ezech. xxxiv, 6. — [2] Luc. xv.

[3] Pag. 467 et seq.

rirum iniquitates : suorum autem peccatorum catenis unusquisque astringitur [1]; » nec eorum causa Deo est ascrienda : et revera « beatus est vir, qui omnia veretur propter pietatem [2]. »

8°. Fortitudo et continentia, quarum sic affinitatem demonstrat [3] :

Vir enim bonus paucis indiget, ut qui sit in confinio naturæ mortalis et immortalis : egens quidem, et propter corpus, et propter mortalem originem : paucis autem egere doctus, propter susceptam ratione continentiam. Quamnam enim habet rationem, quod lex viro prohibet, « ne vestem induat muliebrem [4]? » An non nos vult esse viros, et nec corpore, nec factis, nec mente, nec verbis effœminari? Vult enim eum esse masculum, qui veritati dat operam, in ferendis laboribus et perpessionibus, in vita et moribus, et in sermone et exercitatione, noctu et interdiu, et sicubi testimonio, seu martyrio, opus sit, quod procedat ad sanguinem. Rursus, « Si quis, *inquit*, domum a se nuper ædificatam nondum habitavit, aut vitem nuper plantatam operatus, fructus nondum fuit particeps, aut sibi desponsæ virgini nondum nupsit [5] : » eos vult humana lex esse immunes a militia, prudenter et imperatorie, ne dum vellimur a cupiditatibus, ignavo et dejecto animo demus operam militiæ : sunt enim liberi ab appetitionibus, qui alacri animo quævis gravia pericula adeunt : humane autem, quoniam incertos bellorum casus reputans, iniquum esse duxit, ut hic quidem suis non frueretur laboribus, alter autem citra ullum laborem ea perciperet, quæ alii magno labore comparant. Videtur autem lex quoque forti-

[1] Prov. v, 22. — [2] Id. xxviii, 14.
[3] Pag. 471 et seq.
[4] Deut. xxii, 5. — [5] Id. xx, 5, 6, 7.

tudinem indicare, statuens oportere eum, qui plantavit, fructum percipere : et eum, qui ædificavit, habitare : et eum, qui puellam ambiit, uxorem ducere. Iis enim, qui se secundum gnosticam rationem exercuerunt, spes non reddit irritas : nam « Boni viri, *nec* mortui, *nec* viventis, » spes perit[1]. Ego eos, qui me diligunt, amo, *inquit Sapien-* » *tia* : qui autem me quærunt, inveniunt pacem[2] : » et ea, quæ sequuntur. Quid vero? an non mulieres Madianitarum su- pulchitudine bellantes Hebræos a temperantia per inconti- nentiam deduxerunt ad impietatem? Meretriciis enim il- cebris allectos, et a gravi ac honesta exercitatione ad mere- tricias voluptates forma inescatos, ad sacrificia idolorum, et ad peregrinas mulieres, veluti quodam furore perditos, deduxerunt. A mulieribus autem simul victi et voluptate, a Deo quidem defecerunt et a lege : et propemodum uni- versus populus in hostium manus venit ac potestatem mu- liebri stratagemate, donec ipsos in periculum adductos coërcuit timor admonens. Tum ii, qui reliqui erant, au- dacter pro pietate ac religione certamen suscipientes, ev- serunt hostibus superiores.

9°. Elargitio et communicatio, de qua[3] :

Sufficit hoc dicere, quod Lex prohibet fratri fœnerari : fra- trem nominans non eum solum, qui ex iisdem natus pa- rentibus, sed etiam qui fuerit ejusdem tribus, ejusdemque sententiæ, et ejusdem Logi particeps : non æquum cen- sens, ut ex pecuniis usuras legamus, sed laxis manibus et animis gratificemur egentibus. Deus enim est hujus dat- conditor; ut etiam qui libenter largitur, sufficientes ac- cipit usuras, ea, quæ sunt apud homines pretiosissima, nempe mansuetudinem, benignitatem, magnificentiam, bonam existimationem, laudemque. Annon hoc tibi videtur

[1] Prov. xi, 7. — [2] Id. viii, 17.

[3] Pag. 473 et seqq.

se præceptum humanitatis? sicut illud, mercedem pau-
eris ipso die reddere, docet oportere sine mora exolvere
ercedem ministris. Remittitur enim, ut opinor, ad id,
iod in posterum sequitur, faciendum pauperis alacritas,
desit alimentum. Præterea, fœnerator, inquit, ne ingre-
atur domum debitoris, vi pignus accepturus: sed ille
idem jubeat extra proferre: is vero, si habeat, ne re-
set. Et in messe ea, quæ a manipulis excidunt, tollere
ohibet possessores, sicut etiam in metendo jubet aliquid
ectum relinquere; per hoc possessores valde exercens
communicationem et magnificentiam, ex eo quod ex
opriis aliquid dimittant egentibus, pauperibus autem
ebens materiam sibi quærendi victus. Vides quomodo Lex
nul annuntiat Dei justitiam et bonitatem, qui omnibus
imenta abunde suppeditat: et in ipsis vindemiis regredi
i carpant ea, quæ sunt relicta; et uvas, quæ excidunt,
lligere prohibet. Eadem etiam præcipit iis, qui colligunt
as. Jam vero decimæ quoque fructuum et pecorum,
cebant et pios esse in Deum, et non esse lucro penitus
ditos, sed proximos humanitatis efficere participes. Ex
s enim, ut puto, et primitiis alebantur sacerdotes. Jam
go intelligimus nos per legem erudiri ad pietatem et com-
unicationem, et ad justitiam et humanitatem. Annon
im septimo quoque anno jubet agrum relinqui otiosum;
uperes autem iis, qui divinitus producti fuerint, fruc-
bus secure frui præcepit, agrum colente natura volentibus?
uomodo ergo non est bona Lex, et magistra justitiæ? Et
rsus quinquagesimo anno jubet eadem facere, quæ sep-
no: præterea reddens unicuique proprium, si cui casu
iquo ablatus esset fundus: et eorum cupiditatem, qui
ssidere desiderant, dimenso utendi ac fruendi tempore
rcumscribens: et eos, qui propter longam paupertatem
enas dederunt, nolens perpetuo puniri. «Eleemosynæ

usus ad salutem? Miseremini, inquit Dominus, ut misericordiam consequamini : remittite, ut remittatur vobis : ut facitis, ita fiet vobis : ut datis, ita dabitur vobis; ut judicatis, ita judicabimini : ut benigni estis, ita vobiscum agetur benigne; *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*[1]. Præterea eis, qui propter victum serviunt, infamiam omnino irrogari prohibet : et iis, qui propter debita redacti sunt in servitutem, septimo anno dat plenas inducias. Quinetiam prohibet supplicem dare ad supplicium. Est ergo verissimum illud eloquium : « Sicut probatur aurum et argentum in fornace, ita Dominus eligit corda hominum[2]. *Et*, Vir quidem misericors et » longanimis; et in quolibet, qui est sollicitus, inest sapientia. In virum enim intelligentem cadit sollicitudo : et qui » est sollicitus ac curam gerit, vitam quæret : et qui Deum » quærit, inveniet cognitionem cum justitia. Qui eum autem recte quæsiverunt, pacem invenerunt[3]. » Mihi autem videtur etiam Pythagoras suam in animantes rationis expertes mansuetudinem a lege accepisse. Ecce enim iis, quæ in ovium et caprarum gregibus boumque armentis nascuntur, protinus uti interdixit, ne prætextu quidem sacrificiorum, patrum et matrum gratia, hominem ad mansuetudinem vel ex infimis a brutis animantibus educens. Concede, inquit, matri fœtum, vel septem primis diebus. Si enim nihil fit sine causa, et enixis animantibus lac redundat ad fœtus nutriendos : qui a dispensatione lactis fœtum avellit, naturam afficit contumelia. Erubescant ergo Græci, et si quis est alius, legem insectari : cum ea quidem vel in bestias benigna sit, illi autem etiam hominum fœtus exponunt, quanquam longe ante et prophetice eorum feritatem lex per hoc præceptum exscinderet. Si enim fœtus bestiarum a matre separari prohibet ante lactis effusionem :

[1] Matth. VII, 2. — [2] Prov. XVII, 3. — [3] Id. XIX, 11; XIV, 23; XVII, 12.

ulto magis in hominibus crudeli et immani menti præ-
rat remedium, ut etsi naturam, disciplinam certe non
egligant. Hœdis enim et agnis eis impleri permissum est:
aliqua quidem fortasse fuerit excusatio ei, qui fœtum a
atre separat: infantis autem expositionis quænam causa
erit? Ab initio enim oportebat ne uxorem quidem ducere
, qui non cupiebat procreare liberos, potius quam per
luptatis intemperantiam, filii fieri homicidam. Rursus
tem benigna Lex prohibet eodem die fœtum et matrem
crificare. Hinc etiam Romani, si qua mulier prægnans
erit damnata capitis, non prius permittunt, ut supplicium
beat, quam pepererit. Aperte itaque quæcumque uterum
erunt animalia, Lex non prius mactari permittit, quam
pepererint, eminus cohibens hominum ad injuriam in homi-
nes faciendam propensionem. Ita vel usque ad bruta ani-
mantia extendit benignitatem: ut cum eam in ea, quæ
sunt diversi generis, exercuerimus, longe majori huma-
nitate utamur in ea, quæ sunt ejusdem generis. Qui autem
n quorumdam animantium ventres ante partum calces im-
pingunt, ut contemperata lacte carne vescantur, matricem,
quæ est creata ad generationem, faciunt sepulcrum fœ-
us, qui gestatur in utero: cum Lex aperte jubeat: Sed
neque coques agnum in lacte matris suæ[1]. Non fiat enim,
inquit, id, quod est viventis nutrimentum, interempti ani-
malis condimentum: neque quod est vitæ causa, opem
ferat ad consumptionem corporis. Eadem autem Lex edi-
cit, *ne obturetur os bovi trituranti*[2]. Oportet enim *opera-
rium dignum censere nutrimento*[3]. Et prohibet simul in ara-
tro conjungere bovem et asinum: fortasse quidem etiam
eo collimans, quod nulla sit inter eos animantes conve-
nientia: simul autem significans, non oportere quemquam
ex diversa gente injuria afficere, neque jugo subjungere,

[1] Deut. XIV, 21. — [2] *Id.* XXV, 4; 1 Tim. V, 8.— [3] Luc. X, 7; Matth. X, 10.

si nullius alterius rei eum possimus insimulare, quam quod sit diversi generis : quod quidem culpa caret, cum nec sit vitium, nec ex vitio proficiscatur. Mihi autem videtur quoque significare allegoria, Logi culturam non esse ex æquo communicandam mundo et immundo, fideli et infideli: quoniam bos quidem est mundus, in immundis autem reputatus est asinus. Redundanti autem quadam humanitate bonus Logos utens, nec quæ sunt frugiferæ mitisque materiæ arbores docet esse excindendas, neque segetem ante messem sola perniciei causa tondendam : sed neque fructum mitem omnino interimendum, neque terræ, neque animæ : neque enim agros hostium permittit excindi. Jam vero qui sunt etiam studiosi agriculturæ, in his quoque possunt utilitatem a Lege accipere : jubet enim arbores nuper plantatas, tribus annis ordine sequentibus fovere et alere, et superfluas, quæ adnascuntur, excindendo propagines, ne nimis gravatæ opprimantur, et ne alimento minutatim diviso imbecillæ fiant propter inopiam, araremque et circumfodere, ut nihil prope germinans ac pullulans prohibeat incrementum : et fructum non sinit imperfectum colligi ex imperfectis, sed post triennium, quarto anno, primitiis Deo prius consecratis, postquam arbor perfecta fuerit. Qua agriculturæ figura utitur ad docendum, quod oporteat excindere peccatorum propagines, et, quæ una cum genitali fructu pullulant, inanes herbas cogitationis, donec perficiatur, et firmum fiat germen fidei. Quarto enim anno, quoniam tempore quoque opus est ei, qui stabiliter per catechesin instituitur, quaternio virtutum Deo consecratur, cum tertia jam sola conjungatur cum quarta Domini hypostasi. Sacrificium autem laudis super holocausta. *Hic enim,* inquit, *dat tibi vires ad faciendam virtutem*[1]. Sin autem res tibi illuminatæ fuerint, cum vires ceperis et ac-

[1] Deut. VIII, 18.

uisieris; fac in cognitione virtutem. Per hæc enim ostendit et bona et dona a Deo suppeditari, et oportere nos, cum ministri facti simus divinæ gratiæ, seminare Dei beneficia, et eos, qui appropinquant, bonos et honestos reddere: ut quam maxime quidem temperans, continentes; qui est autem fortis, generosos; et sapiens intelligentes, et justus justos efficiat.

Hic est, qui ad imaginem et similitudinem Dei est Gnosticus, qui Deum imitatur quoad ejus fieri potest, nihil prætermittens eorum, quæ faciunt ad conciliandum, quatenus fieri potest, similitudinem, continens, sustinens, juste vivens, imperans animi perturbationibus, ea, quæ habet, impertiens, pro viribus benefaciens, et verbo, et opere. Hic est, inquit, *maximus in regno, qui fecerit et docuerit*[1], Deum imitans, consimiliter beneficia conferendo. Sunt enim communiter utilia Dei dona. «Quicumque autem superbia aliquid agere aggressus fuerit, Deum, *inquit*, irritat[2].» Est autem arrogantia, animæ vitium: cujus et aliorum vitiorum jubet duci pœnitentia, ex inconcinnitate concinnando vitam ad meliorem mutationem, per hæc tria, os, cor, manus. Symbolum autem signumque hæc fuerint, actionis quidem, manus: cor autem, consilii: et os, sermonis.

10°. Amicitia, cujus[3],

Triplex genus: et eorum primum quidem est, idque optimum ac præstantissimum, id, quod virtute conciliatur; valida enim est, quæ ex ratione oritur, dilectio. Secundum autem ac medium, ex remuneratione: est autem hoc genus aptum ad societatem ac communicationem, libenter impertiens, et vitæ conducibile. Communis enim est, quæ ex gratia oritur, amicitia. Ultimum autem ac tertium, nos

[1] Matth. v, 19. — [2] Num. xv, 30.
[3] Pag. 483.

quidem dicimus id, quod est ex consuetudine: illi vero, id, quod propter voluptatem vertitur ac mutatur. Ac mihi quidem pulcherrime Hippodamus Pythagoreus videtur describere amicitias: « Una quidem est, *inquit*, ex scientia » Deorum: altera vero, ex hominum suppeditatione: tertia » vero, ex voluptate animantium. » Est ergo una quidem philosophi amicitia, altera vero hominis, tertia autem animalis.

11°. Tolerantia, quæ[1]

Contendit ad divinam similitudinem, ut quæ impatibilitate quodammodo fruatur per patientiam, si quis in mente teneat ea, quæ narrantur de Anania: quorum unus quoque fuit Daniel propheta, divina fide plenus. Babylonem habitabat Daniel, sicut Lot quidem Sodoma, Chaldæorum autem terram Abraham, qui paulo post fuit Dei amicus. In antrum feris plenum adduxit Danielem rex Babyloniorum: ipsum autem eduxit illæsum rex universorum, fidelis Dominus. Hanc possidebit tolerantiam Gnosticus, quatenus est ejusmodi. Si tentatur, benedicet, ut generosus Job: si devoretur a cete, ut Jonas precabitur, et fides eum restituet prædicentem Ninivitis: et si inclusus fuerit cum leonibus, feras mansuefaciet: et si in ignem fuerit injectus, rore recreabitur, non igne exuretur. Noctu erit martyr, interdiu martyr, in sermone, in vita, in moribus erit martyr. Cum Domino cohabitans, eoque familiariter utens, in spiritu permanet; mundus quidem carne, mundus autem corde, sanctificatus sermone. *Mundus*, inquit, *ei crucifixus est, et ipse mundo*[2]. Is crucem Servatoris circumferens, Domini sequitur vestigia, tanquam Deus, effectus sanctus sanctorum.

[1] Pag. 484.
[2] Galat. vi, 14.

12'. Castitas, quæ vincit voluptatem: voluptas au-
n est[1]

Lenis et blandus motus cum aliquo sensu. Ei servientem nelaüm post Trojam captam dicunt, cum impetu fer-ur ad occidendam Helenam, quod tot et tantorum fuis- causa malorum, id tamen non potuisse efficere, victum lchritudine, per quam in mentem venit recordatio pris-æ voluptatis. Unde ludificantes Tragici, cum probro ac lecore in eum exclamant:

At tu papillam contuens gladium abjicis,
Et proditrici figis osculum cani.

rursus:

Hebescit ensis ergo pulchritudine?

o vero Antistheni assentior, qui dicit: « Ego Venerem si cciperem, jaculis confoderem: quia hæc nobis honestas robasque mulieres multas corrupit: *Cupidinem* vero na-uræ vitium appellabat, cui succumbentes miseri, ægri-udinem Deum vocant. » Per hæc enim ostenditur vinci peritiores, propter ignorationem voluptatis, quæ non admittenda, etsi dea dicatur, hoc est, etsi divinitus a sit ad usum liberorum procreationis. Et Xenophon luptatem aperte vitium dicens, inquit: « O! misera, uid vero tu bonum nosti, aut quid honestum consideras? uæ ne eorum quidem, quæ sunt jucunda, appetitum pectas, sed priusquam esurias quidem, comedis: riusquam autem sitias, bibis: et ut jucunde vescaris, bsoniorum conditores excogitas: ut autem suaviter bi-as, magno sumptu vina comparas, et per æstatem nivis uærendæ causa circumcursas: ut autem jucunde dor-ias, non solum molles lectos, sed etiam, quæ lectis

[1] Pag. 485 et seq.

» supponantur, fulcra paras. » Unde, ut dicebat Aristo, *ad totum tetrachordon, voluptatem,* inquam, *et dolorem, et metum, et cupiditatem, et multa exercitatione et pugna opus est.*

Hi namque ad intima usque penetrant viscera,
Fluctusque in animo concitant mortalium.

« Eorum enim, qui graves existimantur, animos voluptas » faciet cereos, *ex sententia Platonis : quoniam* unaquæque » voluptas, et unusquisque dolor corpori affigit animam » *ejus,* » qui non se separat ab affectibus, eosque cruci affigit. *Qui perdiderit animam suam,* inquit Dominus, *servabit ipsam*[1] *:* scilicet aut eam libenter pro Domino periculis exponens, sicut ille se nostri gratia exposuit : aut eam perdens ex ea, quæ est ei cum hac vita, consuetudine. Si enim solvere, abducere, et segregare (id enim crux significat) animam volueris ab ea, quæ est in hac vita, voluptate et delectatione, habebis eam, in ea, quæ exspectatur, spe inventam et conquiescentem.

Quemadmodum enim[2] exhalationes, cum e terra, tum e paludibus ortæ, in caliginem et nimbos conglobantur[3] : ita etiam carnalium cupiditatum vapores malam animæ inurunt habitudinem, voluptatis species ante animam undique spargentes. Intelligentiæ itaque luci tenebras offundunt, attrahente anima vapores concupiscentiæ, et condensante affectuum globos, ex perpetuo voluptatum usu. Gleba e terra sublata non est aurum, sed coquitur et percolatur, deinde pura evadens, aurum vocatur, quod est terra purificata.

[1] Matth. x, 39; Marc. viii, 35.
[2] Pag. 489.
[3] Vide D. Guillon, pag. 414.

Hic deridet Gnosticum quemdam voluptati ut voluptatem vinceret indulgentem[1]:

Scio me in quamdam incidisse hæresim, cujus princeps icebat se per usum voluptatis pugnare cum voluptate, deoque per simulatam pugnam ad voluptatem transfugit ræclarus hic Gnosticus. Se enim dicebat esse Gnosticum: icebat enim, nil magnum facere, si quis abstineret a voptate, qui eam non esset expertus; sed eum, qui in ea ersatus, non vinceretur: ideoque per eam dicebat se in a exerceri. Seipsum autem miser imprudens decipiebat rte voluptaria. In eamdem ergo, ut patet, venit sentenam Aristippus quoque Cyrenæus cum sophista, qui se ictat tenere veritatem. Cui cum probro daretur, quod cum aeretrice Corinthia assidue versaretur: *Habeo*, inquiebat, *Laidem, sed ab ipsa non habeor.* Tales autem sunt etiam, qui dicunt se sequi Nicolaüm, adducentes quoddam ejus iri adagium, sed ab eis detortum, nempe oportere carne buti. Sed ille quidem vir præclarus significabat oportere oluptates arcere et cupiditates, et hac exercitatione maridas flaccidasque reddere carnis appetitiones et insultus. li autem instar hircorum effusi in voluptatem, quodamodo corpus contumelia afficientes, in luxu et deliciis vitam gunt; nescientes quod id quidem, cum sit natura fluxum, eteritur; ipsorum autem infossa est anima in cœno vitii, t qui decretum ipsius voluptatis, non autem viri Apostoci, sequantur. Quid hi enim differunt a Sardanapalo? ujus vitam significat epigramma:

Hæc habeo, quæ edi, quæque exaturata libido
Hausit, at illa jacent multa et præclara relicta.
Namque et ego cinis ecce, Nini rex maximus olim.

on est enim omnino necessaria fruitio voluptatis, sed

[1] Pag. 490 et seq.

accessio et consequentia quædam naturalium necessitatum, famis, sitis, frigoris, matrimonii. Si itaque fieri posset, ut absque ea vel biberetur, vel alimentum susciperetur, vel liberi procrearentur, non posset ostendi alius ejus usus. Neque enim operatio, neque affectio, sed neque aliqua pars nostri est voluptas; sed vicarii ministerii gratia in vitam accessit, quemadmodum dicunt accessisse sales nutrimenti concoquendi causa.

Paganorum contra voluptatem sententias rescribit[1]:

Socrates itaque jubet « cavere ab illecebris, quæ suadent » ut non esurientes comedamus, et bibamus non sitientes; » et pulchrorum obtutibus et osculis, ut quæ soleant scorpiis » et araneis gravius venenum immittere. » Anthistenes autem vult « potius insanire, quam voluptate *affici*. » Et Crates Thebanus ait :

> Hæc vincas, rectis exultans moribus, atque
> Te auro haud addicens, cupidis nec amoribus unquam
> Servam : nec servatores sunt amplius ulli.

Et tandem infert :

> Mancipat at quem non turpis tangitque voluptas,
> Regnum immortale, et libertas huic quoque amatur.

Hic autem alibi expresse scribit, « Rerum venerearum effrænati desiderii cataplasma esse famem : sin minus aetatem, laqueum. » Zenonis autem Stoici quænam esset doctrina, testantur Comici, etiam dum eam insectantur, hoc modo :

> Sapientiam iste Zeno quam vanam docet,
> Quippe esurire qui suos tantum docet,
> Panis sit unus, caricaque, et aquam bibas

Hi omnes utique non erubescunt aperte confiteri eam, quæ ex cautione accipitur, utilitatem.

[1] Pag. 492 et seq.

Hortatur denique ad virtutem adhibitis Sanctorum exemplis[1] :

Neque enim veteres illos, qui ex Lege vixerunt, « Annosa quercus genuit, aut prærupta petra : » quoniam igitur sincere volebant philosophari, totos seipsos Deo obtulerunt ac dicarunt, et in fidei rationem relati sunt. Pulchre de Indis dicebat Zeno, se unum malle Indum videre, qui crematur, quam omnia pro laboris perpessione argumenta audire. Nobis autem sunt quotidie redundantes martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur, torquentur, et capite truncantur. Eos omnes Legis metus, qui veluti pædagogus ad Christum deduxit, exercuit, ut pietatem vel per sanguinem ostenderent. « Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat[2]. » Quosnam? Eos[3], qui sunt voluptate superiores, qui vincunt affectus, qui sciunt unumquodque eorum quæ faciunt, eos qui sunt Gnostici, qui mundo sunt majores. Et rursus : « Ego dixi, Dii estis et filii altissimi omnes[4]. » Quibusnam dicit Dominus? Iis, qui, quoad fieri potest, mortalia omnia repudiant. Et dicit Apostolus : « Vos autem non amplius estis in carne, sed in spiritu[5]. *Et rursus dicit :* In carne cum simus, non secundum carnem militamus[6]. Caro *enim* et sanguis regnum Dei non possunt possidere, neque corruptio possidet incorruptionem[7]. » *Ecce tanquam homines moriemini*[8], eos redarguens dixit Spiritus. Oportet ergo nos exercere ad ea cavenda, quæ sunt obnoxia vitiis, fugiendo, ut ii, qui vere sunt philosophi, eos cibos, qui incitant ad libidinem, et dissolutam in cubili remissionem, et delicias, et

[1] Pag. 494 et seq.
[2] Psal. LXXXII, 1.
[3] Vide D. Guillon, pag. 414.
[4] Psal. LXXXII, 6. — [5] Rom. VIII, 9. — [6] 1 Cor. X, 3. — [7] *Id.* XV, 50. — [8] Psal. LXXXII, 7.

ita agendo, ut ea, quæ in fruendis deliciis accidunt, sint aliis magnum præmium, nobis autem non itidem.

Hinc voluptas non est *vitæ finis*, quod ubi deductis omnibus philosophorum opinionibus demonstravit, ita concludit[1]:

Rectæ autem rationi seu Logo, quoad fieri potest, assimilatio, est finis, et in finalem seu perfectam adoptionem per Filium nos restituit, Patremque semper glorificat per magnum pontificem, qui nos fratres et cohæredes dignatus est appellare. Et Apostolus quidem breviter finem describens in epistola ad Romanos, dicit: « Nunc vero liberati a peccatis, Deo autem servientes, habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem autem, vitam æternam[2]. »

13°. Matrimonii sanctitas, ubi maxime notanda ejus definitio, bonum, indissolubilitas.

Sic de matrimonii definitione[3]:

Quoniam autem voluptas et cupiditas videntur cadere in matrimonium, de hoc quoque tractandum est. Est ergo matrimonium, prima legitima viri et mulieris conjunctio ad legitimorum liberorum procreationem. Menander itaque Comicus ait:

> Ad seminandos legitimos liberos
> Tibi meam trado filiam.

Quærimus autem, an sit uxor ducenda: quod quidem est ex iis, quæ secundum ad aliquid quodammodo se habere dicuntur. Est enim alicui ducenda uxor, hoc est aliquo modo se habenti, et aliqua uxor ducenda, et quæ aliquo modo se habeat. Neque enim est uxor ducenda cuilibet,

[1] Pag. 500.
[2] Rom. vi, 22.
[3] Pag. 502.

me semper : sed tempus quoque est, in quo convenit : persona, cui convenit : et ætas, usque ad quam. Neque o est cuilibet uxor quælibet ducenda, neque semper, neque omni modo ac temere; sed ei, qui aliquo modo habet, et qualem, et quando oportet, et liberorum tia, et ea, quæ est in omnibus similis, et non vi aut essitate virum amantem diligit. Unde Abraham, uxo- suam sororem esse defendens, ait, « Mihi soror est patre, sed non ex matre, fuit autem mihi quoque in orem [1] : » docens eas, quæ ex eadem matre natæ sunt, esse ducendas uxores.

De bono autem matrimonii [2] :

Cæterum qui matrimonium approbant, Nos, inquiunt, it natura aptos ad matrimonium, ut liquet ex composi- ne corporum masculorum et fœminarum : et frequenter id acclamant, *Crescite et multiplicamini* [3]. Etsi autem c quoque ita se habeant, ipsis tamen turpe videtur, od homo, quem Deus est architectatus, sit animantibus tis intemperantior, quæ cum multis et temere non con- diuntur, sed cum uno, et quod sit ejusdem generis : jusmodi sunt columbæ, et palumbes, et genus turtu- m, et quæ sunt his similia. « Præterea, inquiunt, qui aret liberis, est ea perfectione defectus, quæ est secun- um naturam, ut qui suum successorem in suum locum non substituerit. Perfectus enim est, qui ex seipso fecit imilem : vel potius quando illum idem fecisse viderit, hoc st, quando in eamdem pervenerit naturam filius, cujus st, qui eum genuit. » Est ergo omnino uxor ducenda, et triæ causa, et liberorum successionis, et mundi, quan-

[1] Genes. xx, 12.
[2] Pag. 503 et seq.
[3] Genes. 1, 28.

tum est in nobis, perfectionis. Nam istius etiam matrimonii miserentur poëtæ, quod est *semiperfectum* et car liberis: beatum autem prædicant id, quod floret et germinat undiquaque. Morbi autem corporis maxime indicant necessarium esse matrimonium. Uxoris enim cura, et assidua ejus perseverantia, videtur aliorum necessariorum et amicorum tantum superare tolerantiam, quanto ea mutua doloris consensione et misericordia antecellit, et vult omnium maxime libenter adesse et præsentia sua succurrere. Et revera ex Scripturæ sententia necessaria *adjutrix*[1]. Fert autem opem quoque matrimonium iis, qui ætate processerunt, ut quod exhibeat uxorem curam gerentem; et alat, qui ex ea suscepti sunt, liberos, ut in senectute parentes suos nutriant:

> Nam liberi sunt fama defuncto viro,
> Et ex profundo retia, ut suber, trahunt,

Fila servantes lino: ex Tragici Sophoclis sententia. Non permittunt autem legislatores maximos magistratus gerere iis, qui uxorem non duxerint. Jam vero Laconum legislator, non solum pœnam imposuit ei, qui uxorem non duxisset, sed etiam ei, qui unam tantum, et ei, qui duxisset serius, et ei, qui solus viveret. Præclarus autem Plato jubet uxoris quoque alimentum publico pendere ærario eum, qui uxorem non duxisset, et sumptus convenientes dare magistratibus. Si enim, ductis uxoribus, liberos non susceperint, quatenus in iis quidem situm est, hominum raritatem invehent, et civitates dissolvent, et, qui ex eis constat, mundum. Hi autem impie agunt, ut qui divinitus institutam generationem destruant. Quinetiam ignavi est et imbecilli animi, fugere conjunctionem vitæ et consuetudinem cum uxore et liberis. Cujus enim est amissio malum,

[1] Genes. II, 18.

us omnino possessio bonum est : ita autem se habet etiam reliquis. Atqui liberorum amissio, inquiunt, est ex suemis malis : liberorum ergo possessio, bonum est : quod ita est, etiam matrimonium.

Namque absque patre liberos nemo tulit :
Nec absque matre filii conceptio :

trem autem nuptiæ efficiunt, ut vir matrem. Maximum que votum statuit Homerus, *virum et familiam,* sed non solute, verum *cum bona consensione.* Nam aliorum quin matrimonium in voluptate consentit et delectatione : um autem, qui philosophantur, matrimonium deducit eum, qui est secundum Logon seu rationem, consenn : qui non formam, sed mores permittit ornare mulieius; præcipitque maritis, ne utantur uxoribus tanquam iicis, unum sibi proponentes scopum, ut corpori proum afferant, sed ad totius vitæ auxilium, et optimam operantiam, matrimonium usurpent. Frumenti enim et rdei, ut arbitror, seminibus, quæ convenientibus temribus terræ committuntur, præstantior est, qui matrimio seminatur, homo, in cujus usum omnia a natura oducuntur. Atque illa quidem semina agricolæ sobrii ponunt. Si quod sit ergo sordidum et spurcum studium, est a matrimonio expurgandum, ne nobis probro dari esit, quod brutorum animantium congressus magis narræ conveniat, quam humana conjunctio, in ipso calore neris... Succumbere itaque et cedere vitiis et animi perbationibus, est extrema servitus : sicut ea certe vincere, a est libertas.

De indissolubilitate tandem ita habet[1] :

Quod autem consulit Scriptura uxorem ducere, et nec conjugio unquam permittit discedere, legem aperte con-

[1] Pag. 506 et seq.

stituit. « Non dimittes uxorem, præterquàm propter forni» cationem[1]. » Adulterium autem existimat conjungi matrimonio, dum vivit alter ex separatis. Suspicione autem et criminatione liberam reddit uxorem, ut non ornetur ac cometur plus, quam sit decorum, sed assidue attendat precibus et orationibus; utque e domo sæpe non exeat, sui autem aspectu, quoad fieri potest, excludat eos, qui ad eam non attinent, ducatque domus custodiam intempestivis nugis conducibiliorem. « Qui autem dimissam ac» cipit uxorem, mœchatur, *inquit* : si quis *enim* dimi» uxorem, mœchatur ipsam[2], » hoc est, cogit eam mœch Non solum autem qui dimisit, est ejus causa, sed qui eam suscepit, præbens mulieri peccandi occasi si enim non suscipiat, revertetur ad virum. Quid vero Ut reprimat ad vitia propensionem, jubet de medio eam, quæ adulterata, et adulterii fuerit convicta: si tem fuerit e familia Sacerdotis, jubet eam igni trad Obruitur autem adulter quoque lapidibus, sed non dem loco, ne mors quidem sit eis communis. Nequ igitur Lex cum Evangelio pugnat, sed ei consentit.

Paucis concipitur verbis conclusio[5] :

Terminetur hic quoque secunda Stromatum, seu Misce laneorum, disputatio, propter prolixitatem capitum multitudinem.

[1] Matth. v, 32; xix, 9; Marc. x, 11, 12; Luc. xvi, 18. — [2] Ibid.—
[3] Levit. xx, 10; Deut. xxii, 22. — [4] Levit. xxix, 9.
[5] Pag. 507.

LIBER TERTIUS.

Totus in confutandis Hæreticorum de matrimo-
o commentis versatur liber III : quos priusquam
grediatur Clemens, sic fidem christianam paucis
ponit[1] :

Nos quidem castitatem[2], et eos, quibus hoc à Deo datum
, beatos dicimus : monogamiam autem, et quæ consistit
uno solum matrimonio, honestatem admiramur; dicen-
tamen oportere aliorum misereri, et « alterum alterius
nera portare[3], *ne* quis, cum *recte* stare videatur, *ipse*
oque cadat[4]. De secundis autem nuptiis : « Si uraris, *inquit*
Apostolus, jungere matrimonio[5]. »

Deinde, explosis Hæreticis, veram de matrimonio
tuit doctrinam. Hinc cum conclusione triplex erit
ctio.

ARTICULUS PRIMUS.

HÆRETICORUM CONFUTATIO.

1°. Invehitur in Carpocratem et Epiphanem, qui
mmunes esse volebant mulieres :

Qui autem à Carpocrate descendunt et Epiphane, cen-
nt oportere uxores esse communes : a quibus contra

[1] Pag. 511 et seq.
[2] Vide D. Guillon, a pag. 396 usque ad pag. 397.
[3] Galat. VI, 2. — [4] I Cor. X, 12. — [5] *Id.* VII, 9.

nomen Christi, maximum emanavit probrum. Hic autem Epiphanes, cujus etiam scripta feruntur, filius erat Carpocratis, et matris Alexandriæ nomine, ex patre quidem Alexandrinus, ex matre vero Cephalleneus. Vixit autem solum septemdecim annis, et Samæ, quæ est urbs Cephalleniæ, ut Deus est honore affectus. Quo in loco templum ex ingentibus lapidibus, altaria, delubra, museum, ædificatum est et consecratum; et cum est nova Luna, convenientes Cephallenei, diem natalem, quo in Deos relatus est Epiphanes, sacrificant, libantque, et convivantur, et hymnos canunt. A patre autem didicit et orbem disciplinarum, et Platonis philosophiam. Fuit autem princeps monadicæ cognitionis. A quo etiam profluxit hæresis eorum, qui nunc sunt, Carpocratianorum.

Hos dicunt et aliquos alios similium malorum æmulatores[1], ad cœnas convenientes (neque enim dixerim agapen eorum congressionem), viros simul et mulieres, postquam cibis venerem excitantibus se expleverint, lumine amoto, quod eorum fornicatoriam hanc justitiam pudore afficiebat, aversa lucerna, coire quomodo velint, et cum quibus velint : meditatos autem in ejusmodi *agape* communionem, interdiu jam, a quibus velint mulieribus exigere Carpocrateæ (divinæ enim nefas est dicere) legis obedientiam. Has leges, ut sentio, ferre oportuit Carpocratem, canum suum et hircorum libidinibus. Mihi autem, videtur, Platonem quoque male intellexisse, in Republica, dicentem, oportere esse communes omnium uxores : ut qui diceret eas quidem, quæ nondum nupserant, esse communes eorum, qui essent petituri, quemadmodum theatrum quoque est commune spectatorum; esse autem unamquamque unius cujusque qui præoccupasset, et non amplius communem esse eam quæ nupsisset. Xanthus autem in iis, quæ inscri-

[1] Pag. 514 et seq.

buntur Magica, « Coëunt autem, *inquit*, Magi cum matri- » bus et filiabus : et fas esse aiunt coire cum sororibus : et » communes esse uxores, non vi et clam, sed utrisque con- » sentientibus, cum velit alter ducere uxorem alterius. » De his et similibus hæresibus existimo Judam prophetice dixisse in epistola : *Similiter quidem hi quoque somniantes* (non enim vigilantes ad veritatem se applicant), usque ad illud, *Et os eorum loquitur superba*[1].

2°. Damnat Marcionistas, qui « dicunt malam esse » naturam, ex mala materia, et a justo[2] factam Opi- » fice et Creatore[3]; » undè,

Nolentes implere mundum, qui factus est a Creatore, volunt abstinere a nuptiis, resistentes suo Creatori, et contendentes ad bonum, qui vocavit : sed non ad eum, qui, ut dicunt, Deus est diversis moribus præditus. Unde cum nihil hic velint relinquere proprium, non sunt ex destinato animi proposito continentes, sed propter odium conceptum adversum eum, qui creavit, nolentes iis uti, quæ ab ipso sunt creata. Sed hi quidem, qui propter impium, quod cum Deo gerunt, bellum, emoti sunt ab iis cogitationibus, quæ sunt secundum naturam, Dei longanimitatem contemnentes et benignitatem, etsi nolunt uxorem ducere, cibis tamen utuntur creatis, et aërem respirant Creatoris... Dicebamus autem[4] Græcos adversus liberorum generationem multa dixisse, incommoda, quæ comitari eam solent, respicientes : quæ cum impie excepissent Marcionistæ, impie fuisse ingratos in Creatorem. Dicit enim Tragœdia :

Non nascier præstat homines, quam nascier.
Dein filios acerbis cum doloribus

[1] Jud. 8, 17.
[2] Id est, rigido ac immiti.
[3] Pag. 515 et seq.
[4] Pag. 520 et seq.

Enitor, ast enixa, si stolidi sient,
Afflictor, intuendo quod servo malos,
Bonosque perdo. Si bonos servo, tamen
Mihi misellum cor timore liquitur.
Quid hic boni ergo est? unicam annon sufficit
Effundere animam, nisi crucieris amplius?

Et adhuc similiter :

. . . . Vetus stat mihi persuasio,
Plantare filios nunquam hominem oportuit,
Dum cernit ad quot gignimus natos mala.

In his autem, quæ deinceps sequuntur, malorum quoque causam evidenter reducit ad principia, sic dicens :

O miser natus! malisque obnoxius
Editus, homo, es, vitæ tuæque miseriam
Hinc inchoasti : cœpit æther omnibus
Spiramen unde alens tradere mortalibus :
Mortalis ægre ne feras mortalia.

Rursus autem his similia tradit :

Mortalium omnium beatus non fuit
Quisquam, molestia et nemo carens fuit.

Et deinde rursus :

Heu! quanta, quotque hominibus eveniunt mala,
Quam variâ, quorum terminus nullus datur?

Et adhuc similiter :

Nemo beatus semper est mortalium.

Hac itaque ratione dicunt etiam Pythagoreos abstinere a rebus venereis. Mihi autem contra videntur uxores quidem ducere, ut liberos suscipiant, velle autem a venerea voluptate se continere post susceptos liberos. Proinde mystice uti fabis prohibent, non quod sit legumen flatum excitans,

et concoctu difficile, et somnia efficiat turbulenta; neque quod hominis capiti sit similis, ut vult ille versiculus:

Idem est namque fabam atque caput corrodere patris:

sed potius quod fabæ, si comedantur, steriles efficiant mulieres. Theophrastus quidem certe in quinto libro de causis plantarum, fabarum siliquas, si ponantur ad radices arborum, quæ nuper sunt plantatæ, refert plantas exsiccare. Quinetiam gallinæ domesticæ, quæ eas assidue comedunt, efficiuntur steriles.

Ex iis autem, qui ab hæresi ducuntur, Marcionis quidem Pontici fecimus mentionem, qui propter certamen, quod adversus Creatorem suscepit, mundanarum rerum usum recusat. Ei autem continentiæ causa est, si modo est ea dicenda continentia, ipse Creator, cui se adversari existimans gigas iste cum Deo pugnans, est invitus continens, dum in creationem et Dei opus invehitur... Unde satis dilucide ostensum existimo externorum alienorumque dogmatum occasiones Marcionem ingrate et indocte accepisse a Platone.

Cum autem Hæretici Scripturæ exemplis et verbis abuterentur, hæc quasi discurrendo interponit Carpocratem iterum perstringens[1]:

Cum autem de dicto Nicolaï loqueremur, illud prætermisimus: Cum formosam, aiunt, haberet uxorem, et post Servatoris assumptionem ei fuisset ab Apostolis exprobata zelotypia, in medium adducta muliere, permisit cui vellet eam nubere (1). Aiunt enim hanc actionem illi voci consentaneam, quæ dicit, quod *carne abuti oporteat.* Proinde ejus factum et dictum absolute et inconsiderate sequentes, qui ejus hæresim persequuntur, impudenter effuseque forni-

[1] Pag. 522 et seqq.

cantur. Ego autem audio Nicolaum quidem nulla unquam alia, quam ea, quæ ei nupserat, uxore usum esse, et ex illius liberis, filias quidem consenuisse virgines, filium autem permansisse incorruptum. Quæ cum ita se habeant, vitii erat depulsio atque expurgatio, in medium Apostolorum circumactio uxoris, cujus dicebatur laborare zelotypia : et continentia a voluptatibus, quæ magno studio parari solent, docebat illud, *Abuti carne*, hoc est, exercere carnem. Neque enim, ut existimo, volebant, convenienter Domini præcepto, *duobus Dominis servire*[1], voluptati et Deo. Dicunt itaque Matthiam quoque sic docuisse : «Cum » carne quidem pugnare, et ea uti, nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem; augere autem animam per fidem » et cognitionem. » Sunt autem, qui etiam publicam venerem pronuntiant mysticam communionem, et sic ipsum nomen contumelia afficiunt. Sicut enim operari eum dicimus, tum qui malum aliquod facit, tum etiam qui bonum, idem nomen utrique tribuentes : haud aliter *communio* usurpari solet : nam bona quidem est in communicatione tum pecuniæ, tum nutrimenti, et vestitus : illi autem quamlibet veneream conjunctionem impie vocaverunt *communionem*. Dicunt itaque ex iis quemdam, cum ad nostram virginem vultu formosam accessisset, dixisse : Scriptum est, *Da omni te petenti*[2] : illam autem honeste admodum respondisse, ut quæ non intelligeret hominis petulantiam : At tu matrem conveni de matrimonio. O impietatem ! etiam voces Domini ementiuntur isti intemperantiæ communicatores, fratresque libidinis, non solum probrum philosophiæ, sed etiam totius vitæ; qui veritatem, quantum in eis situm est, adulterant ac corrumpunt, vel potius defodiunt; homines infelicissimi carnalem concubitus communionem consecrant, et hanc ipsos putant ad regnum Dei perducere.

[1] Matth. vi, 24; Luc. xvi, 3. — [2] Matth. v, 42; Luc. vi, 30.

Ad lupanaria ergo deducit hæc communio, et cum eis communicaverint sues et hirci, maximaque apud illos in spe fuerint meretrices, quæ in prostibulis præsto sunt, et volentes omnes admittunt. «Vos autem non sic Christum didicistis, siquidem ipsum audiistis, et in eo docti estis, »quemadmodum est veritas in Christo Jesu, ut deponatis »quæ sunt secundum veterem conversationem, veterem »hominem, qui corrumpitur secundum desideria deceptionis. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induatis »novum hominem, qui creatus est secundum Deum in justitia et sanctitate veritatis[1], *ad Dei similitudinem.* Efficimini ergo Dei imitatores, ut filii dilecti, et ambulate in »dilectione, sicut Chistus quoque dilexit nos, et tradidit »seipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem »suavitatis. Fornicatio autem, et omnis immunditia, vel »avaritia, ne nominetur quidem in vobis, sicut decet sanctos, et turpitudo, et stultiloquium[2]. » Etenim docens Apostolus meditari vel ipsa voce esse castos, scribit : « Hoc enim »scitote, quod omnis fornicator, *et cætera, usque ad illud:* »Magis autem arguite[3]. »

3°. Deludit Prodici asseclas[4],

Qui seipsos falso nomine vocant Gnosticos: seipsos quidem dicentes esse natura filios primi Dei; ea vero nobilitate et libertate abutentes, vivunt ut volunt : volunt autem libidinose : se nulla re teneri arbitrati, ut *domini sabbati*, et qui sint quovis genere superiores, filii regales. Regi autem, inquiunt, lex scripta non est. Primum quidem, quod non faciant omnia, quæ volunt : multa enim eos prohibebunt, etsi cupiant et conentur. Quinetiam quæ faciunt, non faciunt ut reges, sed ut mastigiæ : clanculum enim committunt adulteria, timentes ne deprehendantur, et vitantes

[1] Ephes. IV, 20, 21, 22, 23, 24. — [2] Id. V, 1, 2, 3, 4. — [3] Ibid. 5, et seqq.
[4] Pag. 525.

ne condemnentur, et metuentes ne supplicio afficiantur. Quomodo etiam res est libera, intemperantia et turpis sermo? *Omnis enim, qui peccat, est servus* [1], inquit Apostolus. Sed quomodo vitam ex Deo instituit, qui seipsum præbuit dedititium cuivis concupiscentiæ? cum dixerit Dominus: *Ego autem dico, ne concupiscas* [2]. Vultne autem aliquis sua sponte peccare, et decernere adulteria esse committenda, voluptatibusque et deliciis se explendum, et aliorum violanda matrimonia, cum aliorum etiam, qui inviti peccant, misereamur? Quod si in externum mundum venerint, qui in alieno non fuerint fideles, verum non habebunt. Afficit autem hospes aliquis cives contumelia, et eis injuriam facit; et non potius ut peregrinus, utens necessariis, vivit, cives non offendens? Quomodo autem, cum eadem faciant, ac ii, quos Gentes odio habent, quod legibus obtemperare nolint, nempe iniqui, et incontinentes, et avari, et adulteri, dicunt se solos Deum nosse? Oporteret enim eos, cum in alienis adsunt, recte vivere, ut revera regiam indolem ostenderent. Jam vero et humanos legislatores, et divinam legem habent sibi infensam, cum inique et præter leges vivere instituerint. Is certe, qui scortatorem *confodit*, a Deo pius esse ostenditur in Numeris [3]. « Et si dixerimus, » *inquit Joannes in epistola*, quod societatem habemus cum » eo, *nempe Deo*, et in tenebris ambulamus, mentimur, et » veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut » et ipse est in luce, societatem habemus cum ipso, et san» guis Jesu filii ejus emundat nos a peccato [4]. » Quomodo ergo sunt hi hujus mundi hominibus meliores, qui hæc faciunt, et vel pessimis hujus mundi sunt similes? Sunt enim, ut arbitror, similes natura, qui sunt factis similes. Quibus autem se esse censent nobilitate superiores, eos debent etiam superare moribus, ut vitent ne includantur in car-

[1] Rom. VI, 16. — [2] Matth. V, 28. — [3] Num. XXV, 8. — [4] I Joan. I, 6, 7.

cere. Revera enim, ut dixit Dominus : « Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum Dei [1]. »

4°. Explodit « aliquos alios pusilli et nullius pretii [2]. »

Dicunt formatum fuisse hominem a diversis Potestatibus : et quæ sunt quidem usque ad umbilicum esse artis divinioris : quæ autem subter, minoris : qua de causa coitum quoque appetere. Non animadvertunt autem, quod superiores quoque partes nutrimentum appetunt, et quibusdam libidinantur. Adversantur autem Christo quoque, qui dixit Pharisæis, eumdem Deum et *internum* nostrum et *externum* fecisse hominem [3]. Quinetiam appetitio non est corporis, etsi fiat per corpus.

5°. Confutat « Antitactas, hoc est, adversarios et » repugnantes [4], » qui dicunt

Quod Deus quidem universorum noster est natura pater, et omnia, quæcumque fecit, bona sunt : unus autem quispiam ex iis, qui ab ipso facti sunt, seminatis zizaniis, malorum naturam generavit : quibus etiam nos omnes implicavit, ut nos efficeret Patri adversarios. Quare nos etiam ipsi huic adversamur ad Patrem ulciscendum, contra secundi voluntatem facientes. Quoniam ergo hic dixit : *Non mœchaberis* : nos, inquiunt, mœchamur, ut ejus mandatum dissolvamus. Quibus responderimus quoque, quod pseudoprophetas, et eos, qui veritatem simulant, ex operibus cognosci accepimus : si male audiunt autem vestra opera, quomodo adhuc dicetis vos veritatem tenere? Aut enim nullum est malum, et non est utique dignus repre-

[1] Matth. v, 20.
[2] Pag. 526.
[3] Luc. xi, 40.
[4] Pag. 526 et seq.

hensione is, quem vos insimulatis, ut qui Deo sit adversatus, neque fuit alicujus mali effector; una enim cum malo arbor quoque interimitur : aut si est malum ac consistit, dicant nobis, quid dicunt esse ea, quæ data sunt, præcepta, de justitia, de continentia, de tolerantia, de patientia, et iis, quæ sunt hujusmodi, bona an mala? Et si fuerit quidem malum præceptum, quod plurima prohibet facere turpia, adversus seipsum legem feret vitium, ut seipsum dissolvat, quod quidem non potest fieri : sin autem bonum, cum bonis adversentur præceptis, bono adversari, et mala facere confitentur. Jam vero ipse quoque Servator, cui soli censent esse parendum, odio habere, et maledictis insequi prohibuit : et, « Cum adversario, *inquit*, » vadens, ejus amicus conare discedere [1]. » Aut ergo Christi quoque negabunt suasionem, adversantes adversario : aut si sint amici, contra eum certamen suscipere nolunt. Quid vero? an nescitis, viri egregii (loquor enim tanquam præsentibus), quod cum præceptis, quæ se recte habent, pugnantes, propriæ saluti resistitis? Non enim ea, quæ sunt utiliter edicta, sed vos ipsos evertitis. Et Dominus, « Luceant *quidem, inquit,* bona vestra opera [2] : » vos autem libidines et intemperantias vestras manifestas redditis. Et alioqui si vultis legislatoris præcepta dissolvere, quanam de causa, illud quidem, « non mæchaberis : *et hoc,* stuprum » puero non inferes, » et quæcumque ad continentiam conferunt, dissolvere conamini, propter vestram intemperantiam : non dissolvitis autem, quæ ab ipso fit, hyemem, ut media adhuc hyeme æstatem faciatis : neque terram navigabilem, mare autem pedibus pervium, facitis, ut qui historias composuerunt, barbarum Xerxem dicunt voluisse facere. Cur vero non omnibus præceptis repugnatis? Nam cum ille dicat, *Crescite et multiplicamini* [3], oporteret vos,

[1] Matth. v, 25; Luc. xii, 58. — [2] Matth. v, 16. — [3] Gen. i, 28; ix, 1.

adversamini, nullo modo uti coitu. Et cum dixit, *di vobis omnia ad vescendum* [1] et fruendum, vos nullo frui ›rtuit. Quinetiam eo dicente, *Oculum pro oculo* [2], opor- t vos decertationem contraria non rependere decerta- ie. Et cum furem jusserit reddere *quadruplum* [3], opor- t vos furi aliquid etiam addere. Rursus vero similiter, n præcepto, *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo* [4], re- ;netis, oportuit nec universorum quidem Deum diligere. rursus, cum dixerit, *Non facies sculptile neque fusile* [5], sequens erat ut etiam sculptilia adoraretis. Quomodo o non impie facitis, qui Creatori quidem, ut dicitis, re- itis; quæ sunt autem meretricibus et adulteris similia, tamini? Quomodo autem non sentitis vos eum majorem ere, quem pro imbecillo habetis; si quidem id fit, quod vult; non autem illud, quod voluit bonus? Contra enim enditur quodam modo a vobis ipsis, imbecillum esse, ›m vestrum patrem dicitis. Recensent etiam ex quibus- n locis propheticis decerptas dictiones, et male consar- atas, quæ allegorice dicta sunt tanquam recto ductu et ›a figuram dicta sumentes. Dicunt enim scriptum esse, › *restiterunt, et salvi facti sunt* [6]: illi autem *Deo impudenti* lunt; et hoc eloquium tanquam consilium præceptum ipiunt: et hoc ad salutem conferre existimant, quod ›atori resistant. At *impudenti* quidem *Deo*, non est scrip- a. Si autem sic quoque habeat, eum, qui vocatus est bolus, intelligite impudentem: vel quod hominem ca- miis impetat, vel quod accuset peccatores, vel quod sit stata. Populus ergo, de quo hoc dictum est, cum casti- etur propter sua peccata, ægre ferentes et gementes, verbis, quæ dicta sunt, murmurabant, quod aliæ qui- n gentes, cum inique se gerant, non puniantur, ipsi au-

[1] Genes. I, 29; IX, 2, 3. — [2] Exod. XXI, 24. — [3] Id. XXII, 1. — [4] Deut. 5. — [5] Id. XXVII, 15. — [6] Malach. III, 15.

tem in singulis vexentur; adeo ut Hieremias quoque dixerit: *Cur via impiorum prosperatur* [1] ? Quod simile est ei, quod prius allatum est ex Malachia, *Deo restiterunt, et salvi facti sunt.* Nam Prophetæ divinitus inspirati, non solum quæ a Deo audierint, se loqui profitentur; sed et ipsi etiam solent ea, quæ vulgo jactantur a populo, exceptionis modo edicere, et tanquam quæstiones ab hominibus motas referre : cujusmodi est illud dictum, cujus mentio jam facta est. Numquid autem ad hos verba sua dirigens, scribit Apostolus in Epistola ad Romanos : « Et non sicut blasphemamur, et sicut dicunt aliqui nos dicere, Faciamus mala, ut eveniant bona, quorum justa est damnatio [2] ? » Ii sunt, qui inter legendum tono vocis pervertunt Scripturas ad proprias voluptates, et quorumdam accentuum et punctorum transpositione, quæ prudenter et utiliter præcepta sunt, ad suas trahunt delicias. « Qui irritatis Deum sermonibus vestris, *inquit Malachias*, et dicitis, In quonam eum irritavimus? Dum vos dicitis, Quicumque facit malum, bonus est coram Domino, et ipse in eis complacuit; et ubi est Deus justitiæ [3] ? »

6°. Omissis singulis, quas *absurdas* vocat, hæresibus, omnes in duo dividens, eis respondere contendit [4] :

Aut enim docent indiscrete vivere : aut modum excedentes, per impietatem et odium profitentur continentiam. Prius autem tractandum est de prima parte... Si cupiditati est obsequendum, et quæ probrosa est et turpis vita tanquam indifferens est eligenda, ut ipsi dicunt; sit cupiditatibus est omnino parendum, et si hoc ita est, facienda sunt quævis impudicissima et maxime nefaria, consequendo, qui nobis persuadent : aut sunt aliquæ decli-

[1] Jerem. XII, 1. — [2] Rom. III, 8. — [3] Malach. II, 17.
[4] Pag. 529 et seqq.

ndæ cupiditates, et non est amplius vivendum indiffe-
nter, neque est impudenter serviendum vilissimis et
jectissimis nostris partibus, ventri et pudendis, dum
piditate ducti nostro blandimur cadaveri. Nutritur enim
vivificatur cupiditas, dum ei voluptates ministrantur :
emadmodum rursus si impediatur et interturbetur, flac-
scit. Quomodo autem fieri potest, ut qui victus est a
luptatibus corporis, Domino assimiletur, aut Dei habeat
gnitionem? Omnis enim voluptatis principium est cupi-
tas: cupiditas autem est molestia, et sollicitudo, quæ
opter egestatem aliquid appetit. Quare nihil aliud mihi
dentur, qui hanc vitæ rationem suscipiunt, quam quod
citur,

Ultra ignominiam sentire dolores;

t qui malum a se accersitum, nunc et in posterum eli
unt. Si ergo *omnia licerent*, nec timendum esset, ne a
e excideremus propter malas actiones, esset fortasse eis
iquis prætextus, cur male viverint et miserabiliter. Quo-
iam autem vita beata nobis ostensa est per præcepta,
uam oportet omnes sequentes, nec aliquid eorum, quæ
icta sunt, perperam intelligentes, nec eorum, quæ con-
nit, aliquid, et si sit vel minimum, contemnentes, sequi
uo Logos ducit : quia si ab eo aberraverimus, in malum
mmortale incidamus necesse est; si divinam autem scrip-
uram secuti fuerimus, per quam ingrediuntur, qui cre-
iderunt, ut Domino, quoad fieri potest, assimilentur,
on est vivendum indifferenter, sed pro viribus mundos
sse oportet a voluptatibus et cupiditatibus, curaque est
erenda animæ, qua apud solum Deum perseverandum
st. Mens enim, quæ est munda et ab omni vitio libera,
st quodammodo apta ad potestatem Dei suscipiendam,
um divina in ea assurgat imago: « Et quicumque habet

»hanc spem in Domino, se ipsum, *inquit*, mundum ca
»tumque facit, quatenus ille est castus[1]. » Ut ii aut
accipiant Dei cognitionem, qui adhuc ducuntur ab affec
bus, minime potest fieri : ergo nec ut finem assequant
cum nullam habeant Dei cognitionem. Et eum quide
qui hunc finem non assequitur, accusare videtur Dei ig
ratio : ut Deus autem ignoretur, efficit vitæ institu
Omnino enim fieri non potest, ut quis simul sit et scie
præditus, et blandiri corpori non erubescat. Neque eni
potest unquam convenire, quod voluptas sit bonum, c
eo, quod bonum sit solum pulchrum et honestum : v
etiam cum eo, quod solus sit pulcher Dominus, et sol
bonus Deus, et solus amabilis. «In Christo autem ci
»cumcisi estis, circumcisione non manufacta, in expol
»tione corporis carnis, in circumcisione Christi[2]. Si erg
»cum Christo consurrexistis, quæ sursum sunt quærit
»quæ sursum sunt sapite, non quæ sunt super terra
»Mortui enim estis, et vita vestra absconsa est cum Chri
»in Deo; *non autem ea, quam exercent, fornicatio.* Morti
»ficate ergo membra, quæ sunt super terram, fornicatione
»immunditiam, passionem, desiderium, propter quæ ve
»ira Dei. Deponant ergo ipsi quoque iram, indignation
»vitium, maledictum, turpem sermonem ex ore su
»exuentes veterem hominem cum concupiscentiis, et in
»duentes novum, qui renovatur in agnitionem, ad ima
»ginem ejus, qui creávit ipsum[3]. » Vitæ enim instituti
aperte eos arguit, qui mandata novere : qualis enim sermo
talis est vita. Arbor autem cognoscitur ex fructibus, no
ex floribus et foliis ac ramis. Cognitio ergo est ex fruct
et vitæ institutione, non ex sermone et flore. Non enim
nudum sermonem dicimus esse cognitionem, sed quan
dam divinam scientiam, et lucem illam, quæ innata anim

[1] 1 Joan. III, 3. — [2] Coloss. II, 11. — [3] Id. III, 4, 10.

præceptorum obedientia, omnia, quæ per generationem
ntur, manifesta facit, et hominem instruit, ut seip-
a cognoscat, et qua ratione compos fieri possit, edocet.
od enim oculus est in corpore, hoc est in mente cog-
o. Neque dicant libertatem, qua quis voluptati servit,
it ii, qui bilem dicunt dulcem. Nos enim didicimus
rtatem, qua Dominus noster nos liberat, a voluptati-
, et a cupiditatibus et aliis perturbationibus, solvens.
Qui dicit, Novi Dominum, et mandata ejus non servat,
ndax est, et in eo veritas non est[1], » ait Joannes.
Adversus autem alterum genus hæreticorum, qui spe-
e per continentiam impie se gerunt, tum in creaturam,
in sanctum Opificem, qui est solus Deus omnipotens;
licunt non esse admittendum matrimonium et libero-
n procreationem, nec in mundum esse inducendos alios
lices futuros, nec suppeditandum morti nutrimentum,
sunt opponenda : Primum quidem illud Joannis : « Et
nc Antichristi multi facti sunt, unde scimus, quod
vissima hora est. Ex nobis exierunt, sed non erant ex
bis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique
biscum[2]. » Deinde sunt etiam evertendi, et dissolvenda,
ab eis afferuntur, hoc modo : *Salomæ interroganti,
usque vigebit mors*, non quasi vita esset mala, et mala
tura, *Dominus, Quoadusque, inquit, vos mulieres pa-
*, sed quasi naturalem docens consequentiam : ortum
n omnino sequitur interitus. Vult ergo Lex quidem nos
liciis omnique probro et dedecore educere. Et hic est
finis, ut nos ab injustitia ad justitiam deducamur,
esta eligendo matrimonia, et liberorum procreationem,
amque vitæ institutionem. Dominus autem *non venit ad
ndam Legem, sed ad implendam*[3] : ad implendam au-
, non ut cui aliquid deesset, sed quod Legis prophetiæ

[1] Joan. II, 4. — [2] Id. II, 18, 19. — [3] Matth. V, 17.

per ejus adventum completæ fuerint. Nam recta vitæ institutio, iis etiam, qui juste vixerunt ante Legem, per Logon prædicabatur. Vulgus ergo hominum, quod non novit continentiam, corpore vitam degit, sed non spiritu : sine spiritu autem corpus nil aliud est quam terra et cinis. Jam adulterium judicat Dominus ex cogitatione. Quid enim? annon licet etiam continenter uti matrimonio, et non conari dissolvere, quod *conjunxit Deus*[1]? Talia enim docent conjugii divisores, propter quod nomen probris ac maledictis appetitur inter Gentes. Sceleratum autem dicentes isti esse coitum, qui ipsi quoque suam essentiam ex coitu accepere, quomodo non fuerint scelerati? Eorum autem, qui sunt sanctificati, sanctum quoque, ut puto, semen est. Ac nobis quidem debet esse sanctificatus, non solum spiritus, sed et mores, et vita, et corpus. Nam quanam ratione dicit Paulus Apostolus esse *sanctificatam mulierem a viro*, aut *virum a muliere*[2]? Quid est autem, quod Dominus quoque dixit iis, qui interrogabant de divortio, « An liceat uxorem dimittere, cum Moses id permiserit? » Ad duritiam cordis vestri, *inquit*, Moses hæc scripsit. Vos » autem non legistis, *quod Protoplasto Deus dixit*, Eritis duo » in carne una? Quare qui dimittit uxorem, præterquam » fornicationis causa, facit eam mœchari[3]. Sed post resur» rectionem, *inquit*, nec uxorem ducunt, nec nubunt[4]. » Etenim de ventre et cibis dictum est : « Escæ ventri, et venter » escis : Deus autem et illum et has destruet[5]; » hos impetens, qui instar caprorum et hircorum sibi vivendum esse censent, ne secure ac sine terrore comessent et coirent. Si resurrectionem itaque receperint, ut ipsi dicunt, et ideo matrimonium infirmant et abrogant; nec comedant, nec bibant : *destrui* enim *ventrem et cibos*, dicit Apostolus

[1] Matth. XIX, 6; Marc. X, 9. — [2] I Cor. VII, 14. — [3] Matth. XIX, 3; Marc. X, 2. — [4] Matth. XXII, 30; Marc. XII, 23; Luc. XX, 35. — [5] I Cor. VI, 13.

in resurrectione. Quomodo ergo esuriunt, et sitiunt, et carnis patiuntur affectiones, et alia, quæ non patietur, qui per Christum accepit perfectam, quæ speratur, resurrectionem? Quinetiam ii, qui colunt idola, a cibis et venere abstinent. *Non est* autem, inquit, *regnum Dei cibus et potus* [1]. Certe Magis quoque curæ est, qui Angelos colunt et Dæmones, simul a vino et animatis et rebus abstinere venereis. Quemadmodum autem humilitas est mansuetudo, non autem afflictio corporis : ita etiam continentia est animæ virtus, quæ non est in manifesto, sed in occulto. Sunt autem etiam, qui matrimonium aperte dicunt fornicationem, et decernunt id traditum esse a Diabolo. Dicunt autem gloriosi isti jactatores se imitari Dominum, qui neque uxorem duxit, neque in mundo aliquid possedit; se magis quam alii Evangelium intellexisse gloriantes. Eis autem dicit Scriptura : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* [2]. Deinde nesciunt causam, cur Dominus uxorem non duxerit. Primum quidem, propriam sponsam habuit Ecclesiam : deinde vero, nec homo erat communis, ut opus haberet etiam adjutore aliquo secundum carnem : neque erat ei necesse procreare filios, qui manet in æternum, et natus est solus Dei filius. Hic ipse autem Dominus dicit : « Quod Deus conjunxit, homo ne separet [3]. » Et rursus : « Sicut autem erat in diebus Noe, erant nubentes, et » nuptui dantes, ædificantes, et plantantes; et sicut erat in » diebus Loth, ita erit adventus filii hominis [4]. » Et quod hoc non dicit ad Gentes, ostendit, cum subjungit : « Num » cum venerit filius hominis, inveniet fidem in terra [5] ? »

Jam de iis [6], qui matrimonium abhorrent, dicit beatus Paulus : « In novissimis diebus deficient quidam a fide, » attendentes spiritibus erroris, et doctrinis Dæmoniorum,

[1] Rom. XIV, 17. — [2] Jac. IV, 6; I Pet. V, 5. — [3] Matth. XIX, 6 Marc. X, 9. — [4] Matth. XXIV, 37; Luc. XVII, 28. — [5] Luc. XVIII, 8.

[6] Pag. 534.

» prohibentium nubere, abstinere a cibis [1]. » Et rursus dicit
« Nemo vos seducat in voluntaria humilitatis religione,
» parcimonia corporis [2]. » Idem autem illa quoque scribit
« Alligatus es uxori ? ne quæras solutionem. Solutus es
» uxore ? ne quæras uxorem. » Et rursus : « Unusquisque
» tem suam uxorem habeat, ne tentet vos Satanas [3]. »...
etiam [4] reprobant Apostolos ? Petrus enim et Philippus filios
procrearunt : Philippus autem filias quoque suas viris
cavit. Et Paulus quidem certe non veretur in quadam epis-
tola suam appellare *conjugem*, quam non circumferebat
quod non magno ei esset opus ministerio. Dicit itaque
quadam epistola : « Non habemus potestatem sororem
» rem (2) circumducendi, sicut et reliqui Apostoli [5] ? » Sed
quidem, ut erat consentaneum, ministerio, quod
non poterat, prædicationi scilicet, attendentes, non
uxores, sed ut sorores circumducebant mulieres, quæ
ministraturæ essent apud mulieres, quæ domos custodie-
bant : per quas etiam in gynæceum, absque ulla repre-
hensione malave suspicione, ingredi posset doctrina Do-
mini. Scimus enim quæcumque de fœminis Diaconis
altera ad Timotheum præstantissimus docet Paulus. At
hic ipse exclamavit : *Non est regnum Dei esca et potus* [6],
neque vero abstinentia a vino et carnibus ; *sed justitia,*
pax, et gaudium in Spiritu sancto. Quis eorum,
pelle indutus, zona pellicea accinctus, circuit ut Elias ?
Quis cilicium induit, cætera nudus, et discalceatus,
Esaias ? vel subligaculum tantum habet lineum, ut Je-
remias ? Joannis autem vitæ institutum Gnosticum quis
imitabitur ?... Neque amara [7] cuiquam videatur libera

[1] 1 Tim. IV, 1, 3. — [2] Coloss. II, 18, 23. — [3] 1 Cor. VII, 27.
[4] Pag. 535 et seq.
[5] 1 Cor. IX, 5. — [6] Rom. XIV, 17.
[7] Pag. 541 et seq.

rocreatio, eo quod negotiis implicatos a divinis abstrahat. st enim, qui vitam solitariam facile ferre non valens, ppetit matrimonium : quandoquidem res grata, qua quis mperanter fruitur, est innoxia; et unusquisque nostrum atenus sui dominus est, ut eligat, an velit liberos proreare. Intelligo autem, quod aliqui quidem, qui prætextu atrimonii difficultatum ab eo abstinuerunt, non conveienter sanctæ cognitioni ad inhumanitatem et odium hoinum defluxerunt, et perit apud ipsos charitas : alii autem atrimonio ligati, et luxui ac voluptatibus dediti, Lege uodammodo eos comitante, fuerunt, ut ait Propheta, *ssimilati jumentis*[1].

Quinam sunt autem illi *duo et tres, qui congregantur in omine Domini*[2], *in* quorum *medio* est Dominus? An non irum et mulierem et filium tres dicit, quoniam mulier um viro per Deum conjungitur?

ARTICULUS II.

LEGITIMA DE MATRIMONIO DOCTRINA.

1. Mulieribus moderate utendum[3]:

His sic ostensis, age Scripturas, quæ adversantur Sohistis hæreticis, jam adducamus, et regulam continentiæ ecundum Logon seu rationem observandam declaremus. Qui vero intelligit, quæ Scriptura cuique hæresi contraria it, eam tempestive adhibendo refutabit eos, qui dogmata andatis contraria fingunt. Atque ut ab alto rem repeimus, Lex quidem, sicut prius diximus, illud, *Non conpisces uxorem proximi tui*[4], prius exclamavit ante conunctam Domini in novo Testamento vocem, quæ dicit ex a ipsius persona : « Audivistis Legem præcipientem, Non mœchaberis. Ego autem dico, Non concupisces[5]. » Quod

[1] Psal. XLIX, 12, 20. — [2] Matth. XVIII, 20.
[3] Pag. 543 et seq.
[4] Exod. XX, 17. — [5] Matth. V, 27, 28.

enim vellet Lex viros uti moderate uxoribus, et propter solam liberorum susceptionem, ex eo clarum est, quod prohibet quidem eum, qui non habet uxorem, statim cum *captiva* habére consuetudinem[1]. Quod si semel desideraverit, ei, cum tonsa fuerit capillos, permittere ut lugeat triginta diebus. Si autem ne sic quidem emarcescat cupiditas, tunc liberis operam dare, cum quæ dominatur impulsio, probata sit præfinito tempore consentanea rationi appetitio. Unde nullum ex Veteribus ex Scriptura ostenderis, qui cum prægnante rem habuerit: sed postquam gestavit uterum, et postquam editum fœtum a lacte depulit, rursus a viris cognitas fuisse uxores. Jam hunc scopum et institutum invenies servantem Mosis Patrem, cum triennium post Aaronem editum intermisisset, genuisse Mosem. Et rursus Levitica tribus servans hanc naturæ Legem a Deo traditam, aliis numero minor ingressa est in terram promissam. Non enim facile multiplicatur genus, cum viri quidem seminant legitimo juncti matrimonio, expectant autem non solum uteri gestationem, sed etiam a lacte depulsionem. Unde merito Moses quoque Judæos paulatim provehens ad continentiam, cum *tribus diebus*[2] deinceps consequentibus a venerea voluptate abstinuissent, jussit audire verba Dei. « Nos ergo Dei templa sumus, sicut dixit Propheta: Inhabitabo in eis, et inambulabo, et ero eorum Deus, et ipsi » erunt meus populus[3]; » si ex præceptis vitam instituamus, sive singuli nostrum, sive tota simul Ecclesia. « Quare egredimini e medio ipsorum, et separamini, dicit Dominus, » et immundum ne tangatis; et ego vos suscipiam, et ero » vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit » Dominus omnipotens[3]. » Non ab iis qui uxores duxerunt, ut aiunt, sed a Gentibus, quæ adhuc vivebant in fornica-

[1] Deut. XXI, 11, 12, 13. — [2] Exod. XIX, 20. — [3 bis] 2 Cor. VI, 16, 17, 18.

one, præterea autem a prius quoque dictis hæresibus, ut immundis et impiis, prophetice nos jubet separari. Unde etiam Paulus quoque verba dirigens ad eos, qui erant iis, qui dicti sunt, similes, « Has ergo promissiones habete, *inquit*, dilecti : mundemus corda nostra ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctitatem in timore Dei[1]. Zelo enim vos zelo Dei : despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo[2].» Et Ecclesia quidem alii non jungitur matrimonio, cum sponsum habeat : sed unusquisque nostrum habet potestatem ducendi quamcumque velit, legitimam uxorem, in primis, inquam, nuptiis, « Vereor autem, ne, sicut serpens seduxit Evam in astutia, corrumpantur sensus vestri a simplicitate, quæ in Christo est, » pie admodum et doctoris instar dixit Apostolus. Quocirca admirabilis quoque Petrus, « Charissimi, *inquit*, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos, abstinete vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, conversationem vestram inter Gentes habentes bonam : quoniam sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam; quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed ut servi Dei[3]. » Similiter etiam scribit Paulus in epistola ad Romanos : « Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in ipso? Quoniam vetus homo noster simul est crucifixus, ut destruatur corpus peccati[4], *usque ad illud*, Neque exhibete membra vestra, arma injustitiæ peccato[5]. »

2°. Ex consensu ad tempus orationi vacandum[6] :

Quod autem *ex consensu ad tempus orationi vacat*[7] conju-

[1] 2 Cor. VII, 1. — [2] Id. XI, 2, 3. — [3] 1 Pet. II, 11, 12, 15, 16. — [4] Rom. VI, 2, 6. — [5] Ibid. 13.

[6] Pag. 546.

[7] 1 Cor. VII, 5.

gium, doctrina est continentiæ. Adjecit enim illud quidem, *ex consensu*, ne quis dissolveret matrimonium: *ad tempus autem*, ne dum ex necessitate exercet continentiam is, qui uxorem duxerit, labatur in peccatum; et dum suo conjugio parcit, alienum concupiscat. Qua ratione eum, qui se indecore gerere existimat, quod virginem alat, recte eam dicit esse nuptum daturum. Verum unusquisque, tam is, qui castitatem delegit, quam is, qui propter liberorum procreationem seipsum conjunxit matrimonio, in suo proposito firmiter debet perseverare, nec in deterius deflectere. Si enim vitæ suæ institutum augere ac intendere poterit, majorem sibi apud Deum acquirit dignitatem, propter puram et ex ratione profectam continentiam. Si autem eam, quam elegit, regulam superaverit, in majorem deinde ad spem gloriam recidet. Habet enim sicut castitas, ita etiam matrimonium propria munera et ministeria, quæ ad Dominum pertinent, filiorum, inquam, curam gerere et uxoris. Quod enim honeste causatur is, qui est in matrimonio perfectus, est conjugii necessitudo, ut qui omnium curam ac providentiam in domo communi ostenderit. Ac proinde *Episcopos*[1], inquit, oportet constitui, qui ex domo propria toti quoque Ecclesiæ præesse sint meditati. *Unusquisque* ergo, *in quo vocatus*[2] est opere ministerium peragat, ut liber in Christo fiat, et debitam ministerio suo mercedem accipiat.

3°. Prohibita polygamia, non autem secundum matrimonium[3]:

Distinguit autem veterem quoque hominem et novum Tatianus, sed non ut nos dicimus. *Veterem* quidem virum, Legem; *novum* autem, Evangelium. Assentimur ei nos quoque, sed non eo modo, quo vult ille, dissolvens Legem

[1] I Tim. III, 4, 5. — [2] I Cor. VII, 24.
[3] Pag. 548.

at alterius Dei: sed idem vir et Dominus, dum vetera renovat, non amplius concedit polygamiam (nam hanc quidem expetebat Deus, quando oportebat homines augeri et multiplicari), sed monogamiam introducit propter liberorum procreationem et domus curam, ad quam data est mulier adjutrix: et si cui Apostolus propter intemperantiam et ustionem, veniam secundi concedit matrimonii: nam hic quoque non peccat quidem ex Testamento (non est enim a Lege prohibitus); non implet autem summam illam vitæ perfectionem, quæ agitur ex Evangelio.

4°. Hinc damnandi matrimonio adversantes hæretici de quibus *merito aperte dicit Spiritus*[1]:

« Quod in posterioribus temporibus deficient quidam a fide » attendentes spiritibus erroris, et doctrinis Dæmoniorum, » in hypocrisi falsiloquorum, cauteriatam habentium con» scientiam et prohibentium nubere, abstinere a cibis quos » Deus creavit ad participationem cum gratiarum actione, » fidelibus, et qui agnoverunt veritatem, quod omnis crea» tura Dei bona est, et nihil est rejiciendum quod sumitur » cum gratiarum actione. Sanctificatur enim per verbum » Dei et orationem[2]? »... Et ut in summa dicam, omnes Apostoli epistolæ, quæ moderationem docent et continentiam, cum et de matrimonio, et de liberorum procreatione, et de domus administratione innumerabilia præcepta contineant, nusquam honestum moderatumque matrimonium prohibuerunt aut abrogarunt: sed Legis cum Evangelio servantes convenientiam, utrumque admittunt: et eum, qui Deo agendo gratias, moderate utitur matrimonio, et eum, qui, ut vult Dominus, vivit in castitate, quemadmodum *vocatus est unusquisque* inoffense et perfecto eligens.

[1] Pag. 550.

[2] 1 Tim. IV, 1, 2, 3, 4.

5°. Matrimonium a Deo penitus non amovere[1]:

At, inquit : « Qui est cœlebs, curat quæ sunt Domini : » qui autem duxit uxorem, quomodo placebit uxori[2]. » Quid vero? an non licet etiam eis, qui secundum Deum placeat uxori, Deo gratias agere? an non permittitur etiam ei, qui uxorem duxit, una cum conjugio, etiam esse sollicitum de iis, quæ sunt Domini? Sed quemadmodum « quæ non nupsit, » sollicita est de iis, quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore » et spiritu : » ita etiam quæ nupsit, et de iis, quæ sunt mariti, et de iis qui sunt Domini, est in Domino sollicita, ut sit sancta et corpore et spiritu. Ambæ enim sunt sanctæ in Domino : hæc quidem ut uxor, illa vero ut virgo.

6°. Laudanda nihilominus et quidem præcipue monogamia[3] :

Ad eos autem pudore afficiendos et reprimendos, qui sunt proclives ad secundas nuptias, apte Apostolus alto quodam tono eloquitur; inquit enim : « Ecce, omne pecca- » tum est extra corpus : qui autem fornicatur, in proprium » corpus peccat[4]. » Si quis autem matrimonium audet dicere fornicationem, rursus, Legem et Dominum insectans, maledictis impetit. Quemadmodum enim avaritia et plura habendi cupiditas dicitur fornicatio, ut quæ adversetur sufficientiæ, et ut idololatria est ex uno in multos Dei distributio : ita fornicatio est ab uno matrimonio ad plura prolapsio. Tribus enim modis, ut diximus, fornicatio et adulterium sumitur apud Apostolum. De his dicit Propheta : *Peccatis vestris venundati estis*[5]. Et rursus : *Pollutus es in terra aliena* : conjunctionem sceleratam existimans, quæ

[1] Pag. 551.
[2] 1 Cor. VII, 32, 33, 34.
[3] Pag. 551 et seq.
[4] 1 Cor. VI, 18. — [5] Isai. L, 1.

in alieno corpore facta est; et non cum eo, quod datur conjugio, ad liberorum procreationem. Unde etiam Apostolus, « Volo, *inquit*, juniores nubere, filios procreare, domui præesse, nullam dare occasionem adversario maledicti gratia. Jam enim quædam diverterunt post Satanam[1]. » Quin et unius quoque uxoris virum utique admittit; sit Presbyter, seu Diaconus, seu laicus, utens matrimonio citra reprehensionem : *Servabitur autem per filiorum procreationem*[2].

7°. Plura male laudata interpretatur sacræ Scripturæ testimonia, ubi hæc de canonicis Evangeliis[3] :

Primum quidem, in nobis traditis quatuor Evangeliis non habemus hoc dictum, sed in eo, quod est secundum Ægyptios.

8°. Matrimonio utendum, sed illi non famulandum[4] :

Recte ergo nos hæc quoque dicta esse scimus, quoniam ut hospites et advenæ peregrinantes debemus vitam instituere : qui uxorem habent, ut non habentes : qui possident, ut non possidentes : qui liberos procreant, ut mortales gignentes, ut relicturi possessiones, ut etiam sine uxore victuri, si opus sit : non cum immodico affectu possessione utentes, sed cum gratiarum actione, et animo excelso.

9°. Deus nuptis pariter et non nuptis benedicentus[5] :

Utrisque ergo idem Dominus per prophetam Esaiam

[1] 1 Tim. v, 14, 15. — [2] 1 Tim. ii, 15.
[3] Pag. 553.
[4] Pag. 554.
[5] Pag. 555.

convenientes dat promissiones, sic dicens : « Ne dicat eu-
» nuchus, Sum lignum aridum : hæc enim dicit Dominus
» eunuchis : Si custodieritis sabbata mea, et feceritis quæ-
» cumque præcipio, dabo vobis locum meliorem filiis et filia-
» bus [1]. » Non sola enim justificat castitas, sed nec sabbatum
eunuchi, nisi fecerit mandata. Infert autem iis, qui uxores
duxerunt, et dicit : « Electi mei non laborabunt in vanum,
» neque procreabunt filios in execrationem, quia semen est
» benedictum a Domino [2]. » Ei enim, qui secundum Logon
filios procreavit et educavit, et erudivit in Domino, sicut
etiam ei, qui genuit per veram catechesim et institutio-
nem, merces quædam est proposita, sicut etiam electo
semini.

ARTICULUS III.

CONCLUSIO.

Sin autem [3] malum est generatio, in malo dicant fuisse Dominum qui fuit particeps generationis, in malo virginem quæ genuit. Hei mihi! quot et quanta mala! Dei voluntatem maledictis incessunt, et mysterium creationis, dum invehuntur in generationem. Et hinc Docesin fingit Cassianus : hinc etiam Marcioni, et Valentino quoque est corpus animale : quoniam homo, inquiunt, operam dans Veneri, *assimilatus est jumentis.* Atqui profecto, cum libidine vere insaniens, aliena inire voluerit, tunc revera, qui talis est, efferatur : « Equi in fœminas furentes facti sunt, unusquis-
» que hinniebat ad uxorem proximi sui [4]. » Quod si dicat Serpentem, a brutis animantibus acceptata consilii sui ratione, Adamo persuasisse, ut cum Eva coire consentiret, tanquam alioqui, ut quidam existimant, Protoplasti hac natura usuri non fuissent : rursus vituperatur creatio, ut

[1] Isai. LVI, 3, 4, 5. — [2] Id. LXV, 23.
[3] Pag. 558 et seqq.
[4] Jerem. v, 8.

æ rationis expertium animantium natura homines fecerit
ibecilliores, quorum exempla consecuti sunt, qui a Deo
imi formati fuere. Sin autem natura quidem eos sicut
uta deduxit ad filiorum procreationem : moti autem sunt
ius quam oportuit, fraude inducti, cum adhuc essent
venes; justum quidem est Dei judicium in eos, qui non
pectarunt ejus voluntatem : sancta est autem genera-
), per quam mundus consistit, per quam essentiæ, per
am naturæ, per quam Angeli, per quam Potestates, per
am animæ, per quam præcepta, per quam Lex, per quam
vangelium, per quam Dei cognitio. « Et omnis caro fœnum,
et omnis gloria ejus quasi flos fœni : et fœnum quidem
exsiccatur, flos autem decidit, sed verbum Domini ma-
net[1], » quod unxit animam et uniit spiritui. Quomodo
utem, quæ est in Ecclesia nostra, œconomia ad finem
erduci potuisset absque corpore, cum etiam ipse, qui
st caput Ecclesiæ, in carne quidem informis et specie ca-
ens vitam transiit, ut doceret nos respicere ad naturam
ivinæ causæ informem et incorpoream? « Arbor enim
vitæ, *inquit Propheta,* est in bono desiderio[2], » docens bona
t munda desideria, quæ sunt in Domino vivente. Jam vero
olunt viri cum uxore in matrimonio consuetudinem, quæ
icta est *cognitio,* esse peccatum : eam quippe indicari ex
su *ligni boni et mali*[3], per significationem hujus vocabuli
ognovit[4], quæ mandati transgressionem notat. Si autem
oc ita est, veritatis quoque cognitio, est esus ligni vitæ.
'otest ergo honestum ac moderatum matrimonium illius
uoque ligni esse particeps. Nobis autem prius dictum est,
uod licet bene et male uti matrimonio : et hoc est lignum
ognitionis, si non transgrediamur leges matrimonii. Quid
ero? an non Servator noster, sicut animam, ita etiam
orpus curavit ab affectionibus? Neque vero si esset caro

[1] Isai. XL, 6, 7. — [2] Prov. XIII, 12. — [3] Gen. III, 5. — [4] Id. IV, 1.

inimica animæ, inimicam per sanitatis restitutionem ad-
versus ipsam munisset. « Hoc autem dico, fratres, quia
» caro et sanguis regnum Dei non possunt possidere, neque
» corruptio possidet incorruptionem [1]. » Peccatum enim
cum sit *corruptio*, non potest habere societatem cum
incorruptione, quæ est justitia. « Adeo stulti, *inquit*, estis?
» cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini [2]? »

Justitiam ergo et salutis harmoniam, quæ est vera
firmaque, alii quidem, ut ostendimus, nimium inten-
runt, blaspheme ac maledice cum quavis impietate sus-
pientes continentiam; cum pie liceret castitatem, quæ se-
cundum sanam regulam instituitur, eligere; gratias qui-
agendo propter datam ipsis gratiam, non habendo au-
odio creaturam, neque eos aspernando, qui juncti sunt
matrimonio (est enim creatus mundus, creata est etiam
castitas), ambo autem agant gratias in iis, in quibus
sunt collocati, si modo quoque norunt, in quibus sint
collocati. Alii autem effrænati se petulanter et insolen-
gesserunt, revera « Effecti equi in fœminas insanientes,
» ad proximorum suorum uxores hinnientes [3]; » ut qui et
contineri non possint, et proximis suis persuadeant, ut dent
operam voluptati; infeliciter illas audientes Scripturas:
« Quæ tibi obtigit, partem pone nobiscum, crumenam
» tem unam possideamus communem, et unum fiat
» marsupium [4]. » Propter eos idem Propheta dicit,
consulens: « Ne ambulaveris in via cum ipsis, declina
» dem tuum a semitis eorum. Non enim injuste tenduntur
» retia pennatis. Ipsi enim, cum sint sanguinum participes,
» thesauros malorum sibi recondunt [5]; » hoc est, sibi af-
fectantes immunditiam, et proximos similia docentes,
bellatores, percussores caudis suis [6], ut ait Propheta, quos

[1] 1 Cor. XV, 50. — [2] Galat. III, 3. — [3] Jerem. V, 8. — [4] Prov. I, 14. —
[5] Ibid., 15, 16, 17. — [6] Apoc. IX, 10.

dem Græci κίρκους appellant. Fuerint autem ii, quos sigcat prophetia, libidinosi, intemperantes, qui sunt causuis pugnaces, tenebrarum *iræ*que *filii* [1]; cæde polluti, nus sibi afferentes, et homicidæ propinquorum. « Exrgate ergo vetus fermentum, ut sitis nova conspersio [2], » ois exclamat Apostolus. Et rursus, propter quosdam smodi homines indignans, præcipit, « Ne conversari iidem, si quis frater nominetur vel fornicator, vel ava is, vel idololatra, vel maledicus, vel ebriosus, vel raptor, um eo, qui est talis, ne una quidem comedere. Ego enim er Legem Legi mortuus sum, *inquit;* ut Deo vivam, um Christo sum crucifixus: vivo autem non amplius ego, t *vivebam per cupiditates;* vivit autem in me Christus [3] *uste et beate per obedientiam præceptorum.* » Quare tunc idem in carne vivebam carnaliter: « quod autem nunc ivo in carne, in fide vivo filii Dei. In viam Gentium ne bieritis, et ne ingrediamini in urbem Samaritanorum [4], » ontraria vitæ institutione nos dehortans dicit Dominus: oniam « iniquorum virorum mala est conversatio: et hæ unt viæ omnium, qui ea, quæ sunt iniqua, efficiunt [5]. Væ omini illi, *inquit Dominus*, bonum esset ei, si non natus sset, quam ut unum ex electis meis scandalizaret [6]. Meus esset, ut ei mola circumponeretur, et in mari demereretur, quam ut unum ex meis perverteret [7]. Nomen nim Dei blasphematur propter ipsos [8]. » Unde præclare ostolus: « Scripsi, *inquit*, vobis in epistola, non conersari cum fornicatoribus [9], *usque ad illud*, Corpus autem on fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori [10]. » Et od matrimonium non dicat fornicationem, ostendit eo, od subjungit: « An nescitis, quod qui adhæret mere-

[1] Ephes. II, 3. — [2] I Cor. V, 7. — [3] Galat. II, 19, 20. — [4] Matth. X, 5. — [5] rov. I, 18, 19. — [6] Matth. XXVI, 24. — [7] Id. XVIII, 6, etc. — [8] Rom. II, — [9] I Cor. V, 11. — [10] Id. VI, 13.

» trici, unum est corpus [1]? » An meretricem quis dicet virginem, priusquam nubat? « Et ne fraudetis, *inquit*, vos » invicem, nisi ex consensu ad tempus [2] : » per dictionem, *Fraudetis*, ostendens matrimonii debitum esse liberorum procreationem : quod quidem in iis, quæ præcedunt, ostendit, dicens : « Mulieri vir debitum reddat : similiter autem mulier quoque viro [3] : » post quam exolutionem, in domo custodienda, et in ea quæ est in Christo fide, adjutrix est. Et adhuc apertius, dicens : « Iis, qui sunt juncti » matrimonio, præcipio, *inquit :* non ego, sed Dominus, » uxorem a viro non separari; sin autem separata fuerit, » maneat innupta, vel viro reconcilietur : et virum uxorem non dimittere [4]. Reliquis autem dico ego, non Dominus : Si quis frater, *usque ad illud*, nunc autem sancti » est [5]. » Quid autem ad hæc dicunt, qui in Legem invehuntur, et in matrimonium, quasi sit solum a Lege concessum, non autem etiam in novo Testamento? Quid ad has leges datas possunt dicere, qui sationem abhorrent et generationem? cum *Episcopum* quoque *qui domui recte præsit* Ecclesiæ ducem constituat; domum autem dominicam *unius mulieris* constituat conjugium. « Omnia *ergo dicit esse* munda » mundis : pollutis autem et infidelibus nihil esse mundum, » sed polluta est eorum et mens, et conscientia [7]. » De ea autem voluptate, quæ est præter regulam, « Ne erretis, » *inquit ;* nec fornicatores, nec idololatræ, nec adulteri, nec » molles, nec masculorum concubitores, neque avari, ne» que fures, neque ebriosi, neque maledici, nec raptores, » regnum Dei possidebunt : et nos quidem abluti sumus [8], » qui in his eramus; qui autem in hanc tingunt intemperantiam, ex temperantia in fornicationem baptizant, volupta-

[1] 1 Cor. VI, 16. — [2] Id. VII, 5. — [3] Ibid. 3. — [4] Ibid. 10, 11, 12. — [5] Ibid. 14. — [6] 1 Tim. III, 2, 4; Tit. I, 6. — [7] Ibid. 15. — [8] 1 Cor. VI, 9, 10, 11.

us et affectibus esse indulgendum decernentes, inconti-
ntes ex moderatis fieri docentes, et in spe sua membrorum
orum impudentiæ affixi; ut a regno Dei abdicentur, non
tem ut inscribantur, qui ad eos ventitant, efficientes; sub
so nominatæ cognitionis titulo, eam, quæ ad exteriores
cit tenebras, viam ingredientes. « Quod reliquum est,
ratres, quæcumque vera, quæcumque honesta, quæcum-
ue justa, quæcumque casta, quæcumque bonæ famæ : si
ua virtus, et si qua laus, ea considerate; quæ et didicis-
is : quæ etiam accepistis et audiistis et vidistis in me, ea
acite; et Deus pacis erit vobiscum[1]. » Et Petrus similia
cit in epistola : « Ut fides vestra et spes sit in Deum,
um animas vestras castas effeceritis in obedientia verita-
is[2] : quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus de-
ideriis, quæ fuerunt in ignorantia; sed secundum eum,
ui vocavit vos, sanctum, et ipsi sancti sitis in omni con-
ersatione. Quoniam scriptum est, Sancti eritis, quo-
iam ego sanctus sum[3]. »

[1] Phil. IV, 8, 9. — [2] I Pet. I, 21, 22. — [3] *Ibid.* 14, 15, 16.

LIBER QUARTUS.

Totus liber quatuor in partes dividi potest, quarum primo de exordio et divisione, secundo de martyrii pretio, tertio de perfectionis gnosticæ variis gradibus, quarto denique de conclusione agitur.

ARTICULUS PRIMUS.

EXORDIUM ET DIVISIO.

Consequens autem deinceps[1] esse existimo, ut de martyrio tractemus, et quisnam sit perfectus[2]. Una autem cum his comprehendentur quæcumque natura dicendorum exigit, ut etiam quod æque sit philosophandum et servo et libero, sive sit vir sexu sive fœmina. Et cum quæ deinceps sequuntur, et de fide et de inquisitione absolverimus, genus symbolicum adducemus: ut cum orationem, quæ ad mores pertinet, cursim concluserimus, summatim ostendamus, quænam utilitas allata sit Græcis a barbara philosophia. Quam quidem postquam oculis subjecero, et adversus Græcos et adversus Judæos tradetur compendiosa Scripturarum expositio, et quæcumque in libris præcedentibus, quæ quidem in procemii ingressu uno Commentario statuissemus absolvere, sed propter rerum multitudinem, cui necessario serviendum fuit, non licuit comprehendere. Post hæc a nobis, quoad fieri potest, rerum propositarum impleta declara-

[1] Pag. 318 et seqq.

[2] Vide D. Guillon, a pag. 397 usque ad pag. 402

ne, quæ de naturalibus principiis et a Græcis et ab aliis
·baris, prout ad nos pervenerunt opiniones, tradita sunt,
ortet recensere; et adversus præcipua eorum, quæ sunt
cogitata a philosophis, argumentari. Quibus fuerit con-
uens, ut postquam Theologiam cursim percurrerimus,
, quæ de prophetia tradita sunt, tractemus: ut cum etiam
ipturas, quibus credidimus, validas ac ratas esse omni-
enti auctoritate ostenderimus, serie possimus per ipsas
gredi, et hinc omnibus hæresibus unum Deum osten-
e, et Dominum omnipotentem, qui per legem et Pro-
etas et beatum etiam Evangelium fuit sincere prædica-
. Multa autem sequuntur nobis dicenda adversus eos,
i sunt diversæ opinionis, conantibus ea in scriptis dissol-
e, quæ ab ipsis afferuntur, et vel invitis persuadere,
r ipsas convincendo Scripturas. Perfecto itaque nobis
iverso proposito, cum jam Commentarios, quales volue-
Spiritus, ad usum instantem ministraverimus (quædam
im ante veritatem omnino præfari necesse est) tunc vere
osticam naturæ aggrediemur contemplationem, parvis
te magna initiati mysteria, ut vere divinæ sacrorum in-
pretationi nihil sit impedimento, prius expurgatis atque
ormatis iis, quæ oportet ante sciri et tradi. Ac naturæ
idem secundum veritatis regulam disciplina, seu inspec-
potius, quæ per gnosticam traditionem acquiritur, facto
ortu mundi initio, inde ad rerum divinarum contempla-
nem ascendit. Unde eorum, quæ tradentur, principium
creatione, quæ a Prophetis descripta est, ducemus, in-
miscentes nonnunquam quæ ab iis, qui diversa sentiunt,
cuntur, et quoad a nobis fieri poterit, dissolventes. Sed
c quidem mox scribentur, si Deus velit, et quemadmo-
m ille inspiraverit: nunc autem aggrediendum est id,
od fuit propositum; et absolvenda ea, quæ ad mores
rtinet, oratio.

Paulatim autem discurrens, cur libri Stromat dicantur, ita ostendit[1] :

Sint autem nostri, ut sæpe diximus, Commentarii, pro ter eos, qui temere ac imperite ad eos legendos sunt a cessuri, varia et diversi generis materia, ut ipsum nom indicat, *contexti*, ab uno ad aliud subinde transeunt et per sermonis quidem seriem aliud profitentes, aliud ve exhibentes. « Qui enim aurum, *inquit Heraclitus*, quæru » multum terræ fodiunt, et parum inveniunt : » qui aut cum sint vere aurei generis, quod cognatum est, scrut tur, multum in pauco invenient : inveniet enim Scrip unum, qui sit eam intellecturus. Juvant ergo et ad revoc dum in memoriam, et ad veritatem aperte declarand eum, qui valet quærere cum ratione, Stromata comm tariorum. Oportet autem vos quoque allaborare, et li alia adinvenire, quoniam iis, qui via ignota proficiscunt sufficit rectam solummodo indicasse; postea autem est i grediendum, et reliquum viæ illis inveniendum. Quem modum dicunt, servo aliquando sciscitanti, quidnam ag placiturus esset domino, respondisse Pythiam : *Invenies*, *quæsieris*. Et est quidem revera, ut videtur, difficile, pul chrum latens invenire, quoniam *sudor ante virtutem est posit*

. . . Via longa est atque acclivis ad ipsam ;
Ardua namque prius : sed cum ad fastigia ventum,
Fit facilis, quæ difficilis valde ante clueret.

Est enim revera *arcta et angusta via* Domini, *et reg Dei* est *violentorum*[2]. Unde, *Quære*, inquit, *et invenies*, teneas viam vere regiam, et non alio deflectas. Est ergo exiguo quidem spatio multa genitalis copia seminum co dogmatum, quæ comprehenduntur in hoc opere, quod si mile est *agro omnibus herbis pleno*[3], ut ait Scriptura. Unde

[1] Pag. 565 et seq.

[2] Matth. VII, 14; XI, 12; VII, 7. — [3] Job. V, 25.

iam propriam habent inscriptionem Stromata commentarum, similem plane illi veteri undique decerptæ oblaoni, de qua scribit Sophocles :

Ovisque vellus, vitiumque illic erat
Libamen, uvaque optime recondita :
Eratque fructus, et quidem haud modi unius,
Et pingue olivum, defuit nec flavæ apis
Molimen, olim quod sibi ex cera struit.

reinde Stromata nostra, ut inquit agricola Timoclis Coici, « ficus, oleum, caricas, mel proferunt, tanquam ex gro feracissimo : » propter quam feracitatem subjungit :

Tu quidem iresionem (3), non agrum cultum refers.

onsuerant enim acclamare Athenienses :

Fert ficus pingues, et panes iresione,
Mella quoque in catino, atque oleum, quo te ungere possis.

æpe ergo oportet tanquam ex varie contextis capillis, ulta eaque confusa semina discutiendo ac sursum jaendo, triticum legere.

ARTICULUS II.

DE MARTYRIO.

De martyrio tractaturus docet.

1°. Gnostici dignitatem in amore veritatis habere undamentum[1] :

Plerique autem perinde affecti sunt ac hyemes, instabiles scilicet ac temerarii. « Multa incredulitas fecit bona, fides mala : » *Et Epicharmus :* « Memento esse incredulus, sunt hi mentis nervi. » Jam non credere quidem veritati, affert mortem; sicut credere, vitam. Contra autem mendacio credere, non credere autem veritati, trahit

[1] Pag. 566 et seq.

in exitium. Eadem est ratio de continentia et incontinentia: se continere quidem est bonum opus; malum autem opus, non continere; ab injustitia autem abstinere est principium salutis. Ac mihi quidem videtur Sabbatum per abstinentiam a malis significare continentiam. Et quidnam est, in quo differt homo a bestiis, et rursus quo Dei Angeli sunt homine sapientiores? *Minuisti eum*, inquit, *paulo minus ab Angelis*[1]. De Domino enim non accipiunt hanc Scripturam, quamquam ille quoque carnem ferebat; sed de quovis homine perfecto et gnostico, qui et tempore et indumento minor factus est Angelis. Sapientiam ergo nihil aliud dico quam scientiam, quoniam vita non differt a vita....

Videtur equidem, ut opinor [ille homo], esse similis centauro, figmento Thessalico, compositus ex parte rationis participe et experte rationis, anima et corpore. Sed corpus quidem et circa terram operando versatur, et tendit ad terram: anima autem ad Deum extollitur, quæ quidem, per veram erudita philosophiam, contendit ad suos, qui supra sunt, cognatos, liberata corporis cupiditatibus.

2°. Mortem corporis non esse verum malum[2]:

Oportet autem, ut est consentaneum, cum et corporis naturam, et animæ essentiam diligenter inquisierimus, utriusque finem deprehendere, nec mortem malum esse putare. « Quando enim servi eratis peccati, *inquit Apostolus*, liberi fuistis justitiæ. Quem ergo fructum tunc habuistis ex iis, propter quæ nunc erubescitis? Finis enim illorum est mors. Nunc autem liberati a peccato, Deo autem servi effecti, habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem autem, vitam æternam. Stipendium enim peccati mors est; gratia autem Dei, vita æterna in Christo

[1] Psal. VIII, 5.

[2] Pag. 568 et seq.

Iesu Domino nostro[1]. » Res itaque eo videtur esse deducta, ostensum sit, mortem quidem esse eam animæ cum corpore conjunctionem, quæ est dedita peccato : vitam autem, peccato separationem. Multi autem nos impediunt valli fossæ cupiditatis, iræque et excandescentiæ voragines, quas transilire necesse, et omnem insidiarum effugere motionem, eum, qui non amplius *per speculum* [2] Dei cognitionem percipere volet :

Altitonansque viro virtutis Jupiter aufert
Dimidium, quem alii misere servire necesse est.

Servos autem eos, qui sunt *sub peccato*, et qui *peccatis sunt venundati* [3], qui voluptati et libidini sunt dediti, et tenentur amore corporis, vocare solet Scriptura : et bestias potius quam homines, eos, qui sunt « assimilati jumentis, » equos in fœminas insanientes, ad proximorum uxores » hinnientes [4]. » Est *asinus libidinosus*, is, qui est impudicus : *agrestis lupus*, avarus : et *serpens*, is, qui est impostor. Corporis ergo ab anima separatio, quam toto vitæ tempore meditatur philosophus, gnosticam quamdam parit animi alacritatem, ut possit facile ferre mortem naturæ, quæ est solutio vinculorum animæ a corpore. *Mihi* enim *crucifixus est mundus, et ego mundo* [5], inquit : vivo autem jam, cum sim in carne, ut si *in cælo versarer* [6].

3°. Verum martyrium ex charitate emanare, quocumque modo mors subeatur[7] :

Is certe fert testimonium sibi quidem, quod sit in Deum sincere fidelis : Tentatori autem, quod frustra sit æmulatione percitus in eum, qui est fidelis per dilectionem :

[1] Rom. VI, 20, 21, 22, 23.— [2] I Cor. XII, 12. — [3] Rom. VI, 17, 20; III, 9; VII, 14. — [4] Psal. XLVIII, 12, 20; Jerem. V, 8, etc. — [5] Galat. VI, 14. — [6] Philip. II, 20.

[7] Pag. 569 et seq.

Domino autem, quod ipsius doctrinæ divina persuadendi vis insit, a qua ne metu quidem mortis deficiet: quinetiam facto confirmat veritatem prædicationis, potentem eum esse ostendens, ad quem contendit. Mireris autem ejus dilectionem, quam docet evidenter, dum cognato quidem generi grato animo unitur, et etiam pretioso sanguine ipsos infideles pudore afficit. Is ergo metu propter præceptum declinat Christum negare, ut metui fiat testis. Sed neque propter spem donorum paratorum fidem vendit: sed propter suam in Dominum dilectionem, libentissime hac vita exolvetur; habens etiam gratiam, cum ei, qui causam præbuit hinc exeundi; tum ei, qui ipsi molitus est insidias: quod ab his honestam accepit occasionem, quam ipse non præbuit, seipsum ostendendi quisnam sit, illi quidem per tolerantiam; Domino vero per charitatem: per quam etiam antequam nasceretur manifestus erat Domino, qui tunc ejus propositum novit, qui martyrium passurus foret. Bono itaque animo venit ad amicum Dominum, pro quo et corpus, atque etiam, ut judices sperabant, animam tradidit, et a Servatore nostro, *O frater dilecte!* ut dicam poëtice, propter vitæ similitudinem compellatur. Nos autem *consummationem* vocamus martyrium, non quod vitæ finem homo acceperit, ut reliqui loquuntur, sed quod *perfectum* ac *consummatum* opus ostenderit charitatis. Quinetiam Græci quoque veteres laudant finem eorum, qui mortui sunt in bello, non quidem mortem suadentes violentam, sed quod qui in bello vitam finit, mortem non timens recessit, amputatus corpore, cum nec prius animo laborasset, nec emollitus esset, ut solet in morbis accidere hominibus: recedunt enim effœminati et vivere cupientes; et ideo neque puram emittunt animam, sed quæ cupiditates, veluti notas plumbeas, secum effert, nisi fuerint eorum aliqui virtute præstantes. Eorum autem, qui moriuntur in bello,

›nnulli cum cupiditatibus e vita exeunt, quod perinde
t, ac si morbo contabuerant. Si autem Deo confiteri sit
artyrium, quæcumque anima pure cum agnitione Dei vi-
m instituit, et præceptis paruit, ea quidem vita et ser-
one est martyr, quomodocumque liberetur a corpore;
lem scilicet, tanquam sanguinem, per totam vitam, et
iam in exitu, profundens. Jam dicit Dominus in Evange-
› : *Qui reliquerit patrem, vel matrem, vel fratres*, et quæ
inceps sequuntur, *propter Evangelium et nomen meum*[1],
est beatus : non quodvis significans martyrium, sed
osticum, ejus nempe hominis, qui cum ex regula Evan-
lii vitam egerit, propter dilectionem Domini (*Nominis*
im ratio et *Evangelii*, quorum hic mentio facta est,
ud nudam appellationem, sed gnosticam vivendi ratio-
m significat), cum hujus mundi cognatos, tum etiam subs-
ntiam ac possessiones relinquit, propterea quod vivat
ra nimiam ad ea affectionem... Quidam autem ex hære-
is, cum male Dominum intellexerint, impie simul et
nide vitæ tenentur cupiditate, dicentes, verum esse mar-
rium, veri Dei cognitionem (quod quidem nos quoque
emur), eum autem esse sui occisorem, et sibi mortem
nsciscere, qui per mortem fuerit Deum confessus; et alia
ısmodi sophismata, quæ sua suggessit timiditas, in me-
ım afferunt. Adversus quos dicetur, cum tempus postu-
erit : dissident enim a nobis de principiis. Dicimus autem
s quoque, eos, qui de industria mortem quærunt (sunt
im quidam, catenus solum nostri, quod ejusdem nominis
ticipes sint, qui quidem seipsos magno studio conten-
nt tradere, et propter odium in Creatorem miseri mor-
n cupiunt), eos, inquam, dicimus seipsos e vita exigere
que ullo martyrio, etsi publice puniantur. Fidelis enim
rtyrii non servant characterem, quandoquidem verum

[1] Matth. xix, 29; Marc. x, 29, 30.

Deum non cognovere : vanæ autem morti seipsos tradunt, sicut se temere in ignem conjiciunt Indorum Gymnosophistæ.

4°. Charitatem habenti nullam esse de voluptate vel dolore curam[1] :

Admiratione quoque digni sunt Stoici, qui dicunt, animam nihil affici a corpore, neque ad vitium a morbo, neque ad virtutem a sanitate; sed utraque hæc dicunt esse indifferentia. Jam vero Job[2] quoque propter insignem continentiam et fidem eximiam, pauper quidem ex divite, ex illustri abjectus, ex pulchro deformis, ex sano morbidus factus, nobis est præclarum exemplar propositus, dum pudore afficit eum, qui tentaverat; benedicit ei, qui formaverat; secunda ita fert, ut prima; probe docens, virum Gnosticum casibus omnibus recte posse uti. Ac quod ea quidem, quæ a veteribus præclare sunt gesta, ad nostram emendationem, quædam quasi imagines, proposita sint, his verbis ostendit Apostolus : « Ut mea vincula fuerint in Christo » manifesta in omni prætorio et reliquis, et plures fratres in » Domino, confisi meis vinculis, auderent abundantius absque metu loqui verbum Dei[3] : » quandoquidem martyria quoque sunt exemplaria conversionis, gloriose sanctificata. « Quæcumque enim, ait Scriptura, ad nostram doctrinam » scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus consolationis[4]. » Videtur autem, si adsit dolor, anima quodammodo ab ipso declinare, et magnifacere a præsenti liberationem molestia. Illo certe tempore quiescit etiam a disciplinis, quando aliæ quoque virtutes negliguntur. Non autem utique dicimus ipsam pati virtutem : nam nec ægrotat virtus. Sed tamen qui est utriusque particeps, et virtutis et morbi, urgenti dolore premitur : et si non fuerit magni et excelsi animi, qui nondum

[1] Pag. 572 et seq.

[2] Job. I. — [3] Philip. I, 13, 14. — [4] Rom. XV, 4.

tinentiæ habitum acquisivit, loco pellitur, et instar e invenitur non tolerasse. Eadem est autem etiam ratio paupertate. Nam ipsa quoque a necessariis, contemplae, inquam, et pura peccati amotione, cessare cogit mam, ut quæ in victu quærendo versari eum cogat, qui se totum Deo per dilectionem dedicaverit: sicut rursus itas et rerum necessariarum copia, liberam custodit mam, ut quæ nullum habeat impedimentum, et sciat te uti rebus præsentibus. « Tribulationem *enim* carnis bebunt, *inquit Apostolus*, qui sunt hujusmodi. Ego tem vobis parco: volo enim vos esse non sollicitos, ut core et honeste Domino indivulse assideatis [1].» Hæc sunt o amplectenda, non propter se, sed propter corpus: abetur autem cura corporis propter animam, ad quam it relatio. Hac enim causa necesse est eum, qui vitam mostice instituit, discere, quid sit conveniens: nam bonum quidem non esse voluptatem, patet ex eo, quod malæ int quædam voluptates; alioquin hac ratione videretur bonum esse malum, et malum bonum. Præterea autem si liquas quidem expetimus voluptates, aliquas vero fugimus, m non est quævis voluptas bonum. Similiter autem eam quoque est ratio in doloribus, quorum alios quidem leramus, alios vero fugimus. Fit autem electio et fuga ex ientia; ac proinde bonum est, non voluptas, sed scientia, opter quam voluptates quasdam nonnunquam eligimus. m Martyr eam, quæ spe capitur, voluptatem eligit per æsentem dolorem.

5[a]. Martyrii ex charitate perpessi beatitudinem penre ex eo quod propter justitiam, omnibus conmptis, toleretur[2]:

Cum enim dixit [Christus]: « Beati, qui persecutionem pa-

[1] 1 Cor. VII, 28, 32, 35.

[2] Pag. 575.

» tiuntur propter justitiam [1], » aperte nos docet, in omni casu quærere martyrem, qui, si fuerit pauper propter justitiam, *testatur* esse bonum, quam dilexit, justitiam; et si « esu» riat et sitiat propter justitiam [2], » justitiam testatur esse optimum. Similiter autem qui flet quoque et luget propter justitiam, testatur optimam Legem esse pulchram et honestam. Quemadmodum ergo eos, « qui persecutionem pa» tiuntur, *ita etiam* qui esuriunt et sitiunt propter justitiam, » beatos » dicit, sincerum approbans desiderium, quod ne fames quidem potuit perfringere. « *Et si* ipsam sitiant justi» tiam, beati. Beati sunt *autem* pauperes *quoque, sive* spiritu, » sive facultatibus, propter justitiam videlicet [3]. Non ergo absolute pauperes, sed eos, qui propter justitiam voluerint fieri pauperes, eos beatos esse dicit; qui scilicet hujus mundi honores contempserunt, ut bonum acquirerent: perinde ac eos quoque, qui honesti moribus et corpore fuere per castitatem, clarosque et illustres, qui propter justitiam provecti sunt ad filiorum adoptionem, et ideo « accepe» runt potestatem ut filii Dei fierent, et super serpentes et » scorpios ambularent, et in Dæmones et in Adversarii co» pias dominatum obtinerent [4]. » Et, ut in summa dicam, Dominica exercitatio grate ac libenter animam abducit a corpore, si quidem ipsa quoque seipsam transferendo avellit. « Qui enim amat animam suam, perdit illam : et qui » perdidit, inveniet ipsam [5]; » si modo nostram fragilitatem applicemus ad Dei incorruptionem. Dei autem voluntas est, ut Deum agnoscamus, qua ratione ejus incorruptionis participes erimus... Facultatibus ergo [6], inquit, contemptis, quas Deus distribuit per tuam magnificentiam, sequere ea, quæ a me dicuntur, contende ad ascensum spiritus; non solum

[1] Matth. v, 10. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. 3. — [4] Joan. I, 12; Luc. x, 19. — [5] Joan. XII, 25; Matth. x, 39.

[6] Pag. 576.

sanctificatus per abstinentiam a malis, sed etiam Dominica consummatus beneficentia.... Existimo autem oportere, neque propter metum supplicii, neque propter aliquam doni promissionem, sed propter ipsum bonum accedere ad verbum salutare. Qui autem tales sunt, stant a dextris sanctuarii: qui autem pro donatione eorum, in quæ cadit corruptio et interitus, existimant se vicissim accepturos incorruptionem, in *duorum fratrum* parabola vocati sunt *mercenarii*[1]... Quid autem[2] intelligit Dominus per *Lazari*[3] parabolam, quæ exhibet imaginem divitis et pauperis? Quid vero, *Nemo potest duobus dominis servire, Deo et Mammonæ*[4]? Pecuniæ scilicet amorem sic vocat Dominus. Jam qui suarum possessionum amore tenebantur, ad cœnam vocati non veniunt[5]: non quod non vocarentur, sed quod possiderent cum affectione. *Vulpes* itaque *foveas habent*[6]: Eos, qui in effodiendis et infodiendis versantur divitiis, homines pravos et plane terræ filios, *vulpes* appellavit. Similiter etiam de Herode: « Abite, » dicite huic vulpi: Ecce dæmonia ejicio, et ægros curo » hodie et cras, et tertio consummor[7]. » *Volucres*[8] enim *cæli*, eos, qui *cælo* a reliquis avibus sunt distincti, ac vere puri, et ad cœlestis Logi, seu Verbi, cognitionem evolare parati, vocavit. Neque solum divitiæ, gloria, et matrimonium, sed etiam paupertas, ei, qui ipsam ferre nequit, innumerabiles affert sollicitudines. Atque has quidem curas significavit in parabola seminis quadripartiti[9], ubi dicit, *semen Logi*, seu Verbi, quod *cecidit in spinas* et sepes, fuisse ab eis *suffocatum*, et fructum nequivisse producere. Discere ergo necesse est, quomodo unoquoque eorum, quæ acci-

[1] Luc. xv, 11.

[2] Pag. 577 et seqq.

[3] Luc. xvi, 19. — [4] Matth. vi, 24; Luc. xvi, 13. — [5] Matth. xxii, 2; Luc. xvi, 16. — [6] Matth. viii, 20; Luc. ix, 58. — [7] Luc. xiii, 32. — [8] Matth. viii, 20; Luc. ix, 58. — [9] Matth. xiii, 4; Luc viii, 5.

dunt, utendum sit, ut per vitam bene ac gnostice actam, ad habitum vitæ æternæ exerceamur. « Vidi *enim, inquit,* » impium superexaltatum et elatum sicut cedros Libani : et » transii, *inquit, Scriptura*, et ecce non erat; et quæsivi ip- » sum, et non est inventus locus ejus. Custodi innocentiam, » et vide rectitudinem, quoniam sunt reliquiæ homini paci- » fico[1]. *Talis autem fuerit, qui tranquillus non simulate credit ex* » *toto corde, et toto est animo tranquillus.* Alter enim populus » labiis honorat, cor vero ejus longe abest a Domino[2]. Ore suo » benedicunt, corde vero suo execrantur[3]. Dilexerunt eum » in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei : cor autem eorum » non erat rectum cum ipso, neque fideles fuerunt in testa- » mento suo[4]. *Et ideo* muta fiant labia dolosa[5], et perdat » Dominus labia dolosa omnia, linguam magniloquam, eos » qui dixerunt : Linguam nostram magnificabimus, labia » nostra a nobis sunt; quis est noster Dominus? Ab afflic- » tione inopum, et ejulatu pauperum nunc exurgam, » dicit Dominus, ponam in salutari, libere agam cum ipso[6]. » *Est enim Christus eorum, qui humiliter se gerunt; non eo-* » *rum, qui eriguntur in gregem ejus.* » « Ne thesaurizate ergo » vobis thesauros in terra, ubi tinea et ærugo demolitur, et » fures effodiunt et suffurantur[7]; » fortasse quidem eos in- sectans, qui tenentur amore possessionum, dicit Dominus: fortasse autem eos in universum, qui sollicitudini et curis se dedunt : quinetiam eos, qui corporis nimium studiosi sunt. Amores enim, et morbi, et malæ cogitationes, ratio- nem et totum hominem *perfodiunt.* Est autem verus noster *thesaurus*, ubi est mentis cognatio : proinde communicati- vam vim tradit justitiæ, dum indicat oportere reddere con- suetudini veteris conversationis, ea, quæ ab ipsa sunt nobis acquisita, et ad Deum recurrere, petentes misericordiam. Is

[1] Psal. XXXVII, 35, 36, 37. — [2] Isai. XXIX, 13. — [3] Psal. LXII, 4. — [4] Id. LXXVIII, 36, 37. — [5] Id. XXXI, 18. — [6] Id. XII, 3, 4, 5. — [7] Matth. VI, 19.

est revera « crumena, quæ non veterascit, *viaticum vitæ æter-* » *næ*, thesaurus in cœlo non deficiens[1], *quoniam* miserens » miserebor, cujus miserebor[2], » ait Dominus. Dicunt autem hæc iis quoque, qui volunt esse pauperes propter justitiam: audierunt enim per mandatum, « Latam et spatiosam esse » viam, quæ ducit ad interitum, et multos, qui per eam » transeunt[3]. » De nullo alio loquitur, quam de luxu, et amore mulierum, cupiditate gloriæ et imperii, et similibus animi affectibus. « Stulte *enim, inquit,* hac nocte animam » tuam repetunt: quæ autem ei parasti, cujus erunt[4]? » Et mandatum quidem his verbis traditum est: « Cavete *ergo* ab » omni avaritia, et plura habendi cupiditate: quoniam non » in eo, quod alicui abundent facultates, vita ejus[5]. Quid » enim prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ » autem suæ detrimentum faciat? aut quod dabit homo pre- » tium pro anima sua[6]? Et ideo dico: Ne solliciti sitis animæ » vestræ, quid comedatis; neque corpori, quid induamini. » Anima enim est plus quam cibus, et corpus quam indu- » mentum[7]. » Et rursus: « Scit enim Pater vester, quod his » omnibus opus habetis. Quærite autem primum regnum » cœlorum et justitiam; ea *enim* magna *sunt*: parva *autem*, » *et quæ ad victum pertinent*, *ea* adjicientur vobis[8]. » Annon aperte nos jubet persequi vitam gnosticam, et verbo et facto hortatur quærere veritatem? Divitem ergo non ex donatione, sed ex proposito æstimat Christus, qui animam instituit. Proinde Zacchæum, aut, secundum alios, Matthiam, publicanorum principem, cum audiisset Dominum dignatum fuisse secum commorari, dixisse ferunt, « Domine, dimidium bonorum meorum do eleemosynam, et » si alicujus aliquid habui per calumniam, reddo quadru-

[1] Luc. xii, 33. — [2] Rom. ix, 15; Exod. xxxiii, 19. — [3] Matth. vii, 13. — [4] Luc. xii, 20. — [5] Ibid. 15. — [6] Matth. xvi, 26. — [7] Id. vi, 31; Luc. xii, 22, 23. — [8] Matth. vi, 32, 33; Luc. xii, 30, 31.

» plum. » Unde etiam respondit Servator : « Filius hominis » cum venisset hodie, invenit quod perierat[1]. » Et rursus, cum vidisset *in gazophylacium* jecisse quidem *divitem* convenienter suis facultatibus, *viduam* autem duos nummos, dixit *viduam jecisse plus quam omnes* : ille enim *ex abundantia*, hæc vero *ex egestate*[2] contulit... « Beati[3], *inquit*, qui persecu» tionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsi filii Dei » vocabuntur : *vel, ut nonnulli ex iis, qui Evangelia transpo» nunt*, Beati, *inquit*, quos persequitur justitia, quoniam » ipsi erunt perfecti : *et*, Beati, qui persecutionem patiun» tur propter me, quoniam locum habebunt, ad quem non » perveniet persecutio[4]. *Et*, Beati estis, quando vos homi» nes odio habuerint, quando exterminaverint, quando no» men vestrum ut sceleratum expunxerint, propter Filium » hominis[5] : » si eos videlicet, qui nos persequuntur, non abominemur; et sustineamus, quæ ab eis infliguntur, supplicia ; neque eos odio habeamus, cogitantes nos esse tentatos tardius, quam expectavimus; sed illud potius reputantes, quod martyrii occasio sit, quævis tentatio.

6°. Necessarium esse vi præcepti debitis in circumstantiis martyrium[6] :

Deinde, qui mentitus quidem est, et seipsum ostendit infidelem, et ad Diaboli transfugit exercitum, in quanto eum malo versari credimus? Mentitur itaque Domino, vel potius spei suæ mentitur, eaque frustratur, qui Deo non credit. Non credit autem, qui non facit ea, quæ mandaverat. Quid vero? an non seipsum negat, qui negat Dominum? Domino enim non aufert dominium, qui se ea, quæ

[1] Luc. XIX, 8, 9, 10. — [2] Id. XXI, 1; Marc. XII, 41.
[3] Pag. 581 et seq.
[4] Matth. V, 10. — [5] Luc. VI, 22.
[6] Pag. 582.

um illo intercedit,. privat necessitudine. Qui negat ergo ervatorem, negat vitam; quoniam *lux erat vita*[1]. Eos quiem non dicit esse *modicæ fidei*[2], sed infideles et hypocritas : ui nominis quidem suscipiunt inscriptionem, fideles autem se abnegant.

Deficiente autem sanguinis martyrio, adsit marrium virtutis[3] :

Quicumque autem Servatoris mandata exequuntur, in aquaque actione sunt martyres, seu *testes*, facientes quiem quod vult, et perinde nominantes Dominum, et reipsa *stantes*, cui credunt esse eum, « qui carnem suam cum concupiscentiis et passionibus suis cruci affixerunt. Si spiritu vivimus, *inquit*, spiritu ambulemus[4]. »

7°. Magnam expectandam esse martyrii remunetionem :

« Qui seminat in suam carnem, ex carne metet corruptionem : qui autem seminat in spiritum, ex spiritu metet vitam æternam[5]. » Miseris autem hominibus, quod prætur per sanguinem Domino martyrium, videtur esse mors olentissima, nescientibus hanc mortis januam, esse veræ tæ principium : et nec honores post mortem eorum, qui ncte vixerunt, nec supplicia eorum, qui injuste et libidise se gesserunt, volunt intelligere, non ex nostris solum co Scripturis (nam omnia fere mandata hæc indicant), sed c suorum sermonibus volunt aures præbere. Scribit enim heano Pythagorica : « Esset enim revera malis vita epuum, qui postquam omnia commiserunt scelera, deinde noriuntur, si non esset anima immortalis, mors esset

[1] Joan. I, 4. — [2] Matth. VI, 30.
[3] Pag. 583 et seq.
[4] Galat. V, 24, 25. — [5] Id. VI, 8.

» lucrum. » Et Plato in Phædone : « Si esset enim mors to» talis dissolutio, » et quæ deinceps sequuntur. Non est ergo cogitandum ex sententia Telephi apud Æschylum, « sim» plicem viam ferre ad inferos : » sunt enim etiam viæ multæ, et multa, quæ abducunt, peccata. Errabundos hos, ut est verisimile, infideles comice ludificans Aristophanes, « Agite, » *inquit*, obscuræ vitæ homines, generationi foliorum si» miles, imbecilli, ceræ figmenta, genus instar umbræ, en» nidi, involucres, unius tantum diei vitam habentes. » Et Epicharmus, « Hæc, *inquit*, hominum vita, utres inflati. » Nobis autem dixit Servator : « Spiritus promptus, caro in» firma [1]; *quoniam* prudentia carnis est Deo inimica, *ut ex» ponit Apostolus* : legi enim Dei non subjicitur, neque enim » potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non pos» sunt. » Et id amplius explicans, subjungit, ne quis ingrato animo, ut Marcion, inferat malam esse creaturam : « Si » autem Christus est in nobis, corpus quidem mortuum est » propter peccatum, spiritus autem vivit propter justitiam. » Et rursus : « Si *enim* secundum carnem vivitis, estis mori» turi. Considero enim, quod non sunt condignæ passiones » hujus mundi ad gloriam, quæ revelanda est in nobis ; si» quidem compatimur, ut conglorificemur, ut cohæredes » Christi. Scimus autem, quod diligentibus Deum omnia » cooperantur in bonum iis, qui vocati sunt secundum pro» positum. Quoniam quos præscivit, eos et prædestinavit » conformes imagini filii ejus, ut sit ipse primogenitus in » multis fratribus. Quos autem prædestinavit, eos et vocavit. » Quos autem vocavit, eos et justificavit. Quos autem jus» tificavit, eos et glorificavit [2]. » Vides per dilectionem doceri martyrium. Quod si velis martyr esse propter bonorum remunerationem, rursus audies : « Spe enim salvi facti » sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes. Quod

[1] Matth. xxvi, 41. — [2] Rom. viii, 7, 8, 10, 13, 18, 17, 28, 29, 30.

nim videt quis, quid sperat? Si autem, quod non viemus, speramus, per patientiam expectamus[1]. Sed etsi atimur propter justitiam, *inquit Petrus*, beati. Timorem item eorum ne timueritis, neque conturbemini : Domium autem Christum sanctificate in cordibus vestris. Paiti autem semper ad satisfactionem omni poscenti vos itionem de ea, quæ in vobis est, spe : sed cum modestia t timore, conscientiam habentes bonam; ut in quo deahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram onam in Christo conversationem. Melius est enim beneicientes, si voluntas Dei velit, pati, quam malefacientes[2]. »

8'. Invictam esse propter spem martyrum consntiam[3] :

Et si quis cavillandi animo interroget : Et quomodo fieri test, ut caro imbecilla resistat Potestatibus et spiritibus minationum? Illud sciat, quod Deo omnipotenti et Doino freti, in eoque habentes fiduciam, adversamur Prinatibus tenebrarum et morti. « Adhuc te loquente, *inuit*, dicet, Ecce adsum[4]. » En adjutorem invictum, qui s defendit. « Ne vobis nova et aliena, *inquit Petrus*, vieatur, quæ ad tentationem vobis fit, per ignem probatio; ed quatenus communicatis Christi passionibus, gaudete, t etiam in revelatione ejus gloriæ gaudeatis, exultantes, i in nomine Christi probris afficimini : beati, quod gloiæ et Dei spiritus super vos requiescit[5]. Sicut scriptum st : Propter te mortificamur tota die : reputati sumus ut ves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter um, qui nos dilexit[6]. »

Ex mente sed mea quæ vis resciscere,

[1] Rom. VIII, 24, 25. — [2] 1 Pet. III, 14, 15, 16, 17.
[3] Pag. 585.
[4] Isai. LVIII, 9. — [5] 1 Pet. IV, 12, 13, 14. — [6] Rom. VIII, 36, 37.

Non audies, nec si cremes, serras graves
Nec capite summo si ad pedes imos liges,
Nec si trecentis vincias me vinculis;

ut dicit in Tragœdia fœmina se gerens viriliter. Et Antigone Creontis edictum despiciens, dicit audacter,

Non hæc Deorum quippe rex edixerat.

Sed Deus nobis edicit, eique est parendum : « Corde enim » creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. » Dicit itaque Scriptura : Omnis, qui credit in eum, pudore » non afficietur[1]. »

9°. Gloriam in martyrio expetendam[2] :

Merito ergo scribit Simonides : « Fertur virtus habitare » in rupibus aditu difficilibus, nunc autem eam celerem castum locum obire. Nec vero aspici potest omnium mortalium oculis; cui non sudor mordens animum ab intra veniat, non processerit ad summitatem fortitudinis. » Et Pindarus : « Juvenum autem curæ, quæ versantur cum laboribus, gloriam inveniunt : tempore autem resplendent » facta in æthere illustrata. » Hunc sensum secutus Æschylus, dicit :

. . . . Qui subit laboribus,
Laboris huic propago crescit gloria.

« Majori enim fato majores partes obtingunt, » ex sententia Heracliti.... Indorum philosophi dicunt Alexandro Macedonum : « Traduces quidem corpora de loco, animas » autem nostras non coges facere, quæ nolumus. Ignis » est hominibus maximus cruciatus, eum nos contemnimus. » Hinc Heraclitus *unam gloriam omnibus præposuit* :

[1] Rom. x, 10, 11.
[2] Pag. 585 et seq.

profitetur autem « se vulgo cedere, ut se expleant, tanquam » pecora.[1]... Talia sunt ea etiam, quæ dicit Plato in Republica, « Etiamsi torqueatur justus, etiamsi effodiatur utro» que oculo, eum futurum esse beatum.

10[a]. Mysticos disponi martyrii gradus mysticaque arma præparari[1] :

Primus ergo gradus corporis est doctrina cum timore, per quam abstinemus ab injuria : secundus autem est spes, per quam desideramus quæ sunt optima : perficit autem, ut est consentaneum, charitas, quæ jam gnostice docet. Gentiles enim, nescio quomodo, cum necessitati rationis experti ea, quæ eveniunt, tribuerint, inviti se parere confitentur... Iis autem[2], qui tendunt ad perfectionem, est proposita cognitio rationalis, cujus fundamentum est illa sancta trias, « Fides, spes, charitas; major autem horum chari» tas[3]... Arma enim militiæ nostræ non sunt carnalia, sed » potentia Deo ad destructionem munimentorum, cogitatio» nes destruentes, et omnem altitudinem se extollentem » adversus cognitionem Domini[4]. » His armis munitus Gnosticus, o Domine, inquit, da occasionem, et accipe ostensionem : accedat hoc grave et formidabile : pericula ego despicio propter meam in te dilectionem :

Nam sola virtus, rebus in mortalibus ;
Nunquam laboris præmium accipit foris ;
Ut quæ laboris ipsa præmium est sui.

11[a]. Martyrii, sicut et cæterarum virtutum, laudem, ad omnes pertinere, ut exemplis demonstratur[5] :

Nam non solum Æsopii, et Macedones, et Lacones, dum

[1] Pag. 587.
[2] Pag. 588.
[3] 1 Cor. XIII, 13. — [4] 2 Cor. X, 4, 5.
[5] Pag. 589 et seq.

torquentur, fortiter tolerant, ut ait Eratosthenes in libro De bonis et malis; sed Zeno quoque Eleates, dum cogeretur arcanum quoddam enuntiare, restitit tormentis, nihil confitens; qui etiam inter moriendum linguam erosam expuit in tyrannum, quem alii quidem Nearchum, alii vero Demylum appellant. Similiter autem fecit etiam Theodotus Pythagoreus, et Paulus Lacydis discipulus, ut dicit Timotheus Pergamenus in libro De fortitudine philosophorum, et Achaicus in Moralibus. Quinetiam Posthumus Romanus captus a Peucetione, non modo nihil ex iis, quæ erant occulta, aperuit, sed cum etiam manum in ignem, tanquam in æs, immisisset, constitit vulto firmo et plane immutabili. Taceo Anaxarchum exclamantem, « Tunde Anaxarchi » capsam, Anaxarchum enim non tundis; » cum pistillis ferreis tunderetur a tyranno. Neque ergo spes felicitatis, neque in Deum charitas, ægre fert ea, quæ accidunt, manet autem libera : et licet in bestias incidat immanissimas, licet in ignem voracissimum, licet tyrannicis conficiatur tormentis, a divina pendens amicitia, minime redacta in servitutem, superas obit regiones, corpore iis tradito, qui id solum possunt tenere. Dicitur autem gens barbara non aliena a gustu philosophiæ, quotannis eligere legatum ad Zamolxin heroëm : erat autem Zamolxis unus ex familiaribus Pythagoræ. Mactatur ergo is, qui fuerit judicatus probatissimus : iis, qui sunt philosophati quidem, sed non electi, mœrentibus, ut qui sint repulsi a beato ministerio. Plena est ergo tota Ecclesia iis, qui per omnem vitam sunt meditati mortem, quæ excitat ad Christum, sicut virorum, ita etiam mulierum temperantium. Licet ei, qui ex more nostro vitam instituit, etiam absque litteris philosophari, seu sit Barbarus, seu Græcus, seu servus, seu senex, seu pupillus, seu mulier. Est enim temperantia communis omnium hominum, qui eam delegerint. Est autem apud nos extra

ntroversiam, eamdem naturam in unoquoque genere, amdem etiam habere virtutem. Non aliam ergo habere naturam mulier, quod attinet ad humanitatem, aliam vero idetur vir habere, sed eamdem : quare etiam virtutem... Audio autem[1] mulieres quoque Sauromatidas, non minus bellerare, quam viros : et alias Sacidas, quæ a tergo saittant, simulantes fugere, æque atque viri. Scio etiam eminas Iberiæ propinquas, et factis et laboribus virilibus tentes, etiamsi uterum gestent et jam parturiant, nihil e iis, quæ sunt agenda, remittere; sed sæpe in ipsa laborum contentione, mulier, quæ peperit, infantem sublatum omum portat. Quinetiam mulieres, non minus quam masculi, et domum custodiunt, et venantur, et greges pascunt;

Acriter et cervi vestigia Cressa secuta est.

Est ergo philosophandum mulieribus similiter ac viris, etiamsi præstantiores masculi primas in omnibus partes ferant, nisi evaserint molles et effœminati. Universo ergo hominum generi necessaria est disciplina et virtus, siquidem tendant ad felicitatem. Quidni enim temere scribit Euripides nunc hoc, nunc illud? Aliquando quidem, « Est quævis viro conjux deterior, etiamsi optimus ducat probatissimam.» Aliquando autem : « Quævis pudica mulier est viri serva : quæ autem non est pudica, eum, qui una versatur, superat amentia. »

. . . Nam nil melius, nil est præstantius usquam,
Concordes quam cum in tecto versantur eodem
Vir simul et mulier. . . . .

Caput ergo est id, quod principatum obtinet : si est autem *Dominus viri caput, mulieris autem vir*, vir est domi-

[1] Pag. 591 et seq.

nus uxoris, ut qui sit *imago et gloria Dei*[1]... Quare vel [2] invitis aliquibus et pro virili resistentibus, etiamsi a marito, vel a domino impendeant supplicia, philosophabitur servus et mulier. Quinetiam liber quoque, etiamsi tyrannus ei mortem minitetur, etiamsi ducatur ad judicia, et trahatur ad ultima supplicia, et de facultatibus ac fortunis suis omnibus veniat in periculum, nullo modo abstinebit a vero Dei cultu. Neque unquam deficiet, mulier quidem, quæ cum malo marito habitat; aut filius, si malum habeat patrem, vel improbum dominum servus, forti ac generoso animo virtutem persequentes. Sed ut viro pulchrum et honestum, et pro virtute, et pro libertate, et pro seipso mori, ita etiam mulieri. Non est enim hoc proprium masculorum naturæ, sed bonorum. Et senex ergo et juvenis, et mulier et servus, mandatis obediens fideliter vivet, et, si opus fuerit, morietur, quod quidem fuerit, per mortem vivificari. Scimus quidem certe et pueros, et mulieres, et servos sæpe invitis parentibus, et maritis, et dominis evasisse optimos. Non minus ergo prompto et alacri animo eos esse oportet, qui pie vitam sunt acturi, cum visi fuerint aliqui eos arcere : sed multo magis convenit contendere et egregie decertare, ne victi excidant ab optimis et maxime necessariis consiliis. Neque enim existimo ullam admittere comparationem, utrum sit melius, ascribi in consortium Omnipotentis, an Dæmonum tenebras eligere... Pulchre ergo Epicurus quoque dicit, scribens ad Menœceum : « Nec si sit aliquis juvenis, differat philosophari : » neque si sit senex, defatigetur philosophando : nam nec » est aliquis immaturus, neque nimis provectæ et exhaustæ » ætatis, ad adipiscendam animi sanitatem. Qui autem dicit » nondum esse, vel præteriisse tempus philosophandi, si- » milis est ei, qui dicit ad beatitudinem vel nondum adesse

[1] 1 Cor. xi, 3, 7.
[2] Pag. 593 et seqq.

tempus, vel tempus præteriisse. Quare et juniori philosophandum est, et seni : huic quidem, ut senescens juvenescat bonis, per gratiam eorum, quæ facta fuerint : illi autem, ut sit simul juvenis et senex, per futurorum metus vacultatem. »

12°. Negante frustra Heraclione, martyrium prodesse etiam peccatoribus in fine vitæ Christum confitentibus[1] :

Etsi non actione aliqua et vita « confessi sunt Christum coram omnibus, » eo tamen, quod voce confiteantur in judiciis, et usque ad mortem cruciati non negent, ex animi proposito credidisse cernuntur. Propositum autem, quod confitetur, præcipue si ne morte quidem mutetur, omnia simul vitia, quæ gignebantur per cupiditatem corporis, omnino rescindit. Est enim, ut ita dicam, in fine vitæ tota simul per actionem pœnitentia, et vera in Christum confessio, voce testificante.... Illi autem, licet nihil aliud quam confessi fuerint, unum saltem in fine vitæ bonum effecerint. Videtur ergo martyrium esse expurgatio peccatorum cum gloria.

13°. Solvit objecta, quorum hæc præcipua[2] :

Cum [Christus] dixerit[3] : « Quando vos persecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam[4] : » non suadet fugere, tanquam malum sit pati persecutionem : nec ut mortem extimescentes, jubet nos eam fuga declinare : vult autem nos nulli esse auctores, neque adjutores mali, nec nobis ipsis, nec ei, qui persequitur, nec ei, qui interimit. Denuntiat enim quodam-

[1] Pag. 596.
[2] Pag. 597.
[3] Vide D. Guillon, pag. 415.
[4] Matth. x, 23.

modo, ut sibimet caveamus. Qui autem non obedit, est temerarius, et inconsulte se in pericula conjicit. Si autem qui *hominem Dei* interimit, in Deum peccat, is quoque ejus cædis reus tenetur, qui se offert judicio. Talis autem erit, qui non vitat persecutionem, capiendum se præbens per audaciam. Is est, qui, quantum in se est, adjuvat improbitatem ejus, qui persequitur. Quod si etiam irritet, plane causa est, ut qui provocet feram. Similiter etiam si præbeat aliquam pugnæ causam, vel damni, vel judicii, vel inimicitiarum, is occasionem peperit persecutionis. Et ideo jussi sumus nihil retinere ex iis, quæ ad hanc vitam pertinent: sed « ei, qui tollit pallium, præterea etiam dare » tunicam[1] : » non solum ut permaneamus nimio affectu immunes, sed ne ea vindicantes, eos, qui in judicio contendunt, in nos reddamus efferatos, et per nos eos commoveamus, ut nomen Christianum maledictis appetant.

At inquiunt : Si Deus vestri curam gerit, cur patimini persecutionem, et morte afficimini? an ipse vos eis tradit? Nos autem non sic existimamus, velle Dominum ut in calamitates incidamus, sed prophetice prædixisse ea, quæ essent eventura : fore scilicet, ut propter nomen ejus pateremur persecutionem, ut occideremur, et ut suspenderemur. Quamobrem noluit nos pati persecutionem, sed ea, quæ passuri sumus, prius significavit, per eam, quod sint eventura, prædictionem, nos exercens ad tolerantiam, cui promisit hæreditatem. Quanquam non soli, sed cum multis supplicio afficimur. At illi, inquiunt, cum sint malefici, jure luunt pœnas : ergo vel inviti nobis justitiam suo testimonio tribuunt, qui injuste propter justitiam puniuntur. Sed neque injustitia judicis attingit Dei providentiam : oportet enim judicem in sua potestate habere suam sententiam, nec, velut organa inanima, nervis quodammodo

[1] Luc. VI, 29.

mihi, et ab externa solum causa vim agendi capere. Unde it ille, perinde ac nos, in quæstionem venit de suo judicio, que electione rerum eligibilium, et patientia. Quamvis tem non faciamus injuriam, tanquam tamen injuriam cientes, nos intuetur judex. Neque enim nostra novit, que vult scire: sed quodam inani præoccupatus abripi-ur præjudicio; unde etiam ipse judicio fit obnoxius. Nos go persequuntur, non quod injustos esse deprehende-rint, sed quod nos vitæ humanæ injuriam facere existiment, eo quod simus Christiani; et cum ipsi sic vitam institui-mus, tum alios hortamur, ut vitam degant similem. Cur autem, inquiunt, cum vos persequuntur, nihil vobis af-fertur auxilii? Quid enim, quod ad nos quidem attinet, nobis fit injuriæ, cum morte soluti tendimus ad Dominum; nec aliter vitæ mutatione afficimur, quam qui ex una ætate ad aliam transeunt? Si autem sapiamus, iis gratias habe-bimus, qui nobis præbuerint occasionem celeris migratio-nis, si propter dilectionem martyres fiamus. Si non, mali homines nos multis esse visi essemus. Si ipsi autem quoque novissent veritatem, omnes quidem in viam insiliissent, non fuisset autem electio. Sed enim nostra fides, cum sit *lux mundi*[1], arguit infidelitatem. «Nam me Anytus quidem »et Melitus interficient, nullo autem modo me lædent. »Neque enim fas esse existimo, ut id, quod est melius, »lædatur ab eo, quod est deterius.» Ideo unusquisque ex nobis secure dicit et confidenter: «Dominus mihi adjutor: »non timebo, quid faciat mihi homo[2]. Justorum enim »animæ in manu Dei sunt, et non tanget eas tormentum[3].»

Concludit denique Basilidem, qui martyrem pu-niri propter peccata ante mortem commissa conten-debat, et Valentinum, qui se mortem consumpsisse delirabat, subobscuris ratiociniis redarguens.

[1] Matth. v, 14. — [2] Psal. cxviii, 6. — [3] Sap. iii, 2.

ARTICULUS III.

DE PERFECTIONE.

Ex martyrii præstantia huc usque evoluta ad elucidandam perfectionem christianam transit, et docet

1° In quo consistat, nempe in exercendis per fidem virtutibus. Quod cum ablatis sancti Clementis papæ testimoniis præcipue confirmet, iis tantum, quæ non rescripta prius fuerunt in epistola ad Corinthios, recensemus[1]:

Eum ergo, qui est perfectus, oportet exercere charitatem, et hinc ad Dei tendere amicitiam, per charitatem ejus mandata exequens. Cum vero jubet diligere inimicos, non diligere quidem malum jubemur, neque impietatem, vel adulterium, vel furtum; sed furem, et impium, et adulterum, non quidem quatenus peccat, et quadam actione humano nomini dedecus infert, sed quatenus est homo, et opus Dei. Peccare certe inter actiones ponitur, non inter substantias: quamobrem nec Dei est opus. Dei autem inimici dicti sunt peccatores, qui sunt inimici mandatorum, quibus non obediunt; sicut amici sunt, qui obediunt: hi quidem propter conjunctionem, illi vero propter alienationem, ex libero animi arbitrio profectam, appellati... « Diligite, *inquit*, inimicos vestros. Benedicite iis, qui vos execrantur, et orate pro eis, qui vos afficiunt contumeliis, » et similia. Quibus adjicit: « Ut sitis similes Patris vestri, qui est in cœlis[2]; » significans eam, quæ Deum refert, assimilationem. Rursus autem inquit: « Sis cito benevolus adversario tuo, donec es in via cum ipso[3]. » *Adversarius* autem non est corpus, ut quidam volunt, sed Diabolus, et qui ei

[1] Pag. 605 et seqq.

[2] Matth. v, 44, 45. — [3] Ibid. 24.

imilantur, qui una nobiscum *in via* ingreditur, per homes, qui ejus facta imitantur in hac vita terrena. Fieri o non potest, ut non patiantur inimicissima, qui se in risti quidem esse confitentur, in Diaboli autem versan-, operibus. Scriptum est enim: « Ne forte te tradat Juici, Judex autem ministro[1] *imperii Diaboli.* Persuasum im habeo, quod neque mors, *quam afferunt ii qui perquuntur;* neque vita, *quæ hic agitur;* neque Angeli, *i defecerunt*, neque principatus (Satanæ autem princitus est vita, quam eligit; tales enim sunt, qui sunt ex eo rincipatus, et potestates tenebrarum), neque præsentia *quibus sumus tempore hujus vitæ, ut spes quidem militis, icrum vero mercatoris;* neque altitudo, neque profundias, neque aliqua alia creatura, » per propriam homini opetionem resistit fidei ejus, qui suo agit arbitrio. *Creaturæ* item nomen tribuitur univoce operationibus, ut quæ sit strum opus: talis ergo operatio « non poterit nos sepaare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nosro[2]. » Habes summam martyris gnostici.

« Corde *quidem*[3] creditur ad justitiam, ore autem fit conssio ad salutem. Dicit itaque Scriptura: Quisquis credit ı ipsum, pudore non afficietur. Hoc est verbum fidei, uod prædicamus: quod si confessus fueris verbum in ore uo, quod Dominus Jesus, et credideris in corde tuo, uod Deus eum suscitavit a mortuis, salvus eris[4]. » Evinter perfectam describit justitiam, quæ et opere et conmplatione completur. « Benedicere *ergo oportet* iis, qui ersequuntur. Benedicite, et nolite execrari[5]. Gloriatio nim nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, uod in sanctitate et sinceritate Deum cognovimus: » per

[1] Matth. v, 24. — [2] 1 Rom. VIII, 38, 39.
[3] Pag. 607 et seqq.
[4] Rom. x, 10, 11, 8, 9. — [5] Id. XII, 14.

hanc parvam occasionem, opus ostendentes charitatis, quod « non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in mundo[1]. » Hæc Apostolus quidem de cognitione. Communem autem fidei doctrinam, dixit *odorem cognitionis*[2], in secunda epistola ad Corinthios. « Nam in » hodiernum usque diem, idem velum multis in lectione » veteris Testamenti manet[3], » non revelatum per conversionem ad Dominum. Propterea ostendit etiam resurrectionem iis qui possunt perspicere eam, quæ est adhuc in carne, vitæ serpentis super ventrem. Unde etiam eos, qui sunt ejusmodi, vocavit *fœtus viperarum*[4], libidinosos, ac voluptarios, ventrique et peni servientes, et propter mundanas cupiditates sua invicem capita abscindentes. « Filioli, ne » diligamus sermone, nec lingua, *ait Joannes, perfectos » esse docens,* sed opere et veritate. In hoc cognoscemus, » quod ex veritate sumus[5]. *Si autem* Deus est charitas, *cha» ritas quoque est pietas in Deum*, timor non est in cha» tate : sed perfecta charitas foras ejicit timorem[6]. Hæc est » charitas Dei, ut ejus præcepta servemus[7]. » Et rursus, ei, qui cupit fieri gnosticus, scriptum est : « Sed tis forma fi» delium, in sermone, in conversatione, in charitate, in » fide, et castitate[8]. » Fidei enim, ut arbitror, perfectio distinguitur a communi fide. Porro autem divinus quoque Apostolus per hæc tradit regulam gnostici, sic scribens : « Ego enim didici, in iis, in quibus sum, esse contentus. » Scio et esse humilis, scio et abundare. Ubique et in om» nibus sum institutus, et satiari et esurire, et abundare et » penuriam pati. Omnia possum in eo, qui mihi dat vires[9]. » Jam vero cum aliis quoque disserens, ut iis verecundiam incutiat, non veretur dicere : « Recordemini autem priorum » dierum, in quibus illuminati magnum certamen sustinu-

[1] 2 Cor. I, 12. — [2] Id. II, 14. — [3] Id. III, 14. — [4] Matth. III, 7. — [5] 1 Joan. III, 18, 19. — [6] Id. IV, 16, 18. — [7] Id. V, 3. — [8] 1 Tim. IV, 12. — [9] Philip. IV, 11, 12, 13.

passionum, partim quidem opprobriis et afflictionibus
eti spectaculum, partim autem socii ita conversantium
facti. Nam et vincula mea commiserati estis, et rapinam
norum vestrorum cum gaudio suscepistis; cognoscentes
s habere meliores et manentes facultates. Nolite itaque
nittere confidentiam vestram, quæ magnam habet re-
unerationem: opus enim habetis patientia, ut cum Dei
luntatem feceritis, reportetis promissionem. Adhuc
im parumper qui venit veniet, et non tardabit. Justus
item meus ex fide vivet. Quod si subtraxerit se, non
lacebit animæ meæ. Nos autem non sumus subtractionis
d perditionem, sed fidei ad acquisitionem *animæ*[1].» Deinde
ducit tibi examen exemplorum divinorum. «Annon, *in-
uit*, fide per patientiam se præclare gesserunt, qui lu-
dibria et flagella, et vincula præterea, et carcerem ex-
perti sunt? Lapidati fuerunt, tentati sunt, in cæde gladii
mortui sunt, circuierunt in ovinis et caprinis pellibus,
egentes, afflicti, vexati, quibus dignus non erat mundus:
n solitudinibus errantes, et montibus, et speluncis, et
foraminibus terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati,
non acceperunt promissionem:» restat subintelligendum,
sed tacite dictum est, *soli*. Subjungit itaque: «Cum de
nobis melius aliquid Deus prævidisset (*bonus enim erat*),
ut non sine nobis consummarentur. Itaque cum et nos
circa nos habeamus tantam nubem *sanctam et pellucidam* tes-
tium, deponentes omne pondus, et nos facile circumstans
peccatum, per patientiam curramus ad nobis propositum
certamen, respicientes ad fidei auctorem et consummato-
rem Jesum[2].» Et quod unam eamdemque intelligat salu-
tem in Christo, cum justorum, tum etiam nostram, prius
quidem dixit aperte; nihilo tamen secius de Mose quoque
dicens, subjungit: «Majores existimans divitias, quam

[1] Hebr. x, 32-39. — [2] Id. xi, 36, 37, 38, 39, 40; xii, 1, 2.

» thesauros Ægypti, Christi improperium : respiciebat enim
» remunerationem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus
» iram regis. Invisibilem enim tanquam qui videret, susti-
» nuit[1]. » Divina Sapientia dicit de martyribus : « Visi sunt
» in oculis insipientium mori, et reputata est vexatio eorum
» exitus, et a nobis discessus, contritio : illi vero sunt in
» pace. Etenim si in oculis hominum suppliciis affecti fue-
» rint, spes eorum plena est immortalitatis[2]. » Deinde sub-
jungit, gloriosam expurgationem docens esse martyrium :
« Et in paucis castigati, magnis afficientur beneficiis, quo-
» niam Deus tentavit eos, » hoc est, ad eorum probationem,
et ut pudore afficiatur Tentator, sivit eos tentari : « et in-
» venit eos se dignos, » ut scilicet vocentur filii. « Tanquam
» aurum in fornace probavit eos, et tanquam solidam sacri-
» ficii oblationem excepit eos, et in tempore inspectionis
» eorum fulgebunt, et tanquam scintillæ in stipula percur-
» rent. Judicabunt gentes et dominabuntur populis, et rex
» eorum erit Dominus in sæcula[3]. »

Jam vero[4] Apostolus Paulus, « Si corpus meum, inquit,
» tradidero, charitatem autem non habeam, sum æs reso-
» nans, et cymbalum tinniens[5]. » Si non ex affectione electa,
inquit, per charitatem gnosticam martyrium passus fuero;
sed propter metum forte, et spe expectatæ mercedis, labia
movens ad testimonium, fuero confessus Dominum, sum
homo communis, Dominum resonans, non cognoscens. Est
enim et populus, qui diligit labiis : est etiam alius, qui tra-
dit corpus ut comburatur. « Et si distribuero omnes facul-
» tates meas ad alendos pauperes[6], » inquit, non ex ratione
communicationis, quæ proficiscitur a charitate; sed ra-
tione remunerationis, quæ vel ab ipso homine, qui bene-

[1] Hebr. XI, 26, 27. — [2] Sap. III, 2, 3, 4. — [3] Ibid. 5, 6, 7, 8.
[4] Pag. 614 et seqq.
[5] I Cor. XIII, 1, 3. — [6] Ibid. 3.

io afficitur, vel a Domino, qui promisit, expectatur : t *si habeam omnem fidem, ut montes transferam*[1], et affec-s, qui menti tenebras offundunt, abjiciam, non fuero tem fidelis Domino *per charitatem, nihil sum*, ut qui si nferar cum eo, qui gnostice in vulgus fert testimonium, hil reputer egregium... *Charitas* ergo etiam[2] *Deus* dicitur, m sit bonus : cujus *charitas proximo malum non operatur*[3], que injuriam faciens, nec referens : omnibus autem, ut mel dicam, benefaciens, ad Dei imaginem. *Plenitudo go Legis est charitas*[4], sicut Christus, hoc est, præsentia omini qui nos diligit, et quæ est nostra ex Christo doc-ina charitatis, et vitæ institutio. Charitate ergo perficitur æceptum non mœchandi, et præceptum uxorem proximi n concupiscendi, quod prius metu fuerat prohibitum. lem ergo factum refert, an factum sit per metum, an per-ctum per charitatem, et an per fidem, an etiam ex co-itione exerceatur. Merito ergo diversa etiam sunt horum æmia; ei quidem, qui est Gnosticus, parata sunt, « quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis scenderunt[5] : » ei autem, qui solummodo credidit, con-dit suo testimonio *centum partibus plura*[6], quam ea essent, æ reliquit : quam promissionem contingit cadere in homi-um intelligentiam. Hoc in loco mihi venit in mentem qui-m, qui se dicebat esse Gnosticum. Exponens enim illud, Ego autem dico, qui aspexit mulierem ad concupiscentiam, jam mœchatus est[7], » non censebat nudam judicari cupidi-tem, sed si per cupiditatem, quod ex ea fit opus, proce-ns ultra cupiditatem, in ipsa peragatur. Aut enim in mnis simul visione utitur, aut etiam corpore. Atque qui storias quidem conscripsere, justi Bocchoridis tale refe-nt judicium : Adolescens captus amore meretricis, per-

[1] I Cor. XIII, 2.—[2] Joan. IV, 8, 16.—[3] Rom. XIII, 10. — [4] Ibid. —[5] I Cor. , 9; Isai. LXIV, 4. — [6] Matth. XIX, 29; Marc. X, 29, 30. — [7] Matth. V, 28.

suadet, certa quadam mercede constituta, ut postridie puella ad eum veniat: cum autem puellam in somnis præoccupasset cupiditas, præter spem expleta libidine, eam quam amabat ad se venientem, ut constitutum fuerat, arcet aditu. Illa autem cum id, quod evenerat, didicisset, exigebat mercedem, dicens se ea ratione amatoris explesse cupiditatem. Venerunt ergo ad judicem. Is jusso adolescenti crumenam, in qua erat merces, in sole extendere, jussit meretricem umbram apprehendere: lepide imperans, ut simulacrum mercedis redderet pro simulacro complexus. Atque somniat quidem aliquis, visioni assentiente animo; veram autem visionem somniat, qui aspicit ad concupiscentiam; non solum, ut ille dicebat Gnosticus, si simul atque viderit, cum muliere consuetudinem animo conciperit, hoc enim jam est cupiditatis opus ut cupiditatis: sed si qui corporis respexerit pulchritudinem, ait Logos, et ei ex libidine caro pulchra visa fuerit; cum carnaliter et animo peccandi viderit, propterea quod eam fuit admiratus, condemnatur. Contra autem, qui per castam aspicit dilectionem, non carnem, sed animam pulchram esse existimat, corpus, mea quidem sententia, admirans tanquam statuam, per quam pulchritudinem ipse quoque seipsum transmittit ad artificem; et id, quod est vere pulchrum, sanctum signum, lucidum justitiæ characterem ostendens Angelis, qui præsunt ascensui, unctionem dico bene compositæ et quæ Deo placet mentis, qualitatem affectionis inditam animæ, quæ gaudet et exultat propter inhabitationem sancti Spiritus. Hanc gloriam, quæ in Mosis [1] facie refulserat, non poterat populus intueri; et ideo gloriæ velamen induit apud eos, qui intuebantur carnaliter. Eos enim qui aliqua inducunt ex rebus mundanis, ii qui detinent, vectigal exigunt ab iis, qui suis gravantur vitiis et animi perturbationibus: eum autem

[1] Exod. xxxiv, 29, et seq.

ui nudus quidem est ab iis, in quæ cadit vectigal, est au-
m plenus cognitione et ea quæ est ex operibus justitia,
ana precantes transmittunt, virumque cum opere suo bea-
m pronuntiant: *Et ejus folium non defluet*, ligni, inquam,
talis, quod est nutritum *secus decursus aquarum* [1]. Com-
ratur autem justus arboribus frugiferis, non iis solis, quæ
sublime feruntur, sacrificiis. Quemadmodum autem
ant in sacrificiorum quoque oblationibus penes Legem,
i hostiarum vitia considerabant: sic appetitionem discer-
nt a cupiditate, qui sunt in his rebus exercitati: et hanc
idem voluptati tribuunt et intemperantiæ, cum rationis
pers sit: appetitionem autem esse statuunt in his, quæ
nt per naturæ præscriptum necessaria, ut quæ sit motus
. ratione.

2°. Docet qui possint illius esse participes, nempe
nnes omnino homines: «hujus perfectionis potest et
vir et mulier æque esse particeps.» Et citatis sancti
ementis verbis adjungit [2]:

Sola mulier afflicta jejuniis, restitit armatis copiis innu-
erabilibus, tyrannicum per fidem solvens decretum. Et
annum quidem mitigavit, Aman vero repressit, et Israë-
n perfecta ad Deum oratione illæsum conservavit. Taceo
im Susannam et Mosis sororem, quod hæc quidem una
xit exercitum cum Propheta, princeps omnium mulie-
n, quæ apud Hebræos erant insignes sapientia: illa vero
summam honestatem, vel ad mortem usque procedens,
n ab intemperantibus condemnaretur amatoribus, pers-
t firma et constans martyr pudicitiæ. Dion certe philoso-
us refert quamdam mulierem Lysidicam, propter insignem
lorem, se lavasse cum ipsa tunica: Philoteram autem,

[1] Psal. 1, 3.

[2] Pag. 617 et seqq.

cum esset ingressura solium, paulatim contraxisse tunicam, quantum quæ nuda erant tegebantur ab aqua; deinde rursus paulatim ascendentem induisse. Annon enim tormenta quoque tulit fortiter Leæna Attica, quæ cum esset conscia insidiarum, quæ ab Harmodio et Aristogitone parabantur in Hipparchum, nihil omnino est elocuta, etsi valde cruciaretur? Aiunt autem Argolicas quoque, Telesilla poëtria duce, Spartanos, qui magna erant virtute in rebus bellicis, solo intuitu prodeuntes fugasse, et effecisse ut illæ mortem nihil extimescerent. De filiabus quoque Danai dicit similia Danaidis auctor:

> Tumque cito Danai sumpserunt arma puellæ,
> In ripis pulchro labentis flumine Nili;

et quæ sequuntur. Canunt autem reliqui Poëtæ velocitatem Atalantæ in venatione, et egregiam Anticlæ amicitiam, et Alcestidis in maritum amorem, et Macæriæ et Hyacinthidum fortitudinem. Quid vero? non Theano Pythagorica eo processit philosophiæ, ut ei, qui ipsam curiose aspexerat, et dixerat, *Pulcher cubitus*: responderit: *At non publicus!* Ejusdem gravitatis fertur illud quoque dictum: rogata enim, « Quoto die mulier post congressum cum viro, in sacrum » Cereris venire possit? A proprio quidem, vel statim, adjunxit; nunquam vero ab alieno. » Quinetiam Themista quoque, Zoili filia, Lampsacena, uxor Leontei Lampsaceni, dabat operam philosophiæ Epicureæ; sicut Myia, Theanus filia, Pythagoræ; et Arignote, quæ scripsit res gestas Dionysii. Filiæ autem Diodori, cui fuit cognomen Saturnus, fuerunt omnes Dialecticæ, ut ait Philo Dialecticus in Menexeno, quarum hæc ab eo feruntur nomina, Menexene, Argia, Theognis, Artemisia, Pantaclea. Memini autem etiam Cynicæ cujusdam, Hipparchia autem vocabitur, Maronitis, uxor Cratetis, propter quam in Poëcile quoque celebrata fuere Cynogamia. Arete autem, filia Aristippi, Cyrenaica,

erudiit Aristippum, qui Μητροδίδακτος, id est *a matre doctus*, fuit cognominatus. Apud Platonem etiam philosophabantur Lasthenia Arcadia, et Axiothea Phliasia. Aspasia autem Milesia, de qua multa quoque conscribunt Comici, usus quidem est Socrates ad Philosophiam, Pericles autem ad Rhetoricam. Prætermitto alias, ne sit prolixior oratio, neque recensens poëtrias, Corinnam et Telesillam, Myiam et Sappho; aut pictrices, ut Irenen Cratini filiam, et Anaxandram Nealcis, ut dicit Didymus in Symposiacis. Cleobuli autem sapientis, Lindiorum monarchæ, filiam non pudebat lavare pedes paternorum hospitum. Quemadmodum Abrahæ quoque uxor, beata Sara, paravit ipsa Angelis panes *subcinericios*[1]: et puellæ regiæ pascebant oves apud Hebræos. Unde etiam quæ est apud Homerum Nausicaa, ad lavacra ivit. Velit ergo pudica mulier, primum quidem si fieri possit marito persuadere, ut sit ei socius eorum, quæ ferunt ad beatitudinem : si id autem non possit efficere, sola contendat ad virtutem, marito quidem parens in omnibus, ut invito illo nihil unquam faciat, præter ea, quæ censentur pertinere ad virtutem et salutem. Sed et si quis aut uxorem, aut etiam ancillam, quæ ad tale institutum sine simulatione fertur, ab eo arceat, nihil aliud videtur is tunc facere, quam a justitia quidem et temperentia statuisse abducere, injustam autem simul et intemperantem voluisse domum suam efficere. Fieri ergo non potest, ut vel vir, vel mulier sit in ulla re doctus, qui non fuerit usus disciplina, meditationeque et exercitatione.

3°. Quid complecti debeat, nempe omnium virtutum excellentiam, licet unicuique propria excellentia concedatur[2] :

Hic invenio perfectum multis modis accipi, prout is est qui unaquaque virtute præcellit. Perficitur itaque et con-

[1] Gen. XVIII, 6.

[2] Pag. 622 et seq.

summatur aliquis, et ut pius ac religiosus, et ut tolerans, et ut continens, et ut operarius, et ut martyr, et ut gnosticus. In omnibus autem simul perfectus, nescio an ullus sit, quamdiu est homo, nisi solum is, qui propter nos induit hominem, vel quidem ex nuda Lege. Quis ergo erit perfectus? Qui profitetur abstinentiam a malis. Ea autem est via ad Evangelium, et ad bene faciendum. Sed legalis quidem hominis gnostica perfectio est assumptio Evangelii, ut fiat is perfectus, qui est ex Lege. Ita enim prædixit is, qui erat ex Lege, Moses, esse audiendum, ut accipiamus, ex Apostoli sententia, Christum Legis plenitudinem. In Evangelio autem jam proficit gnosticus, non solum quod utatur Lege tanquam gradu, sed quod eam percipiat, ejusque sensum intelligat, prout tradidit Apostolis, qui dedit Testamenta, Dominus.... Quæ cum ita se habeant [1], Prophetæ quidem perfecti sunt in prophetia, justi autem in justitia, et Martyres in confessione, alii autem in prædicatione, non expertes quidem virtutum communium, sed præterea excellentes in iis, ad quæ sunt ordinati. Quis enim sanæ mentis dixerit, Prophetam non esse justum? Quid enim, non justi quoque, sicut Abraham, prophetarunt?

Bellica namque Deus dedit huic ut munera obiret,
Illi ut saltaret, cithara cantuque sonaret,

ait Homerus. « Sed unusquisque habet proprium donum a » Deo; hic quidem sic, ille vero sic [2]: » Apostoli autem fuere pleni in omnibus. Invenies itaque, si volueris, ex eorum Actis et scriptis, cognitionem, vitam, prædicationem, justitiam, castitatem, prophetiam.

4°. Quibus fundamentis inniti debeat, nempe bonis et laudandis:

Est autem ejus opus non a malis abstinentia (ea est enim

[1] Pag. 625.
[2] 1 Cor. VII, 7.

quasi gradus ad majorem profectum), sed nec aliquid boni facere, scilicet propter metum. Scriptum est enim : « Quo fugiam, et ubi abscondar a facie tua? Si ascendero in cœlum, tu illic es : si abiero ad extrema maris, illic est dextera tua : si descendero in abyssos, illic spiritus tuus[1]. » Sed neque propter spem promissi honoris; dictum est enim : « Ecce Dominus, et merces ejus a facie ejus, ut reddat unicuique secundum opera sua[2]; quæ oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt, quæ præparavit Deus iis, qui ipsum diligunt[3]. » Sola autem beneficentia, quæ propter charitatem et propter ipsum honestum fit, est a viro gnostico expetenda... Si quis ergo[4] per hypothesin gnostico proposuerit, utrum malit, Dei cognitionem, an salutem æternam; sint autem ea separata, cum sunt omnino conjuncta; nihil penitus dubitans elegerit Dei cognitionem, propter se judicans esse expetendam eam, quæ fidem transcendit per charitatem ad cognitionem, proprietatem. Hæc est ergo prima viri perfecti beneficentia[5], quando non fit propter aliquod utile, quod ad se pertineat : sed cum judicaverit pulchrum esse et honestum id, quod bonum est facere, vehementer incitata operatio in omnibus reipsa bene se geret; non in aliquo quidem recte, in aliquo vero non : sed in benefaciendi habitu constituta, neque præterea propter gloriam, aut ut philosophi dicunt, εὔκλειαν, id est, *famam illustrem;* neque propter mercedem, aut ab hominibus, aut a Deo, ad imaginem et similitudinem Domini vitam peregerit. Et si qua ratione ei bonum operanti aliquid contrarium occurrerit, talionem parisque pari relationem ut bonam, citra ullam

[1] Psal. CXXXIX, 7, 8, 9, 10. — [2] Isai. XL, 10; LXII, 11; Psal. LXII, 12; Apoc. XXII, 12; Rom. II, 6. — [3] 1 Cor. II, 9.
[4] Pag. 626 et seq.
[5] Vide D. Guillon, pag. 416.

acceptæ injuriæ recordationem, projiciet, ut qui erga *justos et injustos*[1] existat justus et bonus. Eis, qui sunt ejusmodi, dicit Dominus: *Estote sicut pater vester perfectus*[2]. Ei caro est mortua, vivit autem ipse solus, ut qui sepulcrum in sanctum templum Domino consecraverit, veteri peccatis obnoxia anima ad Deum conversa. Is non est amplius continens, sed ad habitum pervenit impatibilitatis, ut divinam formam induat expectans... Nos autem[3] eum, qui semper et in omnibus est justus, scire cupimus; qui nec timens supplicia, quæ a Lege statuuntur; nec eorum, cum quibus versatur, et qui peccata persequuntur, odium vitans in improbos; nec quod ab iis, quos injuria affecit, impendet periculum reformidans, justus permanet. Qui enim propter hæc abstinet a faciendo aliquid ex iis, quæ sunt injusta, non est sua sponte, sed metu bonus... Si autem ab injuria facienda abstinuerit propter spem remunerationis a Deo consequendæ ob ea, quæ juste fecerit, ne sic quidem sua sponte est bonus. Sicut enim illum metus, sic hunc quoque merces justum facit; vel potius efficit, ut videatur justus... Qui autem nudæ vocationi, quatenus vocatus est, obedit, is neque propter timorem, neque propter voluptates, tendit ad cognitionem. Non enim considerat, an aliquod utile lucrum vel delectatio aliqua extrinsecus consequatur, sed tractus a dilectione ejus, qui vere est amabilis, et ad id, quod fieri oportet, adductus, pius est Dei cultor. Unde nec si per hypothesin a Deo acceperit potestatem faciendi ea, quæ sunt prohibita, citra ullam pœnam: neque si propterea beatorum bona accepturum eum esse, ei promissum fuerit: sed nec si persuasum habuerit fore, ut Deum lateant ea, quæ gerit (quod quidem fieri non potest), in animum unquàm est inducturus, ut aliquid agat præter rec-

[1] Matth. v, 45 — [2] Ibid. 48.
[3] Pag. 629 et seq.

tam rationem, cum id, quod vere est honestum, et ex seipso eligendum, et ea ratione expetendum amandumque, semel elegerit.

Unde ab omnibus vinculis liber sic precatur[1]:

Sed ego me liberabo, dixerit, a cupiditate, o Domine! ut mihi tecum intercedat conjunctio: pulchra enim est, quæ utique creata est, dispensatio, et omnia recte administrantur, et nihil fit sine causa. In tuis me esse oportet, o Omnipotens! et licet hic fuero, sum apud te: sed volo expers esse metus, ut ad te possim appropinquare, et paucis etiam contentus, tuam imitans justam electionem, quæ bonos a similibus discernit.

5°. Qui sint gnosticæ vitæ effectus, nempe hominem ad Deum trahere[2]:

Quo modo ergo qui in mari ab anchora stabiliuntur, trahunt quidem anchoram, non illam autem attrahunt, sed seipsos ad anchoram: ita qui per vitam gnosticam Deum attrahunt, non advertentes, seipsos ad Deum adducunt. Qui enim Deum colit, seipsum colit. In vita ergo, quæ versatur in contemplatione, sui quis curam gerit, dum Deum veneratur, et se sincere purgato Deum sanctum sancte contemplatur.

Trahitur autem homo ad Deum venia et castigatione. Venia quidem, nam[3]

Dimittuntur ergo per Dominum, quæ facta sunt ante fidem, non ut facta non sint, sed ut sint tanquam non facta. Sed ne omnia quidem, dicit Basilides, sed sola dimitti involuntaria, et quæ fiunt per ignorationem; perinde

[1] Pag. 631.
[2] Pag. 633.
[3] Pag. 633 et seq.

ac si homo aliquis, non Deus, tam magnum præberet donum. Huic dicit Scriptura : « Existimasti, ô impie! quod » ero tui similis [1]. »

Castigatione autem : nam

Bonus Deus castigat propter has tres causas : primum quidem, ut is, qui castigatur, seipso melior evadat : deinde, uti, qui possunt salvi fieri, per exempla præparentur admoniti : et tertio, ne is, qui injuria afficitur, contemptui habeatur, et aptus sit ad injuriam accipiendam. Sunt autem duo quoque modi correctionis : unus quidem, docendo : alter vero puniendo, quem etiam castigantem diximus. Sciendum est autem eos, qui post lavacrum in peccata incidunt, eos esse, qui castigantur. Quæ enim prius facta sunt, dimissa sunt : quæ autem postea fiunt, expurgantur. De incredulis dictum est, eos esse « reputatos tanquam pulverem, quem » projicit ventus a facie terræ; et guttam, quæ a cado excidit [2]. »

6°. Qua via ad gnosticam vitam procedatur, contemplatione scilicet et mortificatione :

Perfectus quidem Christianus Deum, in quantum potest, continuo contemplatur [3] :

« Beatus est, qui habet scientiæ disciplinam, et neque ad » damna civium, neque ad injustas impellitur actiones, sed » immortalis naturæ senii expertem intuetur ornatum, qua» nam ratione, et quo pacto, quove modo constiterit. His » autem, qui sunt ejusmodi, nunquam turpium factorum » insidet meditatio. » Merito ergo Plato quoque eum, « qui » ideas contemplatur, *dicit*, victurum esse Deum inter ho» mines : mens autem est locus idearum, mentis vero est » Deus. » Eum, qui Deum invisibilem contemplatur, dixit « Deum viventem inter homines. » Porro autem in Sophista

[1] Psal. L, 21. — [2] Id. I, 4; Isai. XL, 15.

[3] Pag. 634 et seq.

quoque Eleatem hospitem, cum esset Dialecticus, Socrates *Deum* nominavit, « quales sunt dii externis hospitibus si» miles, qui in urbes ventitant. Quando enim anima trans» cendit generationem, et per se fuerit, et cum formis seu » ideis versatur, » qualis est, qui Coryphæus dicitur in Theæteto, is factus tanquam Angelus, erit cum Christo, et versabitur in contemplatione, semper Dei voluntatem considerans : revera hic

Solus prudens, isti volitant velut umbræ.

Mortui enim sepeliunt mortuos suos.

Dum autem anima Deo pascitur, corpus mortificatione domandum est[1] :

Jam vero sapientis et Gnostici anima, ut quæ in corpore peregrinetur, eo severe et austere utitur, non in ipsum nimiam affectionem ostendens aut indulgentiam : ut quæ sit e vestigio relictura tabernaculum, si excedendi et migrandi tempus eam vocaverit : « Advena, *inquit*, sum in terra, et » peregrina sum ego vobiscum[2]. » ... Electus vitam agit tanquam hospes, sciens omnia esse possidenda, et dein rejicienda : quæcumque autem bona triplicia esse volunt Peripatetici, eis utitur; quinetiam corpore, sicut aliquis qui procul peregre proficiscitur, diversoriis et habitaculis, quæ ei in via occurrunt : curam quidem gerens etiam rerum mundanarum et loci, in quo diversatur : habitationem autem et possessionem, sicut etiam usum, relinquens, nulla motus perturbatione : prompto et alacri animo eum sequens, qui e vita abducit, nulla occasione se unquam retro convertens : ob incolatum quidem agens gratias, benedicens autem propter exitum, cœlestem amplectens mansionem.

[1] Pag. 639 et seq.

[2] Gen. XXIII, 4 ; Psal. XXXIX, 12.

« Scimus enim, quod si terrena nostra habitatio taberna» culi dissoluta fuerit, ædificium a Deo habemus, domum » non manufactam æternam in cœlis. Etenim in hoc inge» miscimus, habitaculum nostrum, quod est ex cœlo, su» perindui cupientes; siquidem etiam induti, non nudi inve» niemur. Per fidem enim ambulamus, non per speciem, » *ut ait Apostolus*. Magis autem volumus peregrinari a cor» pore, et apud Deum versari [1].» *Magis* autem est in comparatione : comparatio autem est in iis, quæ cadunt in similitudinem : ut fortior fortibus fortior, timidorum autem fortissimus. Unde subjunxit : « Quamobrem contendimus, sive » peregrinantes, sive apud eum versantes, ei placere, » ui scilicet Deo, cujus omnia sunt opus et creatura, et mundus, et supermundana. Admiror Epicharmum, qui aperte dicit: « Si fueris mente pius, nihil mali patieris mortuus. Supe» rius manet in cœlo spiritus. » Et poëtam Lyricum canentem : « Impiorum autem animæ sub cœlo volant in cruentis » doloribus, sub malorum jugis inevitabilibus : piorum au» tem, in cœlis habitant, cantibus beatorum principem ca» nentes in hymnis. » Non ergo huc de cœlis anima ad ea, quæ sunt deteriora, demittitur : Deus enim refert omnia ad meliora : sed ea, quæ vitam elegit optimam ex Deo et justitia, cœlum terra commutat. Merito ergo Job, qui pervenit ad cognitionem, « Nunc, *inquit*, scio, quod omnia potes; » nihil est autem, quod tu non possis. Quis enim annun» tiat mihi quæ non noveram, magna et admirabilia quæ » nesciebam? Ego autem meipsum vilipendi, existimans » meipsum esse terram et cinerem [2]. »

ARTICULUS IV.

CONCLUSIO.

Debemus autem habere opera clamantia [3], « tanquam in

[1] 2 Cor. v, 1, 2, 3, 7, 8, 9. — [2] Job. XLII, 2, 3, 6.
[3] Pag. 641 et seq.

lie ambulantes [1]. Luceant enim opera tua [2]. Et ecce
ıomo, et opera ejus ante faciem ejus. Ecce enim Deus,
ıt opera ejus [3].» Deum oportet imitari, quoad fieri
ıtest, eum, qui est Gnosticus. Mihi autem videntur poëtæ
ıoque electos appellare « Deiformes, *et* dios, *et* Deo æqua-
es, *et* consilio Jovi pares, *et* quorum similis prudentia
livis, *et* Deo similes,» *illud*, « Ad imaginem et similitudi-
ıem [4], *quasi arrodentes.* » Euripides itaque, « In meo, *in-*
uit, tergo sunt pennæ aureæ, et aptantur grata Sirenum
alaria, iboque in immensum sublatus æthera, Jovem
onventurus. » Ego autem Christi spiritum oraverim, ut
e in meam sustollat Jerusalem. Dicunt enim Stoici quo-
ıe, cœlum quidem proprie esse civitatem, quæ autem
nt hic in terra, non esse civitates : dici enim, sed non esse.
:s enim bona est civitas, et populus, honestus aliquis cœ-
s, et multitudo hominum, quæ regitur lege, sicut Logo
:clesia : quæ est civitas, quæ non potest circumsideri, nec
primi tyrannide; in terra divina voluntas, sicut in cœlo.
ıjus autem civitatis imagines poëtæ quoque condunt in
is scriptis : Hyperboreæ enim et Arimaspiæ civitates, et
mpi Elysii, sunt respublicæ justorum. Scimus autem Pla-
ıis quoque *civitatem esse propositam in cœlo ut exemplar.*

[1] Rom. XIII, 13. — [2] Matth. v, 16. — [3] Isai. LXII, 11. — [4] Gen. I, 26.

LIBER QUINTUS.

Clemens noster, in quinto hoc libro, præmissis quibusdam circa fidem notionibus, duo probanda suscipit, nempe fidei mysteria in sacris litteris convenienter sub allegoriis proponi, et Græcos ex Hebræorum libris decreta sua fuisse mutuatos. Unde, superaddita conclusione, tribus articulis cuncta perficientur.

ARTICULUS PRIMUS.

GENERALES DE FIDE NOTIONES.

1°. Fides non est sine cognitione[1] :

Jam vero neque est cognitio sine fide[2], neque fides sine cognitione. Sed neque pater est sine filio : simul enim cum eo, quod est pater, est filii pater. Filius autem verus est de patre magister : et ut credat quis filio, oportet nosse patrem, ad quem refertur etiam filius. Et rursus, ut patrem præcognoscamus, oportet credere filio, quoniam eum docet Dei filius. Ex fide enim ad cognitionem per filium pater. Cognitio autem filii et patris, quæ est ex gnostica regula, ea quidem, quæ vere sit regula cognitionis, est conceptio et comprehensio veritatis per veritatem.

[1] Pag. 643 et seq.

[2] Vide D. Guillon, pag. 400 et seqq.

2°. Fides alia incœpta, alia consummata[1]:

Videtur Apostolus duplicem fidem annuntiare, vel po-
 unam, quæ augmentum suscipit et perfectionem.
m communis quidem fides alteri subjicitur tanquam
ndamentum. Iis quidem certe, qui cupiebant curari, ut
i fideliter moverentur, dicebat: *Fides tua te salvum fecit*[2].
 autem eximie superædificatur, fideli consummatur,
rursus perficitur per eam, quæ accedit ex doctrina et
tione peragendi mandata. Hujusmodi erant Apostoli, de
ibus dictum est, *fidem montes transmovere et arbores
nsplantare*[3]. Unde cum sensissent magnitudinem potesta-
, rogabant ut *adderetur eis fides*, quæ ut *granum sinapis*[4]
orderet utiliter animam, et in ipsa adeo cresceret, ut in
sa requiescerent de rebus sublimibus rationes.

3°. Fides natura non habetur: aliter enim[5]

Supervacanea præcepta tam in veteri quam in novo Tes-
mento, cum natura salvus fiat aliquis, ut vult Valentinus,
 sit natura fidelis et electus, ut putat Basilides: fieri
iam poterat, ut absque adventu Servatoris aliquo tandem
mpore posset natura resplendescere. Sin autem neces-
rium dixerint adventum Domini, evanescit eis naturæ
erogativa: cum doctrina et purgatione et bonorum ope-
m effectione, non autem natura, servetur electio.

4°. Fides non per curiositatem, nec per contentio-
m, nec ab omnibus, sed a probatis auctoribus,
m sana mente quærenda est[6]:

Ex iis ergo, quæ diximus, infideles esse amentes osten-

[1] Pag. 644.
[2] Matth. IX, 22. — [3] Id. XVII, 20; Luc. XVII, 6; 1 Cor. XIII, 2. — [4]
uc. XIII, 18.
[5] Pag. 645.
[6] Page 645 et seq.

ditur. «Semitæ enim eorum sunt perversæ, et nesciunt pa-
» cem [1]», inquit Propheta. «Stultas autem et ineruditas quæs-
» tiones vitare» divinitus suasit Paulus, «quoniam generant
» pugnas [2]:» et clamat Æschylus,

Ne in iis labores temere, quæ nihil juvant.

Nam eam quidem, quæ una cum fide convenit, quæstionem, quæ fundamento fidei superædificat splendidam ac magnificam veritatis cognitionem, optimam esse scimus. Scimus autem, quod neque ea utique quæruntur, quæ sunt manifesta; ut, exempli causa, an sit dies, cum est dies: neque ea, quæ sunt incerta, et nunquam fieri possunt manifesta, ut illud, sintne stellæ pares an impares: sed neque ea, quæ convertuntur: ea vero convertuntur, quæ ab iis, qui adversantur in disserendo, ex æquo dici possunt; ut illud, an sit animal, quod est in utero, an non animal. Quartus modus est, quando ex alterutra horum parte producitur argumentum, contra quod dici, et quod solvi non potest. Si ergo quærendi causa omnibus modis de medio tollitur, fides firmatur ac stabilitur. Eis ergo illud producimus, contra quod dici non potest, quod Deus est, qui dicit, et de unoquoque eorum, de quibus quæro, tradit in scriptis. Quis est ergo adeo impius et a Deo alienus, ut Deo non credat, et probationes a Deo postulet, tanquam ab hominibus? Rursus ex quæstionibus, aliæ quidem sensu indigent; ut si quis quærat, an ignis sit calidus, aut nix alba: aliquæ vero admonitione et increpatione, ut ait Aristoteles: ut illa interrogatio, an oporteat honorare parentes. Sunt etiam quædam dignæ, quæ puniantur; cujusmodi est, quærere probationes, an sit Providentia. Cum sit ergo Providentia, non ex Providentia factam fuisse et prophetiam, et eam quæ in Servatorem facta est œconomiam, putare est nefarium. Et fortasse ne conari quidem oportet hæc de-

[1] Isai. LIX, 8. — [2] 2 Tim. II, 23.

onstrare, cum sit manifesta divina Providentia, ex aspectu nnium quæ videntur effectorum quæ arte constant et ıpientia, quorum alia quidem ordine fiunt, alia vero orine manifestantur. Qui nos autem essentia et vita imperit, etiam participes fecit rationis, nos simul convenienter ıtioni volens, et bene vivere...

Oportet autem[1] mentem quoque habere sanam, et quæ ulla retardetur pœnitentia a pulchri venatione, ad quod uidem maxime divina opus habemus gratia, rectaque docina, castaque et munda animi affectione, et Patris ad psum attractione. Terreno enim corpori illigati, sensilia uidem per corpus apprehendimus : quæ intelligentia autem ercipiuntur, per ipsam vim rationis. Si quis autem exectaverit, fore, ut omnia sensiliter comprehendat, longe veritate excidit. Spiritaliter quidem certe scribit Apostous de Dei cognitione : « Videmus enim nunc tanquam per speculum, tunc autem facie ad faciem[2]. » Paucis enim atum est spectaculum veritatis. Dicit itaque Plato quoque n Epinomide : « Haud dixerim fieri posse, ut omnes homines sint beati et felices, præterquam pauci. Donec vixero, hoc sic definiam. Bona autem spes est fore, ut postquam excessero omnia consequar. » Eadem sibi vount, quæ dicuntur apud Mosem : « Nemo videbit faciem meam, et vivet[3]. » Clarum est enim, neminem unquam itæ tempore posse Deum evidenter comprehendere. *Qui unt* autem *mundi corde, Deum videbunt*[4], postquam ad extremam pervenerint perfectionem. Cum enim ad ea, quæ unt comprehendenda, imbecillis esset anima, et divino nagistro egeremus, demittitur Servator, boni possessionis t doctor et suppeditator, arcanum magnæ Providentiæ anctumque signum et indicium. « Ubi est ergo scriba ?

[1] Pag. 647 et seq.

[2] 1 Cor., XIII, 12. — [3] Exod. XXXIII, 20. — [4] Matth. V, 8.

» ubi inquisitor hujus seculi? non infatuavit, inquit, » Deus sapientiam hujus mundi[1]? » Et rursum : « Perdam » sapientiam sapientum, et intelligentiam intelligentium » reprobabo[2]: » horum scilicet, qui sibi videntur sapientes, et sunt contentiosi. Pulcherrime itaque dicit Hieremias: « Hæc dicit Dominus : State in viis, et interrogate semitas » æternas, quænam sit via bona, et in ea ambulate, et » invenietis expiationem animabus vestris[3]. » Interrogate, inquit, et audite ab iis qui norunt, citra contentionem et decertationem. Cum didicerimus autem viam veritatis, recta ingrediamur, minime nos retro convertentes, donec consecuti simus id, quod desideratur. Merito ergo rex quidem Romanorum (Numa erat ei nomen), cum esset Pythagoreus, primus ex omnibus hominibus posuit templum Fidei et Pacis. « Abrahæ autem, qui credidit, reputata » fuit justitia[4]. » Is cum sublimem eorum, quæ in aëre eveniunt, et excelsam eorum, quæ in cœlo moventur, persequeretur philosophiam, vocabatur Abram, quod exponitur *Pater sublimis*. Postea autem, cum in cœlum suspexisset, sive viso in spiritu Filio, ut quidam exponunt, sive glorioso Angelo, sive etiam alias agnito Deo, creatura et quolibet ejus ordine præstantiore, assumit alpha, nempe cognitionem unius et solius Dei, et dicitur Abraam : ut qui pro naturæ indagatore, sapiens, et Dei amicus factus esset... Propterea [5] hortatur quoque Apostolus, « Ut fides nostra » non sit in sapientia hominum, » qui profitentur persuadere; « sed in Dei virtute[6], » quæ sola et absque demonstrationibus, per solam fidem potest dare salutem... *Quære*, inquit, *et invenies*[7] :

[1] 1 Cor. I, 20. — [2] Ibid. 19; Isai. XXIX, 14. — [3] Jerem. V, 16. — [4] Rom. IV, 3, 5, 9, 22.

[5] Pag. 649.

[6] 1 Cor. II, 5.

[7] Pag. 650 et seq.

. . . . Quod autem quæritur,
Capi potest, quod negligitur vero, effugit :

t ait Sophocles. Similia autem dicit etiam Menander co-
ticus :

. . . . Quidquid quæritur,
Egere cura maximi viri autumant.

ɔd perspectivam quidem animæ facultatem ad inventio-
ɜm oportet dirigere, et quæ impedimentum afferunt ex-
ɪrgare : et rursus contentionem, invidiam, et ipsam litem
ɔssime perdendam abjicere. Pulcherrime enim scribit Ti-
on Phliasius :

Pernicies hominum resonans lis venit inane,
Cui soror et socia est faciens contentio cædes,
Cunctas res alias quæ circumvolvitur : at dein
Cervicem obfirmans, hominem ad spes trudit inanes.

einde paulo inferius subjungit :

Quis pugnaturos lite hos commisit acerba?
Concurrens cum Echo turba indignata, silentes
Ultra viros morbum immisit, multique cadebant :

ɜ oratione falsa negante, et ceratine, et latente, et cro-
ɔdilino, et sorite præterea, et de ea quam detectam vo-
ɪnt, et de ambiguitatibus et sophismatibus. De Deo ergo
ıærere, si non ad litem, sed ad inventionem tendat, est
ılutare. Scriptum est enim in David : « Comedent paupe-
res, et implebuntur, et laudabunt Dominum, qui quæ-
runt ipsum, vivet cor ipsorum in sæculum sæculi[1]. » Qui
nim quærunt vera inquisitione[2], laudantes Dominum, im-
lebuntur dono, quod a Deo proficiscitur, hoc est, cogni-
one, et vivet anima eorum (anima enim per allegoriam

[1] Psalm. xxii, 26.
[2] Vide D. Guillon, pag. 416.

dicitur *cor*, quæ vitam suppeditavit), quoniam Pater per Filium cognoscitur. Sed nec omnibus, qui impudenter et temere dicunt et scribunt, oportet aures præbere. Nam calices quoque, qui a multis corripiuntur auribus, hoc est ansis, detriti, aures quidem amittunt, præterea autem etiam ipsi excidentes confringuntur. Eodem modo ii quoque, qui multis nugis fidei castam incestarint auditionem, ad veritatem jam tandem obsurdescentes, et inutiles fiunt, et in terram decidunt. Non ergo temere pueris præcipimus, ut apprehensis auribus amicos osculentur, hoc utique tacite significantes, ingenerari per auditum sensum dilectionis: *Deus autem est dilectio* [1], qui cognoscendum se præbet iis, qui diligunt; sicut *Deus est fidelis* [2], qui fidelibus traditur per disciplinam: et oportet nos ei effici conjunctos ac familiares per divinam dilectionem, ut simili contemplemur simile, pure et citra fraudem verbum audientes veritatis, instar puerorum, qui nobis obediunt. Hoc autem erat, quod tacite significabat, quicumque is fuerit, qui inscripsit in aditu templi in Epidauro:

Esse decet castum, sancti qui limina templi
Ingreditur. . . . .

Castitas autem est, sancta cogitare. « Quod si non facti, » *inquit*, fueritis ut hi puelli, non intrabitis in regnum cœ» lorum [3]. » Hic enim Dei templum tribus cernitur fundatum fundamentis, fide, spe, charitate... Justus ergo [4] quærit inventionem, quæ oritur ex charitate, ad quam prospere contendit. *Pulsanti* enim, inquit, *aperietur. Petite et dabitur vobis* [5]. Qui enim *regnum rapiunt*, sunt *violenti* [6], non contentiosis orationibus, sed rectæ vitæ assiduitate: et con-

[1] I Joan. IV, 16. — [2] I Cor. I, 9; X, 13. — [3] Matth. XVIII, 3.
[4] Pag. 654 et seq.
[5] Matth. VII, 7. — [6] Id. XI, 12.

ionibus, quæ fiunt *sine intermissione*, dicti sunt *vim afferre*, naculis, quas e prioribus peccatis contraxerant, abstersis:

Turmatim vitium certe vel pendere possis.
Deusque duris fert opem laboribus.

Non enim expugnatu difficilia Musarum dona, in medio sita sunt, a quolibet auferenda. » Ignorationis itaque animadversio est prima disciplina ei, qui Logo convenienter mbulat. Cum ignorasset quispiam, quæsivit: et cum quæiisset, invenit magistrum: et cum invenisset, credidit: t cum credidisset, speravit: et cum hinc dilexisset, diecto similis efficitur, hoc esse studens, quod prius dilexit. 'alem fere viam et rationem Socrates indicat Alcibiadi, ic roganti: « Non aliter existimas me de iis, quæ sunt justa, cognoscere? Certe, si quidem inveneris. Sed non putas me posse invenire? Et maxime quidem, si quæsieris. Deinde existimas me non posse quærere? Ego quidem existimo, si putaris te non nosse. » Hac ratione sunt etiam prudentium virginum lampades [1], » quæ noctu sunt accensæ in densis tenebris ignorantiæ, quam per noctem innuit Scriptura. Prudentes animæ, mundæ ut *virgines*, cum ntelligant se esse sitas in mundana inscitia, lumen accenunt, et mentem excitant, tenebras illuminant, et ignorationem expellunt, et quærunt veritatem, et expectant adventum ræceptoris.

ARTICULUS II.

Fidei mysteria in sacris Litteris convenienter per llegorias proponuntur, unde Græci decreta sua fuerunt mutuati.

1. Bonum est ut Græci propriis placitis edoceantur [2]:

Quod autem nostra sint probabilia, et digna quæ cre-

[1] Matth. xxv, 1, seq.
[2] Pag. 656.

dantur, cognoscent Græci, si sequentem sermonem diligenter perpenderint. Simili enim edocemur simile. Dicit enim Salomon : *Responde stulto secundum stultitiam suam*[1]. Quocirca iis quoque, qui petunt eam, quæ est apud ipsos, sapientiam, ea sunt exhibenda, quæ eis conveniunt et sunt familiaria, ut per ea, quæ ipsis propria sunt, facilius adducantur ad fidem veritatis. *Omnibus* enim *omnia factus sum*, inquit, *ut omnes lucrifacerem*[2]. Nam imber quoque divinæ gratiæ, super *justos et injustos*[3] demittitur. «Num Judæorum solum est Deus, non etiam Gentium? Certe etiam Gentium, si quidem unus est Deus[4], » egregius clamavit Apostolus.

2°. Sacris oportet initiari[5] :

Quidquid est adhuc surdum et cæcum, nec habet scilicet intelligentiam, neque animæ contemplandi cupidæ interritum et perspicacem visum, quem solus præbet Servator, sicut in mysteriis profanum, vel in choreis musicæ imperitum, nondum mundum, nec casta veritate dignum, inconcinnumque et inordinatum et adhuc materialem, stare oportet extra chorum divinum. *Spiritalibus* enim *spiritalia comparamus*[6]. Propterea certe per modum occultationis eum, qui est vere divinus, et maxime nobis necessarius, in adyto veritatis repositum sermonem vere sacrum, Ægyptii quidem per ea, quæ apud ipsos vocantur adyta, Hebræi autem per *velum*, significarunt : quæ adire solis licebat iis, qui erant ex ipsis consecrati, hoc est, Deo dedicati, quibus erant circumcisæ vitiorum cupiditates, per suam in solum Deum charitatem. *Non mundo enim mundum tangere*, Platoni quoque videbatur esse nefarium. Hinc prophetiæ

[1] Prov. xxvi, 5.—[2] I Cor. ix, 22.—[3] Matth. v, 45. [4] Rom. iii, 29, 30.
[5] Pag. 656 et seq.
[6] I Cor. ii, 13.

responsa dantur per ænigmata : nec ostenduntur myste-
quibusvis accedentibus, nec nisi post certas expiationes
præcepta.

3°. Omnes populi allegorias habuerunt[1] :

Jam vero qui docentur ab Ægyptiis, primum quidem dis-
nt Ægyptiarum litterarum viam ac rationem, quæ voca-
r epistolographica : secundo autem hieraticam, qua utun-
r Hierogrammates : ultimam autem hieroglyphicam : cu-
s una quidem species est per prima elementa, cyriolo-
ca dicta; altera vero symbolica. Symbolicæ autem, una
ıidem proprie loquitur per imitationem ; alia vero, scri-
tur veluti tropice; alia vero, fere significat per quædam
nigmata. Qui solem itaque volunt scribere, faciunt circu-
m : lunam autem, figuram lunæ cornuum formam præ
ferentem, convenienter ei formæ, quæ proprie loquitur.
ropice autem, per convenientiam traducentes et transfe-
ntes, et alia quidem immutantes, alia vero multis modis
ansfigurantes, imprimunt. Regum itaque laudes fabulis
diis immiscentes, anaglyphicis describunt. Tertii autem
meris, quod fit per ænigmata, hoc sit indicium : alia
ıidem astra, propter obliquam conversionem, assimila-
nt corporibus serpentum : solem vero, scarabei; quo-
iam, cum rotundam ex bubulo stercore effinxit figuram,
m vultu adverso convolvit. Aiunt autem hoc quoque ani-
al, sex quidem mensibus sub terra, alteram vero partem
nni vitam degere super terram, et semen in globum emit-
re, et gignere, et non nasci fœminam scarabeum. Om-
es ergo, ut semel dicam, qui de rebus divinis tractarunt,
m Barbari quam Græci, rerum quidem principia occul-
ıverunt; veritatem autem ænigmatibus, signisque ac sym-
olis, et allegoriis rursus et metaphoris, et quibusdam

[1] Pag. 657 et seqq.

talibus tropis modisque tradiderunt : cujusmodi sunt etiam apud Græcos oracula : et Apollo quidem Pythius dicitur Λοξίας, id est, *obliquus*. Quinetiam Apophthegmata eorum, qui apud Græcos vocantur Sapientes, paucis dictionibus rei majoris significationem innuunt : cujusmodi certe est illud, *Parce tempori* : aut quoniam vita est brevis, et non est hoc tempus temere consumendum, aut contra, parcendum privatis sumptibus, ut, etsi, inquit, multos annos vixeris, non desint tibi necessaria. Similiter etiam illud, *Nosce teipsum*, multa indicat : et quod sis mortalis, et quod homo natus es, et quod, si fiat collatio aliorum, quæ sunt in vita præstantissima, nulla sit tui habenda ratio, quod te gloria insignem, vel divitem esse jactes : vel contra, quod cum sis dives et gloria insignis, non de solis commodis, quibus alios superas, te jactare oporteat ; et ad quid natus sis, inquit, cognosce, et cujus sis imago, et quænam sit tua essentia, et quod opificium, et quænam cum Deo conjunctio et affinitas, et quæ sunt his similia. Dicit autem per Esaiam quoque prophetam Spiritus : « Dabo tibi thesauros » tenebrosos, occultos [1] : » Dei autem thesauri, et quæ non deficiunt divitiæ, est, quæ est venatu difficilis, sapientia. Quinetiam poëtæ, qui a prophetis didicere theologiam, per arcana sensa multa philosophantur : Orpheus, inquam, Linus, Musæus, Homerus, et Hesiodus, et qui ea sunt ratione sapientes. Velum autem eis apud vulgus est poëtica delectatio. Somniaque et symbola sunt omnia hominibus obscuriora, non propter invidiam (nefas enim est Deum intelligere patibilem), sed ut ænigmatum notionem subiens inquisitio, ad inveniendam recurrat veritatem. Ea ratione dicit utique Sophocles, poëta tragicus :

Deum ipse credam semper esse ejusmodi,

[1] Isai. XLV, 3.

Oracula ut sapientibus det abdita,
Malum scelestis, multa qui paucis docet.

Malum ponens pro simplici. Aperte itaque de tota nostra scriptura in Psalmis scriptum est, quod dicta sit in parabola: «Audite, populus meus, legem meam; inclinate aurem vestram in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio[1].» Præclarus quoque Apostolus sic dicit quodammodo similia: «Loquimur autem sapientiam inter perfectos: sapientiam autem non hujus sæculi, neque principum hujus mundi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam; quam præfiniit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nullus ex principibus hujus sæculi cognovit[2].»

4°. Symbola Pythagorica[3]:

Jam vero a barbara philosophia admodum occulte dependent symbola Pythagorica. Suadet itaque Samius ille, «Domi non habere hirundinem,» hoc est, loquacem, et susurronem, et effrænatæ linguæ hominem, qui non potest continere, nec capere ea, quæ illi fuerint communicata. «Hirundo enim et turtur, passeres agri, noverunt tempora suorum ingressuum[4],» inquit Scriptura: nec oportet unquam simul habitare cum nugis.

Rursus Pythagoras[5], «Olla ab igne sublata, *præcipit* non relinquere figuram in cinere, sed eam confundere: *Et*, qui surgunt e cubili, conturbare stragula.» Innuebat enim, non solum esse delendum fastum et superbiam, sed ne iræ quidem esse relinquendum vestigium. Cum autem ebullire cessaverit, eam esse componendam, et omnem esse delendam injuriæ memoriam. «Sol autem vobis ne occidat su-

[1] Psal. LXXVIII, 1, 2. — [2] 1 Cor. II, 5, 6, 7, 8.
[3] Pag. 660 et seqq.
[4] Jerem. VIII, 7.
[5] Pag. 661.

» per iracundiam [1] », inquit Scriptura. Et qui dixit : *Non concupisces* [2], sustulit omnem acceptæ injuriæ recordationem... Similiter etiam suadetur, ut *cubile quoque conturbetur*, ut nec alicujus turpis insomnii, nec somni quidem interdiu, sed nec alicujus, quæ fuit in nocte, voluptatis meminerimus. Forte autem caliginosam quoque phantasiam significabit oportere luce veritatis confundere. *Irascimini, et nolite peccare* [3], inquit David : non assentiri phantasiæ, neque factum inducendo iram ratam facere, oportere docens. Rursus *Super terram non esse navigandum*, est symbolum Pythagoricum. Significat autem, vectigalia, et similes conductiones, quæ sunt turbulentæ et instabiles, esse recusandas: propterea dicit Logos, publicanos *difficiliter* [4] salutem consecuturos. Rursus autem : « Non esse gestandos annulos, neque » deorum imagines esse eis insculpendas, » præcipit Pythagoras : sicut Moses multis ante sæculis aperte legem sancit, nullam oportere sculptilem vel fusilem vel fictam vel pictam imaginem simulacrumve facere [5]; ut sensilia minime attenderemus, sed ad ea transiremus, quæ percipiuntur intelligentia (4). Ut Dei enim majestas vilis et contempta reddatur, efficit frequens videndi consuetndo : et intelligibilem essentiam colere per materiam, est eam per sensum dedecorare. Quocirca Ægyptiorum quoque sacerdotum sapientissimi Minervæ ædem sub dio esse constituerunt, ut Hebræi, qui templum posuerunt absque simulacro... Et in summa [6] Pythagoras, et qui sunt ex eo cognominati, una etiam cum Platone, maxime ex aliis philosophis, usi sunt legislatore, ut conjici potest ex ipsis dogmatibus : et cum per recte conjectantem famam divinationis, non absque instinctu divino concurrissent cum quibusdam vocibus propheticis, et veri-

[1] Ephés. IV, 26. — [2] Exod. XX, 17. — [3] Psal. IV, 4; Ephes. IV, 26. — [4] Matth. XIX, 23. — [5] Exod. XX, 4; Levit XXVI, 1; Deut. IV, 15, 16 et seq.
[6] Pag. 662 et seq.

tatem per partes et species tractassent, non obscuris appellationibus, nec extra rerum declarationem ingredientibus, honorarunt, cum accepissent manifestationem conjunctionis, quæ intercedit cum veritate. Unde Græca quidem philosophia est similis splendori ex lampade, quam homines accendunt, lucem artificiose a sole suffurati. Logo autem prædicato, universa illa sancta lux eluxit. Deinde furtum quidem noctu utile est in ædibus, interdiu autem illustratur ignis, et universa nox illuminatur tanto sole lucis, quæ percipitur intelligentia. Jam vero eorum, quæ a Mose dicta sunt de justitia, compendium fecit Pythagoras, dicens: *Stateram non esse transiliendam :* hoc est, non prætergrediendam esse æqualitatem, quæ versatur in distributionibus, honorando justitiam... Rursus vero[1], cum duas *vias*[2] ponat Evangelium, et Apostoli atque omnes Prophetæ : et unam quidem vocent *arctam et angustam*, quæ contracta sit in præceptis et prohibitionibus; alteram vero contrariam, *latam et spatiosam*, et in quam voluptatibus et iræ liber est aditus : et dicant : « Beatus vir qui non ambulavit in consi» lio impiorum, et in via peccatorum non stetit[3] » : hinc et Prodici Cei proficiscitur fabula de virtute et vitio : et Pythagoras, jubens *ingredi via regia,* non veretur prohibere sequi vulgi sententiam, quæ plerumque temeraria est et absona.

5°. Symbola legis Judaïcæ : hic de templi figura, vestibus sacerdotum, aliisque similibus, insertis Verbi divini mysteriis, disserit, quæ, cum nihil notandum contineant, prætermittuntur.

6°. Ægyptiorum symbola[4] :

Unde etiam Ægyptii non quibuslibet ea, quæ erant apud ipsos, committebant mysteria : neque rerum divinarum

[1] Pag. 664.

[2] Matth. VII, 13, 14; Luc. XIII, 24. — [3] Psal. I, 1.

[4] Pag. 670 et seq.

cognitionem deferebant ad profanos; sed ad eos solos, qui erant ad Regnum perventuri, et ex sacerdotibus iis, qui judicati fuerant probatissimi, et educatione, et doctrina, et genere. Ergo quod attinet ad occultationem, sunt Hebraicis similia Ægyptiorum ænigmata. Ex Ægyptiis alii quidem in navigio, alii vero super crocodilo solem describunt. Significant autem, quod sol per aërem dulcem et humidum ingrediens, gignit tempus, quod ænigmaticè significat crocodilus per quamdam aliam sacerdotalem historiam. Porro autem Diospoli quoque, quæ urbs Ægypti, in æde sacra, quæ vocatur Pylon, expressus est puellus, signum generationis: senex vero, interitus: et rursus Dei symbolum accipiter, ut piscis symbolum odii. Et in alio rursus significato, crocodilus est signum impudentiæ. Videtur ergo universum symbolum simul positum hoc significare: « O qui nascimini » et interitis, Deus odio habet impudentiam. » Et aures et oculos fabricantes ex materia pretiosa, consecrant, diis in templis dedicantes, hoc utique tacite significantes, quod Deus omnia videt et audit. His accedit, quod roboris quidem et fortitudinis signum est eis leo: sicut certe et ipsius terræ, et agriculturæ, et alimenti, est bos; fortitudinis et libertatis, equus: roboris autem rursus cum ingenii solertia, sphinx, quæ totum quidem corpus habet leonis, faciem autem hominis. His quoque similiter, ingenii solertiam, et memoriam, et potentiam, et artem homo significans, ab eis in templis insculpitur. Jam vero in iis quoque, quæ ab ipsis vocantur deorum κωμασίαι, aureas imagines, duos quidem canes, unum autem accipitrem, et ibin unam circumferunt: et quatuor imaginum simulacra, vocant quatuor literas. Atque duo quidem canes, sunt symbola duorum hemisphæriorum, ut quæ circumeant et custodiant: accipiter vero, solis: est enim igneus, et qui vim habet interimendi: pestilentes itaque morbos soli attribuunt. Ibin

ntem, Lunæ: umbrosa nigris, lucida albis plumis assimi-
unt. Sunt autem, qui volunt quidem tropicos significari a
anibus, qui custodiunt, et instar janitorum observant,
ccessum solis ad austrum et septentrionem: æquinoctia-
m autem, qui est altus et perustus, significat accipiter,
cut ibis obliquum seu signiferum. Numeri enim inventio-
is et mensuræ, maxime ex animalibus, ibis videtur prin-
ipium præbuisse Ægyptiis, sicut ex circulis obliquus.

7°. Barbarorum symbola[1]:

Sed enim non solum, qui ex Ægyptiis vi ratiocinandi lurimum valuere, sed ex aliis quoque barbaris ii, qui erant editi studio philosophiæ, symbolicum genus sunt con-ctati. Aiunt quidem certe Idanthuram quoque Scytharum egem, ut refert Pherecydes Syrius, Dario qui Istrum tra-ecerat, bellum minantem, symbolum misisse pro litteris, urem, ranam, avem, jaculum, aratrum. Cum autem de is, ut erat consentaneum, exorta esset dubitatio, Oron-pagas quidem tribunus militum, dicebat eos tradituros nperium, conjectans ex mure quidem, habitationes: ex ana autem, aquas: ex ave vero, aërem: ex jaculo autem, rma: ex aratro vero, regionem. Xiphodres autem contra st interpretatus. Dicebat enim: Nisi tanquam aves evola-erimus, aut tanquam mures terram, vel tanquam ranæ quam subierimus, illorum tela non effugiemus: non sumus nim domini regionis. Anacharsin quoque Scytham dicit lormientem, sinistra quidem continuisse pudenda; os autem lextera, significantem oportere quidem utrumque, sed najus esse, linguam cohibere, quam voluptatem.

8°. Græcorum symbola[2]:

Et quid opus est, ut in barbaris referendis immorer, cum

[1] Pag. 671 et seq.
[2] Pag. 672.

liceat ostendere ipsos Græcos valde esse usos occultatione! Androcydes certe Pythagoricus litteras, quæ vocantur Ephesiæ, vulgo autem valde sunt celebres, dicit locum tenere symbolorum. Significare autem ἄσκιον quidem *tenebras*; ea enim non habere umbras: κατάσκιον, autem, *lucem*; quoniam illustrat umbram: λὶξ autem, prisca appellatione est *terra*, et τετρὰς, hoc est, *quaternio*, annus, propter horas: δαμναμενεὺς autem sol, qui *domat*; et αἴσια, vox *vera*. Significat autem symbolum, rerum divinarum eum esse ornatum, qui est tenebrarum, si conferantur cum luce, et sol cum anno, et terra cum omnis generis naturæ generatione. Quinetiam Dionysius Thrax grammaticus, in libro de Declaratione symboli de rotulis, dicit ad verbum: « Significabant autem » non per verba solum, sed etiam per symbola, nonnulli » actiones: per verba quidem, sicut se habent, quæ dicuntur » tur præcepta Delphica: Nihil nimis; et Nosce teipsum, » et quæ sunt his similia: per symbola autem, ut et rota, » quæ vertitur in deorum templis, quæ tracta est ab Ægyp» tiis; et rami, qui dantur iis, qui adorant. »

9[e]. Mosis symbola: talia scripsisse Mosem ostendit, citatis sancti Barnabæ verbis: unde sic prosequitur[1]:

Et rursus quando dicit in Cantico: « Gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare[2]; » concupiscentiam multiplicem, et belluinum atque impetuosum affectum, una cum ejus auriga qui scilicet habenas laxarat voluptatibus, *in mare projecit*, in mundi nempe dejiciens tumultus et perturbationes. Ita etiam Plato in libro de Anima, et aurigam, et equum qui defecerat, partem scilicet expertem rationis, quæ bipertito dividitur, nempe

[1] Pag. 677 et seq.
[2] Exod. xv, 1.

iram et cupiditatem, dicit decidere. Qua ratione Phaëontem quoque propter incontinentiam fabula e curru exlisse significat. Ita etiam se habet de Joseph. Cum ei lolescenti fratres invidissent[1], ut qui amplius aliquid præde(?)eret in cognitione, eum varia exuerunt tunica, et acptum in lacum projecerunt (lacus autem inanis erat, nec ibuit aquam), ut qui variam viri boni cognitionem ex dienti studio comparatam amandassent, et valere jussisnt: aut nuda, quæ est ex Lege, fide utentes, projecerunt lacum aqua vacuum, ut qui vendidissent in Ægyptum vino verbo desertam. Vacuus autem scientia lacus erat, quem projectus ille occulte sapiens cum exuisset cognionem, videbatur similis fratribus, id est, nudus cognione. Juxta aliam interpretationem varium indumentum xcipitur pro cupiditate, quæ in vastum barathrum abscelit. « Si quis autem, *inquit*, lacum aperuerit; vel ædificaverit, et ipsum non texerit, vitulus autem vel asinus in eum inciderit, lacus dominus solvet pecuniam, et dabit proximo, quod autem fuerit mortuum, ejus erit[2]. » Hic ibi illam subjunge Prophetiam: « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui, Israël autem me non intellexit[3]. »

10°. Symbola Apostolorum ostendit ex sancto Paulo[4]:

Quocirca alia quidem sunt mysteria quæ fuerunt absonsa usque ad Apostolos, et tradita sunt ab ipsis ut a Domino acceperunt: absconsa autem in veteri Testamento, uæ nunc manifestata sunt sanctis... Quod enim *non sit omium cognitio*[5], subjungit aperte: « Constructi in charitate, et in omnes divitias certitudinis intelligentiæ, in agnitio-

[1] Genes. XXXVII, 23 et seq. — [2] Exod. XXI, 33, 34. — [3] Isai. I, 3.
[4] Pag. 682 et seq.
[5] I Cor. VIII, 7.

»nem mysterii Dei in Christo, in quo sunt omnes thesauri »sapientiæ et scientiæ absconditi[1]. Orationi instate, vigi»lantes in ea cum gratiarum actione[2]: » gratiarum autem actio, non solum fit gratia animæ et bonorum spiritualium, sed etiam gratia corporis et bonorum corporis. Adhuc quoque apertius ostendit, *cognitionem non esse omnium*[3], subjungens: « Orantes simul et pro nobis, ut Deus ape»riat nobis ostium ad loquendum mysterium Christi, prop»ter quod etiam vinctus sum, ut manifestem ipsum ita ut »oportet me loqui[4]. » Quinetiam tradebantur Hebræis quædam sine scriptis: « Etenim cum deberetis, *inquit*, esse »doctores, propter tempus, *ut qui in Testamento veteri con»senueritis*, rursus opus habetis, ut vos doceam quænam »sint elementa initii eloquiorum Dei, et facti estis qui»bus lacte sit opus, non solido cibo. Omnis enim qui »lactis est particeps, est imperitus sermonis justitiæ, est »enim parvulus, *ut cui primæ solæ creditæ sint disciplinæ*. »Perfectorum autem est solidus cibus, qui propter habitum »habent sensus exercitatos ad discretionem boni ac mali. »Quocirca, dimittentes initii Christi sermonem, ad per»fectionem feramur[5]. » Quinetiam Barnabas, qui ipse quoque prædicavit verbum una cum Apostolo in ministerio Gentium: *Simplicius*, inquit, *vobis scribo, ut intelligatis*. Non enim invidens[6], inquit, præcepit Dominus in aliquo Evangelio: *Mysterium meum mihi, et filiis domus meæ*; in tuto et extra sollicitudinem statuens electionem, ut cum ea acceperit quæ sunt conjuncta et convenientia iis quæ elegerit, sit zelo superior. Qui enim non habet boni cognitionem, est malus, quoniam *unus est bonus*[7], nempe Pater:

[1] Coloss. II, 2, 3. — [2] Id. IV, 2. — [3] I Cor. VIII, 7. — [4] Coloss. IV, 3, 4. — [5] Hebr. V, 12, 13, 14; VI, 1.

[6] Pag. 684.

[7] Matth. XIX, 17.

itrem autem ignorare, est mors : ut nosse, vita æterna, r participationem potestatis, in quam non cadit interi-s : et non interire quidem, est esse participem divinitatis : teritum autem affert recessus a Dei cognitione. Rursus opheta : « Et dabo tibi thesauros absconditos, obscuros, nvisibiles, ut cognoscant quod ego Dominus Deus[1]. » His nvenienter David quoque psallit : « Ecce enim veritatem ilexisti, incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi[2]. Dies diei eructat verbum, *ut aperte scriptum est*, t nox nocti annuntiat scientiam, *quæ nempe est abdita ystice* : et non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum[3] : *a Deo nempe, qui dixit*, Fa-iet quis clanculum, et non videbo ipsum? » Propterea sciplina dicta est *illuminatio*, ut quæ manifestaverit ea æ erant occulta, cum magister solum aperuerit arcæ erculam, contra quam poëtæ dicunt Jovem bonorum idem dolium obturasse, malorum autem aperuisse... Me-o ergo[4] Plato quoque de Deo tractans in Epistolis, « Di-endum est, *inquit*, tibi per ænigmata, ut si quid huic abellæ in mari, vel in terra acciderit, qui legit non in-elligat. » Deus enim universorum, qui omnem vocem, nnem cogitationem, et omnem superat conceptum, nun-iam mandari poterit litteris, cum sit potestate sua ejus-odi, ut verbis non possit exprimi : quod ipsum quoque ato significavit, dicens : « Hæc ergo considerans, cave ne aliquando pœniteat eorum quæ nunc indigne excide-unt. *Maxima autem* hujus rei custodia est, nihil scribere, ed addiscere. Non potest enim, non potest fieri, ut quæ cripta sunt non excidant. » His germana dicit sanctus ioque Apostolus Paulus, Propheticam et vere antiquam nservans occultationem, a qua quæ apud Græcos fuerunt

[1] Isai. XLV, 3. — [2] Psal. LI, 6. — [3] Id. XIX, 2, 3.
[4] Pag. 685.

pulchra profluxere dogmata. « Sapientiam autem loquimur » inter perfectos; sapientiam dico non hujus sæculi, neque » principum hujus sæculi qui destruuntur : sed loquimur » Dei sapientiam in mysterio absconditam[1]. »

11°. Horum ulterior ratio, Dei cognitio ænigmatica[2] :

Plurimi autem homines, id quod est mortale tanquam cochleæ induentes, et circa suas ipsarum libidines instar erinaceorum in orbem conglobati, de beato ac incorruptibili Deo, talia qualia de se opinantur. Non animadvertunt autem, etsi sint nobis propinqui, Deum dedisse nobis innumerabilia, quorum ipse non est particeps : generationem quidem, cum ipse sit ingenitus : nutrimentum autem, cum ipse eo non egeat : et augmentum, cum æqualis consistat: senectutis et mortis potestatem, cum ipse sit senii et mortis expers : quocirca et manus, et pedes, et os, et oculos, et ingressus, et egressus, et iras, et minas, nemo existimet dici Dei affectiones apud Hebræos. Nequaquam : est autem magis pium, quædam ex his nominibus dici allegorice, quæ quidem procedente tempore suo loco aperiemus... Si ergo[3] ablatis omnibus quæ adsunt corporibus, et iis quæ dicuntur incorporea, nos ipsos projecerimus in Christi magnitudinem : et inde in ejus immensitatem sanctitate processerimus, ad intelligentiam omnipotentis utcumque perveniemus, non ita tamen ut quod est, sed quod non est cognoscamus. Figura autem et motus, vel status, vel sedes, vel locus, vel dextra, vel sinistra, de patre universorum ne sunt quidem cogitanda; etiamsi hæc de ipso

[1] I Cor. II, 6, 7.
[2] Pag. 686 et seq.
[3] Pag. 689 et seqq.

ripta sint; sed quid significet unumquodque eorum, tendetur suo loco. Non est ergo prima causa in loco, sed pra locum et tempus et nomen et intelligentiam. Propрea Moses quoque dicit : *Ostende mihi teipsum*[1], evidensime innuens Deum non posse doceri, nec verbis exprimi hominibus, sed sola ea quæ ab ipso proficiscitur posse testate cognosci. Inquisitio enim obscura et cæca : gratia tem cognitionis, est ab ipso per filium. Apertissime aum Salomon nobis feret testimonium, dicens : « Prudentia ominis non est in me, Deus autem dat mihi sapientiam, cio autem sancta[2]. » Jam vero divinam Providentiam allerice Moses nominavit *lignum vitæ*[3], quod plantatum fuit Paradiso : qui quidem Paradisus potest etiam esse muns, in quo orta sunt omnia quæ processere ex creatione. eo et Logos floruit et fructum tulit *caro factus*[4], et eos qui s *benignitatem gustarant*[5] vivificavit, quoniam nec abse ligno nobis venit in cognitionem. Suspensa enim est a nostra ad fidem nostram. Porro autem Salomon quoe rursus dicit : « Arbor est immortalitatis iis qui ipsam pprehendunt[6]. » Et ideo dicit : « Ecce do ante faciem tuam itam et mortem, diligere Dominum Deum, et ambulare i viis ejus, et audire vocem ejus, et credere vitæ. Sin utem transgressi fueritis justificationes et judicia quæ edi vobis, perditione perdemini. Hoc enim est vita et lonitudo dierum tuorum, diligere Dominum Deum tuum[7]. » ursus « Abraham cum venisset in locum quem dixit ei Deus, tertio die suspiciens videt locum eminus[8]. » Nam imus quidem dies est qui fit per aspectum rerum pulchram; secundus est optimæ animæ desiderium : tertio vero ens perspicit spiritalia, apertis ejus oculis a magistro,

[1] Exod. XXXIII, 18. — [2] Prov. XXX. — [3] Genes. II, 9. — [4] Joan. I, 14. [5] Pet. II, 3. — [6] Prov. III, 18. — [7] Deut. XXX, 15, 16 et seq. — [8] Gen. XXII, 4.

qui die tertio resurrexit. Possunt etiam tres dies accipi pro mysterio signaculi, per quod, is qui vere est Deus, creditur. Inde *eminus videt locum*, est enim Dei regio capta difficilis, quem appellavit Plato *idearum regionem*, cum a Mose eum accepisset esse locum, ut qui omnia et universa contineat. Merito autem eminus videtur ab Abraham, propterea quod sit in generatione, et per Angelum continenter initiatur. Hinc Apostolus : « Videmus nunc, *inquit*, tan» quam per speculum, tunc autem facie ad faciem [1], » neque per solas illas puras et incorporeas mentis applicationes. Fieri autem potest ut quis in disserendo de Deo, dicimus, si aggrediatur per rationem absque omnibus sensibus, contendere ad id quod est unumquodque, et ab iis quæ sunt non prius discedere, quam transcendens ea quæ id supereminent, id quod est bonum, ipsa apprehenderit intelligentia, versans in ipso fine ejus quod potest apprehendi intelligentiâ, ex Platonis sententia. Rursus Moses non permittens aras et delubra multis in locis construi, uno Dei templo extructo, et unigenitum esse mundum, ut ait Basilides, et unum, quod non videtur Basilidi, Deum annuntiavit : et quoniam eum qui comprehendi non potest, hoc non comprehendit gnosticus ille Moses, in templo nullum posuit colendum simulacrum, Deum sub aspectum non cadere, et circumscribi non posse significans, ad Dei autem notitiam Hebræos utcunque adducens, per honorem ejus quod est in templo nominis. Quinetiam verbum prohibens et fanorum constructiones, et omnia sacrificia, omnipotentem non esse in aliquo innuit, per ea, quæ dicit: « Quam domum ædificabitis mihi, inquit Dominus? Cæ» lum mihi est sedes [2], » et quæ deinceps consequuntur. Et de sacrificiis similiter : « Sanguinem taurorum, et adipem » agnorum nolo [3], » et quæ post hæc per Prophetam prohibet

[1] Cor. XIII, 12. — [2] Isai. LXVI, 1. — [3] Psal. L, 13.

ritus Domini. Pulcherrime igitur his quoque Euripides ipulatur, scribens :

Quænam domus sit, fabri facta quæ manu,
Qua contineri possit immensus Deus?

de sacrificiis similiter,

Non his egebit, si modo est verus Deus.
. . . . Nugæ quæ poëticæ meræ.

)eus enim non fecit mundum utilitatis gratia, ut hono-es scilicet ab hominibus, et ab aliis diis et dæmonibus, *iquit Plato,* perciperet, veluti quoddam vectigal accipiens generatione : a nobis quidem fumos, a diis autem et æmonibus propria eorum munera ac ministeria. » Appo-issime ergo et efficacissime ad docendum Paulus in Actis postolorum, « Deus, *inquit*, qui fecit mundum, et om-ia quæ in eo sunt, is cum sit Dominus cœli et terræ, on in manufactis templis habitat, neque ab humanis ianibus colitur aliquo indigens, cum ipse det omnibus piritum et vitam et omnia[1]. » Dicit autem Zeno quoque ctor sectæ Stoicæ, in libro de Republica, « Neque opor-ere templa facere, nec simulacra : nihil enim quod sit ompositum esse diis dignum. » Nec veritus est hæc his rbis scribere : « Neque opus erit fana ædificare, fanum nim non magni pretii, neque res sancta est existimanda. lullum autem magni pretii et sanctum est ædificatorum pus et illiberalium opificum. » Merito ergo Plato quoque, iens mundum esse Dei templum, civibus ostendit locum ritatis, ubi eis essent reponenda simulacra. Privatim tem prohibuit ut nemo haberet Deorum simulacra : Nemo ergo alius, *inquit*, diis templa consecret. Nam urum quidem et argentum, et in aliis civitatibus priva-im, et in templis, res est invidiosa : tum ebur ex ina-

[1] Act. XVII, 24, 25.

» nimo corpore extractum, haud satis castum donum Deo.
» Jam ferrum et æs sunt instrumenta bellorum. Ligneum
» autem quodcumque quis voluerit uno e ligno dedicato,
» itemque lapideum in templis communibus. » Merito ergo
in magna epistola : « Id namque nullo pacto verbis exprimi
» potest quemadmodum cæteræ disciplinæ : sed ex diuturna
» circa id ipsum consuetudine vitæque ad ipsum conjunc-
» tione, subito tandem quasi ab igne micante lumen refal-
» gens in anima jam seipsam alit. » Annon hæc sunt simi-
lia iis quæ dicta sunt a propheta Sophonia? « Et assumpsit
» me spiritus, et sustulit in quintum cœlum, et contem-
» plabar Angelos qui Domini vocabantur, et diadema eo-
» rum impositum in sancto Spiritu; et erat sedes unicu-
» jusque eorum septuplo major luce solis orientis, habi-
» tantes in templis salutis, et laudantes Deum ineffabilem,
» altissimum [1]. »

« Patrem enim et effectorem hujus universi, et inve-
» nire est difficile, et cum inveneris, ut apud omnes elo-
» quaris, nequit fieri. Verbis enim minime explicari potest,
» ut aliæ disciplinæ, » veri amicus dicit Plato. Recte enim
audierat quod sapientissimus Moses montem ascendens
per sanctam contemplationem, ad fastigium eorum quæ
percipiuntur intelligentia, necessario prohibet ne totus po-
pulus secum ascendat. Et quando dicit Scriptura : « In-
» gressus est autem Moses in caliginem ubi erat Deus, »
hoc significat iis qui possunt intelligere, Deum nec esse
aspectabilem, nec verbis posse enuntiari. *Caligo* autem,
scilicet hominum plurimorum incredulitas et ignoratio,
splendori veritatis omnino officit. Et rursus Orpheus Theo-
logus cum ex eo adjutus dixisset,

Unus perfectus per se, ex uno omnia facta,

aut, *nata*, nam sic quoque scribitur : subjungit :

[1] Textus ille ex apocryphis desumitur.

. . . . Nullus et ipsum
Mortalis cernit, verum omnes aspicit ipse.

pertius autem subjungit :

Non video hunc, solidus positus nam nimbus in orbem est.
Namque pupillæ oculis hominum mortalibus insunt
Parvæ et mortales : iis insunt nam caro et ossa.

s quæ dicta sunt feret testimonium Apostolus dicens : Novi hominem in Christo raptum usque ad tertium cœlum, et illinc in Paradisum, qui audivit verba arcana quæ non licet homini loqui[1] : » sic significans, Deum verbis non osse explicari : non propter legem et metum alicujus præepti, illud, *non licet*, adjiciens, sed sancta potestate Deum erbis enuntiari non posse indicans : siquidem super terum cœlum enarrari incipit, ut fas est iis qui illic sunt lectas animas initiare sacris... De Deo[2] enim dicit poëta grigentinus :

Illum non oculis nostris apprendere fas est,
Aut manibus, via quæ revera est maxima, mentes
Ut credant hominum, quæ mox deducere possit.

t Joannes Apostolus : « Deum nemo vidit unquam : unigenitus Deus, qui est in sinu patris, ille exposuit[3]. » Cum utem id quod inaspectabile et ineffabile est, *Dei sinum* ominasset, hinc quidam eum *profundum* vocaverunt, ut ui omnia comprehenderit, et veluti sinu complexus sit, ec possit quis eum assequi, et sit infinitus. Est quidem erte hæc de Deo disputatio tractatu difficillima. Cum enim ujusvis rei principium inventu longe sit difficillimum : est erte omnino primum et antiquissimum principium diffiile ad demonstrandum, quod quidem est etiam aliis omibus causa ut fiant et facta sint. Quemadmodum enim

[1] 2 Cor. XII, 2, 4.
[2] Pag. 694 et seq.
[3] Joan. I, 18.

dici potuit, quod neque est genus, neque differentia, neque species, neque individuum, neque numerus, sed neque accidens aliquod, neque tale cui aliquid accidit? Neque vero totum recte eum dixerit quispiam : nam de magnitudine totum dicitur, quinetiam totius universitatis pater aliquis est. Sed neque dicendum est esse aliquas ejus partes: in unum enim non cadit divisio. Quinetiam ideo est infinitum, non quod ejusmodi concipiatur ut pervadi non possit, sed quatenus nullam suscipit dimensionem, et finem non habet : et ideo est figuræ expers, et quod nominari non potest. Et si aliquando eum minus proprie nominemus[1], vocantes unum, aut bonum, aut mentem, aut ipsum id quod est, aut patrem aut Deum, aut creatorem, aut Dominum: non id dicimus tanquam nomen ejus proferentes, sed propter veri nominis defectum pulchris utimur nominibus, ut in aliis non aberrans, his inniti possit cogitatio. Non enim singula ex his Deum significant, sed omnia simul omnipotentis indicant potentiam.

12°. Hinc gratiæ necessitatem ad cognoscendum verum deducit[2] :

Restat utique ut divina gratia, et solo qui apud ipsum est Logo, ignotum intelligamus; quomodo Lucas quoque, in Actis Apostolorum, Paulum dicere commemorat: « Viri » Athenienses, per omnia tanquam superstitiosiores vos video; præteriens enim contemplans quæ colitis simulacra inveni et etiam aram in qua scriptum erat, IGNOTO » DEO. Quem ergo ignorantes colitis, eum ego vobis annuntio[3].» ... Dicit autem Plato quoque in Menone, virtutem esse datam divinitus, ut hæc ejus verba ostendunt : « Ex hac

[1] Vide D. Guillon, pag. 418.
[2] Pag. 696 et seq.
[3] Act. XVII, 22, 23.

ergo ratione, o Meno! apparet nobis virtus divina sorte accedere quibus accedit.» Annon tibi videtur *divina sors* am, quæ ad omnes pertingit, gnosticum habitum innuere? pertius autem subjungit : « Sin autem nos nunc in hac tota recte quæsivimus disputatione, virtus nec fuerit natura, nec ejusmodi ut doceri possit, sed divina sorte accedet, non absque mente, iis ad quos accesserit.» Ergo ivinitus data sapientia, quæ est virtus Patris, excitat quiem nostrum liberum arbitrium, admittit autem fidem, ramque et attentionem remuneratur electionis suprema ommunicatione.

13[1]. Gratia lumine superno datur, ministrantibus rophetis, quibus credendum[1] :

Porro autem ipsum quoque tibi adducam Platonem, perte volentem ut credatur Dei filiis. Nam cum de diis ui sub aspectum non cadunt et sunt geniti, verba fesset in Timæo : « Cæterorum qui Dæmones appellantur, et cognoscere, et enuntiare ortum, *inquit*, majus est opus, quam ferre nostrum valeat ingenium. Priscis itaque viris est hac in re credendum, qui diis geniti, ut ipsi dicebant, parentes suos optime noverant. Impossibile sane deorum filiis fidem non habere, licet nec necessariis nec verisimilibus rationibus eorum oratio confirmetur. » Non arbitror Græcis posse manifestius ferri testimonium, Servatorem ostrum, et eos qui uncti sunt in Prophetiam, hos quidem um sint liberi declarati Dei, Dominum autem, cum sit ermanus filius, veros esse testes rerum divinarum. Et leo adjecit, oportere eis credere, cum sint inspirati divinitus. Quod si quis paulo magis tragice dixerit non credendum,

Nam Jupiter non fuerat, hæc qui dixerat :

[1] Pag. 697.

is sciat ipsum Deum per filium prædicasse Scripturas. Fide dignus autem est is qui sua annuntiat: quoniam, «Nemo, » *inquit Dominus*, novit patrem, nisi filius, et cui filius re» velaverit[1].» Est ergo hoc credendum ex Platonis quoque sententia, etiam si *absque probabilibus et necessariis demonstrationibus*, per vetus et per novum Testamentum prædicetur et dicatur.

14°. Philosophorum de Deo opiniones ex sancta Scriptura fuerunt desumptæ[2]:

Verum quæ sequuntur, pertexamus, quæque Græci barbara ex Philosophia suffurati sint, in medium proferamus. Ac primum quidem Stoici Deum ipsum, perinde ut animum, corpore ac spiritu suapte natura constare definiunt. Quod utrumque in Scripturis expressum reperies. Nec enim mihi nunc sensus earum cogites allegoricos cujusmodi ab erudita illa et sapienti veritate traduntur, si forte (ut a peritis in luctatione fieri solet) aliud ostendant, aliud re ipsa exhibeant. At Deum illi naturam omnem permeare volunt, quem nos Effectorem solum, et quidem Verbo Effectorem esse dicimus. Quibus illud Sapientiæ imposuit, «Pervadit autem ac subit per omnia propter suam mundi» tiam[3]:» cum id de illa quam Deus omnium principem creavit Sapientia, dictum esse non intelligerent. Esto, inquiunt: sed tamen Philosophi, nec Stoici tantum, sed Plato, atque Pythagoras, sed etiam Aristoteles Peripateticus, materiam inter principia numerant, non principium unum statuunt. Atqui sciant isti velim, materiam illam quam omni et qualitate et figura carere dicunt, a Platone

[1] Matth. XI, 27. Luc. III, 22.
[2] Pag. 699 et seqq.
[3] Sap. VII, 24.

ıoque non certum quid, sive id quod non est, appellam esse. Annon autem mystice admodum et scienter ut ii verum illud unum principium agnosceret, in Timæo ec habet ipsissima? «Nostra vero, *inquit*, ejusmodi ratio ıst. De Universi seu principio seu principiis, quidve de is sentiamus, in præsentia dicere omittendum, nec alia le causa, quam quod difficile sit, ea quam sequimur dis›utandi via, quæ nobis hoc in genere videantur exponere.» æterum, Propheticum illud, *Terra autem erat invisibilis indigesta*[1], fingendæ hujus materiæ occasionem iis dedit. t Epicurus sane, ut casu ac fortuito omnia fieri diceret, ı animum induxit, quod illius dicti vim non caperet. *Vaitas vanitatum, omnia vanitas*[2]: quemadmodum Aristoteles, t lunari orbe Providentiam definiret, ex illo Psalmo hausit, Domine in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes[3].» Neque enim ante Domini adventum propheticoım adhuc mysteriorum aperiebatur sententia. Jam luenda uoque post obitum supplicia, et illos ignium cruciatus, ım Poëtæ passim omnes, tum Græci etiam Philosophi a arbara Philosophia compilarunt. Plato quidem in ultimo e Republica disertis conceptisque verbis: «Tum enimvero, *inquit*, feri homines, et aspectu ignei, audito mugitu, præsto aderant, aliisque seorsum abductis, Aridæum ac cæteros, manibus simul ac pedibus cervicibusque constrictis, humi afflictos, et cute detracta, foris secus viam laniandos per medias raptabant aspalathos.» Nam isti quilem homines ignei Angelos apud eum significant, qui ırreptos sceleratos puniunt: juxta illud, «Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros ignem urentem[4].» Ex juibus immortalem animum esse consequitur. Quod enim ıut punitur, aut eruditur, id cum sensu præditum sit, viat necesse est, etiamsi pati dicatur. Quid porro? Numquid

[1] Gen. I, 2. — [2] Eccl. I, 2. — [3] Psal. XXXVI, 5. — [4] Id. CIV, 4.

etiam Plato, et ignis fluvios, et illam terræ altitudinem terræ agnovit, quæ a Barbaris gehenna dicitur, quem ipse Tartarum poëtice nominavit: Cocytum præterea, Acherontem, Pyriphlegethontem, et similia pœnarum loca generaque, quibus hominum mores castigentur, invenit? Idem quos ex Scriptura habemus *parvulorum* ac minimorum *Angelos, qui Deum* ipsum *videant*[1], et diligentem illam vigilemque curam, quæ a præsidibus ac tutelaribus Angelis in nos derivatur, aperiens, ita scribere non dubitat: «Ubi »autem, *inquit*, suum quæque vitæ genus, prout cuique »sors obtigerat, animæ omnes delegerint, tum easdem »Lachesim convenire: hanc una cum singulis, quem ipsimet Dæmonem optaverint, eum vitæ custodem futurum »emittere, cujus etiam opera, quæ statuerint omnia, per»ficiantur.» Quod ipsum fortasse attributum illud Socrati Dæmonium innuebat. Præterea quem a Moyse acceperant, mundi ortum Philosophi tradidere. Quos inter Plato diserte, «Semperne fuerit, *inquit*, nullo generationis »ortu, an ortus sit sub aliquo temporis principatu, quandoquidem cernitur et tangitur, et est undique corporatus.» Itemque cum ait, «Atque illum quidem Effectorem ac Pa»rentem hujus universitatis, invenire difficile;» non modo generatum esse mundum ostendit, sed etiam ab ipso Deo, tanquam a patre filium, generatum, quippe quem ab illo uno satum, atque ex nihilo creatum esse velit. In qua de mundi ortu opinione Stoici quoque versantur. Diabolum præterea, quem in Barbara Philosophia toties appellari audis Dæmonum principem, maleficum *Animum* Plato vocat Legum decimo, his verbis: «Numquid necesse est, Animum, »qui rebus omnibus, quæ quoquo versum moventur, et mo»deretur, et insit, ipsum quoque cœlum per sese moderari? »Omnino. Unumne autem, an plures? Plures certe, non

[1] Math. XVIII, 10.

ro vobis respondere juvat. Nec pauciores duobus recte osuerimus, beneficum alterum, alterum maleficum.» em in Phædro hæc habet: «Alia quoque mala sunt, at lerisque Dæmon aliquis præsentem voluptatem admisuit.» Quin et Legum decimo, Apostolicum illud plane præsentat: «Non est nobis colluctatio adversus carnem et anguinem, sed adversus principes et potestates, contra piritualia eorum qui in cœlis versantur[1],» dum ita scrit: «Cum enim jam inter nos ita convenerit, ut cœlum nultis bonis eorumque contrariis, et his quidem pluribus efertum esse fateremur; immortalis profecto pugna hæc it oportet, et incredibili quadam cautione indigeat.» Siiliter mundum agnoscit Barbara Philosophia duplicem, terum intelligentia, alterum sensu perceptum: e quibus chetypus ille sit, hic vero præclari exemplaris imago. Ac iorem quidem illum, quod mente percipiatur, unitati, nc vero qui sensus movet, senario attribuit. Nam et apud thagoreos, senarius tanquam genitalis numerus, conjuum vocatur. Ergo in unitate cœlum illud, quod in ocus non cadit, terramque sanctam, et lucem mente perptam constituit, «In principio *enim*, *inquit*, fecit Deus cœlum et terram: terra autem erat invisibilis.» Quibus inde subjungit, «Et dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux[2].» t in ea mundi procreatione, quam sensus attingit, soliam cœlum condidit (quidquid autem est solidum, idem uoque sensus movet), terramque simul ac lucem, quæ culis cernerentur. Num tibi hoc Plato secutus videtur, um animantium ideis in eo mundo, quem sola mens capit, elictis, formas illas, quæ in sensum cadunt, pro spiritaum generum varietate molitur? Jure ergo Moses concreum ex *terra* corpus esse docet[3], quod *terrenum* a Platone *abernaculum* vocatur: animum ratione præditum cœlitus

[1] Ephes. VI, 12. — [2] Genes. I, 1, 2, 3. — [3] Id. II, 7.

a Deo in faciem inspiratum. Hic enim principis illius facultatis sedem esse volunt, adventitium illum animi primum in parentem per sensus ingressum interpretati. Quocirca hominem etiam, *ad imaginem et similitudinem*[1] Dei factum esse. Imago enim Dei, Ratio divina et regia, homo non patibilis : humana autem mens imaginis imago. Quam similitudinem si alio vocabulo expressam cupis, divinam quamdam assectationem a Mose appellatam reperies; ait enim: «Post Dominum Deum vestrum ambulate, et mandata ejus »custodite[2].» Assectatores autem, opinor, cultoresque Dei sunt, quicumque virtute præstant. Atque hinc Stoici Philosophiæ finem esse dixerunt, congruenter naturæ convenienterque vivere, Plato vero ipsammet cum Deo similitudinem, ut Stromate secundo jam ostendimus. Quia et Zeno Stoicus Platonem, et Barbaram Philosophiam secutus Plato, bonos omnes inter sese amicos esse dixerunt. Socrates enim in Phædro «nefas esse *ait*, ut vel malo »malus amicus sit, aut bonus bono non amicus.» Quod ipsum in Lyside, fuse admodum ostendit, ubi amicitiam cum injustitia et improbitate coli nullo modo posse confirmat. Similiter hospes ille Atheniensis «rem Deo perjucundam esse *docet*, eique congruentem, cujus una quædam sit ac pervetusta ratio; ut simili quidem, si modo erit »modicum, simile amicum sit; immodica vero nec inter »sese, nec modicis amica esse possint : Deus ipse denique »rerum nobis omnium mensura statuatur.» Quibus hæc deinceps Plato subjungit: «Bonus enim omnis bono similis »est; quare uti ad Deum etiam accedit, ita non boni tantum omnis, sed ipsius quoque Dei amicus est.» Qui mihi locus alterum illum sub Timæi finem in memoriam revocat, ubi docet hoc, «Cuivis agendum esse, ut intelligentiæ, vim »rei perceptæ, quatenus pristinæ naturæ ratio postulet, simi-

[1] Genes. I, 26. — [2] Deut. XIII, 4.

em efficiat : quod ubi perfecerit, tum eum vitæ optimæ hominibus a diis propositæ, finem obtinere, qui non præsens modo tempus, sed etiam futurum complectatur. » Illa enim eamdem vim habent quam hæc. Non cessabit qui quærit donec invenerit : cum autem invenerit admirabitur, admirans autem regnabit, regnans autem requiescet. Quid vero? non illa quoque Thaletis quæ ex his sumpta sunt, in sæcula sæculorum Deum gloria affici, et cordis cognitorem a nobis dici aperte interpretatur? Rogatus enim Thales « quid sit Deus : Id, *inquit*, quod neque habet principium nec finem. » Cum autem rogasset alius an Deum lateat homo aliquid agens : Et quomodo, *inquit*, qui ne cogitans quidem? » Porro solum esse bonum id quod est honestum, novit Barbara Philosophia, et virtutem sufficere ad felicitatem, cum dixit : « Ecce dedi ante oculos tuos bonum et malum, vitam et mortem, elige vitam[1]. » Nam quod bonum est *vitam* appellat, et pulchrum ejus electionem : malum autem electionem contrarii. Boni autem et vitæ unus est finis, esse Dei amatorem. « Hæc est enim vita tua et dierum longitudo, » id diligere quod pertinet ad veritatem. Illa autem manifestiora sunt. Servator enim cum *Deum diligere* jussisset *et proximum*, dicit « ab his duobus mandatis totam legem pendere et Prophetas[2]. » Hæc dogmata vulgo jactant Stoici, et ante eos in Phædro precans Socrates : « O Pan et dii alii, date mihi ut intus » sim pulcher. » In Thæteto autem aperte dicit : « Qui enim » pulchre dicit, is pulcher est, bonusque. » Et in Protagora fatetur Protagoræ familiaribus, se eum convenisse qui esset pulchrior Alcibiade : siquidem est pulcherrimum id quod est sapientissimum. Dicebat enim virtutem esse animæ pulchritudinem, contra autem, vitium animæ turpitudinem. Atque Antipater quidem Stoicus tribus quos scripsit libris,

[1] Deut. xxx, 15, 19, 20. — [2] Matth. xxii, 37, 39, 40.

Quod ex sententia Platonis solum honestum est bonum, probat etiam, quod ex ejus sententia sit sufficiens virtus ad beatitudinem : et complura alia adducit dogmata quæ conveniunt cum Stoicis. Ab Aristobulo autem qui fuit tempore Ptolemæi Philadelphi, cujus meminit is qui composuit Epitomen rerum gestarum a Macchabæis[1], multos fuisse libros conscriptos, quibus probat philosophiam Peripateticam ex lege Mosaïca, et aliis dependisse Prophetis. Et hæc quidem ita se habeant. Quinetiam fratres esse nos, tanquam unius Dei filios, ac discipulos Præceptoris unius Plato satis declarare visus est, hunc in modum : « Quotquot, » *inquit*, in civitate versamini (sic enim hanc iis fabulam » pertexemus), fratres estis omnes. Verum fictor ille Deus, » qui ex vobis ad imperandum apti essent, aurum iis dum » procrearentur, admiscuit, ex quo plurimum dignitatis » consecuti sunt. Qui vero ad operam aliis navandam idonei forent, his argentum aspersit : agricolis denique ac » cæteris opificibus ferrum atque æs infudit. » Ex quo id necessario consequens esse ait, ut alii quæ ad cognitionem pertinent, quæ sunt opinionis alii complectantur ac diligant. Forte enim naturam illam eximiam et cognitionis avidam præsentit : nisi potius triplici hoc naturam discrimine, tria Rerumpublicarum genera, ut nonnulli opinantur, informat : ut Judæorum quidem argenteam, Græcorum tertiam, Christianorum, quibus aurum illud plane regium, sanctus, inquam, Spiritus infusus est, auream appellarit. Sane quidem Christianorum ipse vitam his in Theæteto verbis expressit : « Dicamus igitur, *inquit*, de summis illis philosophandi Principibus : quid enim eos moremur, qui Philosophiæ studio perperam abutuntur ? Viam illi, quæ in forum » ducat, ignorant : ubi vel exerceantur judicia, vel senatus, » vel publicum aliud civitatis concilium habeatur nesciunt :

[1] Machab. 1, 10.

ges ac plebiscita, neque dum promulgantur, audiunt; eque perscripta cum fuerint, omnino vident: Sodalitio- rum ad Magistratus creandos factiones, conventus, et commessationes cum tibicinis, horum ipsis quidquam fac- tare, ne per somnium quidem in mentem venit. Rectene, n secus factum in civitate quid fuerit: num cuipiam mali majoribus aliquid obvenerit, magis ipsos latet, quam nu- merus, quod aiunt, arenarum. Atque hæc ille omnia sic gnorat, ut eadem abs sese ignorari nesciat: sed revera olum ejus corpus in civitate versatur et habitat; ipse qui- em interea (ut cecinit Pindarus) supra terram evolat, orumque cœlestium rationes Astronomiæ vi enucleat, aturamque adeo totam penitus investigat.» Jam vero cum ic Domini dicto, *Sit sermo vester, est, est; non, non*[1], terum illud conferri possit, *At mihi nec falsum conce- re, nec verum perimere ullo modo fas est.* Et cum inter- cto nobis jurejurando, congruit illud decimi Legum, omni re laus et juramentum abest.* Et Pythagoras qui- m, Socrates, atque Plato, qui Dei se vocem exaudire nfirmant, dum fabricam hujus universi, quam divina inus et perfecte elaboravit, et conservat perpetuo, con- mplantur; illud omnino Mosis audiere, *Dixit, et factum t*[2], quo Dei vocem opus ipsum esse declarat. Dum autem illa hominis ex pulvere molitione versantur, terrenum issim Philosophi corpus appellant: Homerus vero id etiam precationis loco ponere non dubitat:

At vos in terram cuncti redeatis, et undam.

uemadmodum Esaias dum ait, *Et conculcate ipsos quasi itum*[3]. Et Callimachus diserte:

Erat annus ille, quo volantium cœtus,
Et qui sub undis, atque quadrupes, vocem
Sic proferebat ut lutum Promethei.

[1] Matth. v, 37; Jacob. v, 12 — [2] Gen. 1. — [3] Isai. x, 6.

Idemque rursus :

. . . . Si te ipse Prometheus
Finxit, et ex alio non dedit esse luto.

Hesiodus autem de Pandora :

Vulcanumque jubet terram perfundere lympha
Protinus, atque hominis cum voce infundere mentem.

Jam artificiosum ignem, qui certa ratione ac via feratur in generationem, Stoici naturam esse definiunt : ignis autem ac lucis nomine, Deum aut ejus Verbum allegorice Scriptura significat. Quid autem ? non ipsemet Homerus, aquam abs terra separatam, planeque retectam aridam paraphrasi quadam explicat ? dum ait de Tethyos Oceanique dissidio :

Namque ambos dudum tristis discordia lecto
Complexuque arcet.

Deo præterea summam rebus in omnibus potestatem Græcorum eruditissimi tribuunt. Epicharmus quidem (Pythagoreus autem is fuit) his versibus :

Nil potest Deum latere ; fac ut id mente imbibas :
Ille nos per se intuetur, nec nihil solus potest.

Lyricus vero, sic :

Deus potis est ex profunda
Nocte revocare purum diem :
Nigris dein tenebris
Diei nitidum condere hoc jubar.

Qui solus, inquit, illucescente die, noctem efficere potest, Deus is est. Et Aratus in Phænomenis, hæc habet :

Abs Jove principium, nullo qui tempore nobis
Prætereundus erit. Cujus late omnia Numen
Compita, et omne forum, pontique profunda tumentis,
Atque omnes portus implet : nemoque potenti
Auxilio caruisse queat.

Et rationem subjungit:

. . . . Genus omnis ab illo
Quippe trahit,

Creatione videlicet:

. . . . Qui blanda homines pietate fovendo,
Læta ollis dat signa manu, populosque frequentes
Ultro operi accingit: certo namque ordine cœlum
Sideribus sparsit variis, annique coronam
Texuit, apta suis ut munera quæque notarent
Temporibus, lætoque genus subolescere fœtu
Quodque darent. Huic prima omnes, huic ultima semper
Vota ferunt. Salve, o Genitor, quem suspicit orbis,
Atque boni auctorem sentit.

Et ante Aratum Homerus, in clypeo illo, quem Vulcanus laborarat, mundi procreationem e Mosis exemplari describens, ait:

Fecerat hic terras, cœlumque, salumque profundum,
Astraque purpurea cœlum quæ luce coronant.

Qui enim et Poëtarum, et Oratorum vocibus Jupiter celebratur, is omnino Deum significat. Jam Democritus, ut quoque dicam, « paucos admodum homines lucem intueri *ait*, qui manus ad eum tollant, quem nos Græci aërem nunc vocamus. Quippe fatur omnia Jupiter, omnia novit, dat idem aufertque omnia, omniumque Rex est. » Et Bœotius Pindarus, altiore quodam mysterio, Pythagoreus enim is erat,

Virum, *inquit*, unum est ac Deum genus.
Matre spiritum ambo hausimus ab una.

Matris nomine materiam intelligit, unumque præterea horum Molitorem omnium constituit, quem ipse Parentem ἀριστοτέχναν, hoc est, « optimum ac sapientissimum Artificem nominat, qui pro sua quemque dignitate, ad ipsam quo-

» que Divinitatem provehat. » Platonem enim prætereo, qui palam ac perspicue, in ea quam ad Erastum et Coriscum scribit epistola, Patrem ac Filium, nescio quo pacto, ex Hebraicis litteris palam ac manifeste aperit, ubi sic eos hortatur: « Dum juratis, *inquit*, studio non illiberali, ac stu-» dii sorore doctrina mutuo conjuncti, per Deum ipsum re-» rum omnium sive præsentium, sive futurarum Præsidem, » nec non Præsidis etiam principiique Parentem Dominum » juretis, quem quidem si modo recte philosophabimini, » cognoscetis. » Idem ea quam in Timæo habet concione, Artificem illum Patrem appellat, his verbis: « Vos qui deo-» rum satu orti estis, attendite. Quorum operum ego parens » effectorque sum. » Quare cum idem ita loquitur, « Circa » universorum Regem omnia sunt, ac propter ipsum omnia: » idem bonorum omnium principium est. At circa secun-» dum ea quæ secundo, circa tertium ea quæ tertio ordine » continentur, cuncta versantur: » equidem ista non nisi de sancta Triade accipio, et tertii quidem nomine Spiritum sanctum, secundi vero, Filium intelligo, per quem ex Patris voluntate facta sunt omnia. Præterea Reipublicæ decimo, Eris cujusdam Armenii filii meminit, genere Pamphyli, qui quidem est Zoroastres. Certe Zoroastres ipse ita de se scribit. « Hæc, *inquit*, scriptis mandavit Zoroastres Ar-» menii filius, Pamphylus genere: cum in bello cecidissem, » apud inferos abs diis hæc didici. » Hunc ergo Zoroastrem Plato, die ab interitu duodecimo, jam rogo impositum revixisse memorat. Quibus forte Resurrectionem, forte alterum illud subobscure significat, animos cum recipiuntur in cœlum, per signa Zodiaci duodecim viam inire: per quæ similiter, eosdem ait, cum hic generatio fit, descendere solitos. Nec aliter accipiendum est, duodecim Herculem certamina confecisse, quibus exhaustis, ab universi hujus mundi angustiis animus liberetur. Nec mihi præter-

eundus Empedocles. Physice enim ille sic rerum omnium instaurationis meminit, ut ignis in naturam cuncta olim mutatum iri pronuntiet. Qua in opinione Heraclitus Ephesius manifeste versatur. Is enim mundum unum quemdam sempiternum esse statuit, caducum alterum ac pereuntem agnoscit, at externa specie tenus, quique alius non sit a priore, certa quadam et propria ratione spectato. Nam quod sempiternum illum agnosceret, qui ex universa rerum natura constans, sibi perpetuo similis maneat, diserte profitetur his verbis: « Mundum eumdem, *inquit*, rerum universitatem complexum, Deorum hominumve nemo condidit: sed fuit idem, est, eritque semper, Ignis quidam perpetuo vivens, quique vicissim et accenditur modice, et modice restinguitur. » Quod autem illum ipsum et genitum, et corruptioni obnoxium esse tradiderit, ex sequentibus intelligas: « Sunt enim, *inquit*, ignis conversiones istæ, ut primum ex igni fiat mare, tum pars maris dimidia in terram, dimidia in vaporem igneum abeat. » Nam quod eas conversiones potestate fieri vult, ab eo cujus vi cuncta reguntur Verbo atque Deo, ignem per aërem in humidum converti significat, quod ab eo mare vocatur, exterioris hujus ornatus quoddam quasi semen ex quo deinde cœlum ac terra, quæque amborum sinu continentur, existant. Quemadmodum vero idem sibi reddatur, ac rursus ignescat, plane aperit, dum ita subjungit: « Mare, *inquit*, eodem prorsus modo, eodemque mensionis genere diffunditur, quo priusquam terra fieret. » Quod ipsum de aliis similiter Elementis intellige. Huic affinia docentur a Stoicorum eruditissimis, cum ab iis, de conflagratione, de gubernatione mundi, de eo, qui talis proprie sit, mundo et homine, deque animorum nostrorum permansione disputatur. Rursus Plato ipse Reipublicæ septimo: « Nostrum hunc diem, nocturnum, ob mundi Principes, *opinor*, tenebrarum

» harum[1] : Somnum *vero atque* mortem, » animi descensum in corpus vocavit, Heraclitum secutus. Annon id Spiritus de Servatore nostro Davidis ore prædixit, his verbis : « Ego » dormivi, et soporatus sum; exurrexi, quoniam Dominus » suscipiet me[2]. » Nec enim solam Christi Servatoris resurrectionem, a somno excitationem, sed etiam Domini in carnem descensum allegorice *somnum*[3] appellat. Atque adeo Servator ipse nos ut *vigilemus* admonet, hoc est, ut de vita recte instituenda serio cogitemus, animumque nostrum a corporis complexu abstrahere conemur. Porro diem etiam Dominicum, Reipublicæ decimo, his verbis vaticinatur Plato : « Postquam eo in prato singuli dies septem » constiterint, octavo demum inde proficisci oportet, eo» que quatridui itinere pervenire. » Equidem pratum illud, sphæram stabilem et immotam accipio, qui locus est suavis admodum et placidus, Sanctorumque sedes : at illo dierum septenario, singulos septem planetarum motus, atque omnem efficiendi artem intelligo, quæ ad requietis finem contendit ac properat. Quod autem post errantes illos orbes iter suscipitur, recta perducit in cœlum; is enim octavus est motus atque dies. Denique animos quatriduo proficisci dum ait, iter illud, quod per quatuor Elementa conficitur, declarat. Septimum quoque diem sacrum esse, non Hebræi modo, verum etiam Græci agnoscunt, cujus conversione animantium omnium atque plantarum universitas continetur. Quo Hesiodus ita cecinit :

Lunæ prima dies, tum quarta, et septima sacra est.

Idemque :

Septima jamque dies, læti lux candida solis.

Et Homerus :

Septima sacra dies reserato illuxerat orbi.

[1] Ephes. VI, 12. — [2] Psal. III, 6. — [3] Matth. XXIV, 42, et alibi.

Et:

Septima sacra fuit.

Et rursus:

Septima lux aderat, qua cuncta exacta fuere.

Atque iterum:

Septima ubi orta dies, Acherontis liquimus undas.

Quibus accinit Callimachus Poëta:

Septima jamque dies, qua cuncta exacta, rubebat.

Itemque:

Omine læta dies est septima, septima rerum.

Et:

Ortus, et eximias inter perfecta coruscat.

Et:

Omnia sidereo septena videntur in orbe,
Motibus et propriis certos volvuntur in annos.

Quam diem, uti sanctiorem, ipsæ quoque Solonis elegiæ mirum in modum prædicant. Quid præterea? nonne sacris Litteris congruenter, ubi hæc improborum vox est: «Tollamus justum a nobis, quoniam molestus nobis est[1];» Plato salutarem Christi dispensationem tantum non prænuntians, ita loquitur secundo de Republica: «Justo, *inquit*, illi, qui sic animo comparatus erit, verbera imponentur, injicientur vincula, oculi eruentur. Idem postremo hæc omnia perpessus, agetur in crucem.» Socraticus etiam Antisthenes illam Prophetæ vocem: «Cui me assimilavistis? dicit Dominus[2], *paraphrasi quadam explicans*, Deum nemini similem esse *ait*, quod ejus in cognitionem ullius ex imaginis specie venire nemo possit.» Quibus affinia Xenophon Atheniensis hæc habet ad verbum: «Qui omnia concutiat, idemque tranquillet, eum et magnum et potentem esse

[1] Sap. II, 12. — [2] Isai. XL, 18, 25.

»constat; qua vero specie sit, non liquet. Ac ne sol ipse »quidem, ut lucem quoque versum diffundere videatur, »impune tamen sese videri patitur : quisquis enim in eum »impudenter intueri conetur, visum amittit.»

Quæ caro verum oculis, immortalemque videret,
Cœlestemque Deum, cujus super æthera sedes?
Quippe, nec adversi radiantia spicula solis
Mortales subeant defixo lumine visus;

ut jam olim Sibylla cecinit. Jure igitur ac merito Xenophanes ille Colophonius, Deum unum, et corporis expertem esse docens, ita cecinit :

Maximus idem hominum ac superum Deus unicus ille [est,
Quem mortalis homo non mente aut corpore reddat.

Atque iterum :

. . . . Ast homines generari Numina credunt,
Illaque voce sibi cultuque et corpore prorsus
Assimilant.

Itemque :

. . . . Si manus apta bovi, manus apta leoni,
Pingeret, atque hominum tractare assuesceret artes:
Illa bovi similes superos similesque leoni
Fingeret; acer equus specie formaret equina :
Quisque suo proprium vestiret corpore Numen.

Rursus et Bacchylidem Lyricum ita de Divino Numine loquentem audiamus :

Hi fœdis semper gravibusque morbis indomiti :
Innocentes, nec ulla in re mortalibus similes.

Et Cleanthem Stoicum, cujus in quodam poëmate sunt, quæ sequuntur :

Quidnam bonum sit me rogas? jamjam accipe.
Quod ordinatum est integrum, sanctum, pium,

Suique compos, utile, decens, commodum,
Grave, ac severum, quodque semper conferat.
Metu ac dolore majus, et molestia:
Salubre, jucundum, et sibi consentiens.
Clarum, ac modestum, sedulum, lene, ac potens,
Perenne, labis nescium, ac semper manens.

Tum idem vulgi tacite idololatriam carpens, ista subdit:

Opinionem qui sequitur, haud liber est,
Frustra inde quidquam stultus expectet boni.

Non igitur amplius de Deo est ex vulgi opinione sentiendum:

. . . . . . Haud enim Numen reor,
Hominis scelesti clanculum speciem induens,
Tuum hoc cubile petere, prout homines solent,

inquit Amphion Antiopæ. Sophocles vero plane ac diserte:

Ejus parenti namque nupsit Jupiter,
Non flavus auro, non olor pluma nitens,
Qualis puellæ junctus est Pleuroniæ,
Matremque fecit: ast homo plane integer.

Quibus deinceps hæc attexit:

Notis volucrem postibus gressum intulit
Adulter.

Tunc adhuc apertius impotentem fabulosi Jovis libidinem exponens, ita prosequitur:

Non dextra lympham, non cibum lingua attigit:
At pectus acri saucius morsu, thorum
Init, atque Veneri nocte se tota dedit.

Verum ista theatrorum insaniæ reserventur. Heraclitus quidem perspicue, « homines *ait*, seu prius, seu postquam » audierint, commodæ rationis semper ignoratione versari. » Et Lyricus Melanippides ita cecinit:

Audi me, o Pater! stupor mortalium,
Qui semper viventem animum regis.

Et magnus ille Parmenides, ut ait Plato in Sophista, de Deo hunc in modum scribit:

Nec satus est unquam, nec morti obnoxius ulli,
Integer, unigena, inconcussus, nescius ortus.

Imo etiam Hesiodus:

Te Regem ac Dominum immortalis Turba fatetur,
Non alius tecum imperio contendere possit.

Quin et ipsa quoque Tragœdia, ab idolorum cultu abducens, in cœlum oculos tollere nos docet. Sophocles enim, ut refert Hecatæus Historicus, in eo quem de Abramo et Ægyptiis conscripsit libro, hæc palam vociferatur e scena:

Unus profecto est, unus hic tantum Deus,
Qui cœlum et amplas condidit terræ plagas,
Cærulea ponti terga et infrænes notos.
At nos miselli, pectore errantes vago,
Calamitatum finximus solatia,
Formas deorum saxeas, aut æreas,
Aurove ductas fusili, aut eburneas.
His dum immolamus, dum stato augustos die
Reddimus honores, esse nos remur pios.

Quo eodem ex loco Euripides:

Vides sublime fusum immoderatum æthera,
Qui tenero terram circumjectu amplectitur?
Hunc summum habeto Divum, hunc perhibeto Jovem.

Idem in dramate, quod Pirithoum inscribit:

Te, qui a te ipso es: quique ætherio
Rerum omne genus turbine versas:
Quem clara dies, quem turbida nox,
Et multicolor; quemque astrorum

Vis, non uno lumine fulgens,
Circum assiduo volvitur orbe.

Hic enim *ex sese ortum*, artificem Intellectum vocavit. Quæ sequuntur, ad mundum pertinent, in quo lucis etiam est tenebrarumque conflictus. Similiter Æschylus Euphorionis filius, ita de Deo sane quam graviter :

Æther, solumque est, atque cœlum Jupiter,
Cuncta simul idem est, majus et si quid super.

Platonem quoque novi sentire cum Heraclito, hunc in modum scribente : « Quod unum sapiens est, solum tamen » dici non vult, idemque Jovis nomen amat. » Atque iterum : « Lex est, *inquit*, hujus unius parere consilio. » Quod si altiore sensu dictum illud accipere volueris : *Qui habet aures audiendi audiat*[1], sic ab Ephesio illustratum invenies, « Qui quod audiunt, intelligentia non assequuntur, surdis » illi similes sunt : in quos tritum illud conveniat, præsentes » abesse. » Num vero Græcorum etiam ex ore Principium unum audire gestis? Testem dabo Timæum Locrum, qui libro de Natura sic ad verbum loquitur : « Unum omnium » principium est, quod ortu caret : nam si aliunde ortum » esset, principium jam non esset, sed illud potius unde » ortum haberet. » Quæ opinio, sane vera, ex dicto illo profecta est : « Audi, *inquit*, Israel, Dominus Deus tuus unus » est, eique soli servies[2]. »

Omnibus ecce patet, nulloque errore vagatur,

ut Sibylla cecinit. Jam vero videtur Homerus quoque dicere Patrem et Filium, per aptam, ut videtur, horum divinationem :

Certe cum solus sis vim tibi si afferat Utis ;
Haud ratione queat fugier morbus Jovis ulla,

[1] Luc. XIV, 35. — [2] Deut. VI, 4.

Namque Jovem ægiferum nihilum curare Cyclopes
Suerunt.

Et ante eum Orpheus loquens de eo quod est propositum, dixit :

Nate Jovis magni, pater et Jovis ægiferentis.

Xenocrates etiam Chalcedoniensis, qui *summum Jovem* appellat, *infimum* alterum, Patris nonnullam dat ac Filii significationem. Quodque præter omnem opinionem est, Homerus ipse Numen agnoscere videtur, qui deos introducit humano more sensuque commotos, quem tamen ne sic quidem reveretur Epicurus. Est enim Homeri quod sequitur :

Quid me immortalem porro, mortalis Achille,
Præcipiti cursu insequeris? mea Numina nondum
Scilicet agnosti.

Quo quidem Numen ejusmodi esse declarat, quod nec pedibus, nec manibus, nec oculis, nec toto corpore, mortalis quisquam assequi capereque possit. « Cui similem » fecistis Dominum? aut cui imagini assimilavistis eum? in» quit *Scriptura*. Numquid sculptile conflavit faber, aut auri» fex auro fuso inauravit eum [1]? » et quæ sequuntur. Et Epicharmus comicus in Republica, sic de Logo perspicue :

Humana vita ratione ac numero prorsus indiget,
Numero ac ratione vivimus : ambo nos fovent.

Tum ita diserte :

Ratio mortales regit, moresque servat.

Deinde :

Si est in homine ratiocinatio, est et divina ratio.
Ratio homini innata est, ad casus vitæ varios.
Ratio divina artes cuique moderatur suas :

[1] Isai. XL, 18.

Omnibus per se aperit, quid magis cuique conferat.
Haud enim artem ullam homo reperit, Deus hanc unus
Ratio nimirum hominis, ratione ex divina sata est. [parit.

orro cum Esaiæ voce hæc Spiritus inclamet : «Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus: plenus sum holocaustis hircorum; adipem agnorum, et sanguinem taurorum nolo[1]; » idemque subjungat paulo post : Lavamini, mundi estote, auferte nequitias ex animabus restris[2]: » tum in eamdem sententiam Menander comicus tidem verbis ita scribit:

Si quis, quod hœdi vel bovis, mi Pamphile,
Cruentet aras sanguine, aut aliud deis
Quodcumque mactet; sive, quod docta manus
Laborat arte, purpura ardenti micans
Aurove textum pallium, aut candens ebur,
Viridem aut smaragdum, muta qua moles sinit,
Animantes imitans, offerat; Numen sibi
Credat secundum : mentis hic nimium levis,
Heu graviter errat. Commodis sit moribus
Homo necesse est : virginis casto innocens
Parcat pudori, parcat alieno thoro.
Furti atque cædis inscias servet manus.
Cave ergo vel acum ne appetas, mi Pamphile :
Te quippe nusquam non videt præsens Deus.

leus appropinquans, *inquit*, ego sum, et non Deus de nge. Num faciet aliquid homo in absconditis, et ego on videbo eum[3]? » inquit Deus per Hieremiam. Atque rum Menander illud Scripturæ: «Sacrificate Sacrificium ıstitiæ, et sperate in Domino[4], » paraphrasi quadam exnens, sic ait:

. . . . Neve acum, o suavissime!
Aliena quæ sit, appetas : etenim Deo

Isai. I, II. — [2] Ibid. 16. — [3] Jer. XXIII, 23, 24. — [4] Psal. IV, 6.

Injusta nulla, justa quæ modo sunt, placent.
Feliciorem ducere hunc vitam sinit,
Qui nocte terram, qui die assiduo colit.
Deo sacrifices, æqui ad extremum tenax,
Ut veste munda splendidus, sic pectore.
At cum tonabit, siste, nec pavido gradu
Fugam capesse, quamdiu nil conscius
Ipse tibi fueris: te Deus præsens videt.

Adhuc te loquente, inquit Scriptura, *dicam, Ecce adsum*[1].
Præterea Diphilus comicus hæc habet de Judicio:

Putasne vero mortuos, Nicerate,
Queis omnis omnem fluxit in luxum dies,
Potuisse latebris fugere captatis Deum?
Est oculus ille, est, cuncta qui justus videt.
Duæ, ut statuimus, inferos secant viæ;
Patet una castis, altera scelestos manet.
Quamvis profundo semper inclusum sinu
Utrumque terra teneat. I, rapias licet,
Furere, spolies, misceas. Erres, cave:
Est, est sub alto Dite judicium super,
Cui magnus orbis Dominus ac Rector præest,
Cujus vel ipsum nomen effari horreo;
Quique diuturnam sontibus vitam trahit.
Quod si quis omni scelera molitus die,
Superos latere credit, is novum scelus
Sibi persuadet, justa quod lento manus
Pendere soleat otio. At quisquis Deum
Non esse fingis, prospice infelix tibi.
Deus ille, Deus est. Si quis interea nocens
Impune peccet, habeat in lucro moram.
Namque ipse meritas postea pœnas luet.

Quibus hunc in modum accinit Tragœdia:

Erit ille quondam sævus ac tristis dies,

[1] Isai. LII, 6.

Cum rutilus alto conditos ignes sinu
Effundet Æther : cum rapax flamma hauriet
Ima atque summa, nec modum capiet furor.

Et paucis interjectis :

. . . . . Ast ubi superstes nihil;
Marium profundi gurgites nulli tum erunt,
Labefactum ab imis sedibus vacuo solum
Gremio jacebit. Haud enim vastis procul
Flammis perustum, summa pennatos greges
Mittit sub astra : sed tamen quidquid prius
Fuerit ademptum, recipit ac proprium tenet.

Affinia reperiemus in Orphicis, quæ sequuntur :

Quod prius abdiderat, lætas in luminis auras
Sollicitus sacro cunctos ex corde refudit.

Qui si caste integreque vixerimus, beati quidem hic erimus; at post discessum ex hac vita longe beatiores, nec ullo tempore circumscribetur nostra hæc felicitas, sed quiete fruemur sempiterna,

Cum superis lare conjuncti, mensaque per ævum,
Casibus haud hominum, sævoque dolore subacti,

ut cecinit Empedoclis philosophica Poësis. Adeoque vel ex Græcorum ipsorum mente futurus est nemo, vel tantus, ut judicii vim superet, vel tam pusillus, ut lateat. Quin et Orpheus idem hæc habet:

Divino in Verbo defixis totus inhære
Luminibus, mentisque memor lustrare recessus,
Intactum per iter constanti incedere gressu,
Æternumque unum cœli modo cernere Regem,
Perge alacris.

Mox visu Deum attingi non posse confirmans, uni alicui genere Chaldæo notum illum fuisse testatur, sive Abrahamum dicat, sive filium ejus aliquem, his versibus :

Ast aliquis tantum Chaldæo a sanguine cretus.

Norat enim qua magnus iter sol flectat in orbem,
Æquatosque habilis, circumque immania terræ
Pondera, sed proprio gyros convertat in axe:
Et volucres effusus equos per cærula mundi
Verset agens, aurasque obeat, pelagusque profundum.

Tum quasi dictum illud, « Cœlum mihi thronus est, terra » autem scabellum pedum meorum[1], » paraphrasi quadam explicaret, ista subjungit:

Ille igitur magni supra laquearia cœli
Immotus, solioque micat sublimis in aureo.
Olli planta humiles subter premit ardua terras:
Oceani extremos attingit dextera fines;
Cujus inexhaustum quasi ab radicibus imis
Ferre negant robur nutanti vertice montes.
Atque ut siderea numquam discedat ab arce,
Cuncta tamen nostris præsens molitur in oris,
Principium in sese, ac medium finemque coërcens.
Illa secus memorare nefas, membrisque solutis,
Mecum animo volvens trepido. Nam desuper ipse
Cuncta regit....

et quæ sequuntur. His enim prophetica illa omnia declaravit: « Tu si aperueris cœlum, tremor corripiet; et a conspectu tuo montes colliquescent, sicut a facie ignis liquescit cera[2]. » Itemque hæc Esaiæ: « Quis cœlum mensus est palmo, et universam terram pugillo[3]? » Rursus cum ita cecinit:

Ætheris, o ditisque potens, pelagique, solique,
Qui solidum tonitru quatis alti limen Olympi,
Quemque Lares horrent, metuit quem turba deorum,
Et cui Parca, licet mansuescere nescia, servit.
Matris summe Parens, cujus furor omnia jactat,
Quique cies ventos, et nubibus omnia condis,

[1] Isai. LXVI, 1. — [2] Ibid. I, 2. — [3] Id. XL, 12.

Flammantique procul vastum aëra turbine sulcas.
Astra tuo certos volvunt sub Numine motus.
Longo indefessi solium stant agmine circum
Aligeri, quorum mortalia credita curæ.
Vere tuo nitidis se floribus arva coronant;
Et tua sævit hiems, gelidis sub nubibus acta,
Et tibi debetur Bromii vindemia fœtus.

Tum diserte omnipotentem Deum sequentibus dictis appellat:

Immunem interitu, solis quem dicere fas est
Cœlitibus. . . . .
Maxime tu Divum, fato comitatus adesto,
Ingens, terribilis, cuncto discrimine major, [ronat.
Quem mors nulla domat, quemque ardens Æthra co-

Qui sane dum *Matris* eum *Patrem* nominat, cum rerum ortum ex nihilo significat, tum iis forte qui *proseminationes* illas invehunt, conjugis etiam Deo tribuendæ occasionem dedit. Cæterum illas quoque Prophetarum voces illustrat Esaias (Amos) dum ait: « Ecce ego firmans tonitru, et creans spiritum, cujus manus exercitum cœli fundaverunt[1]; » Et Moses, per quem ita Deus, « Videte, videte, quoniam ego sum, et non est Deus alius præter me. Ego interficiam, et vivere faciam: percutiam, et ego sanabo, et non est qui auferat de manibus meis[2]. »

A lætis solet hic duras summittere rebus,
Ac tristes belli furias, lacrymosaque fata,

ut canebat Orpheus. Quam in rem Parius etiam Archilochus ita scribit: « O Jupiter, tuum quidem est imperium cœli: tu autem opera in cœlis vides improba et justa. » At rursus Thracium Orpheum audiamus:

Oceani extremos complectitur undique fines

[1] Amos IV, 13. — [2] Deut. XXXII, 39.

Dextera, subjectasque premit planta ardua terras.

Quæ quidem ex illis manifeste hausit: «Dominus servabit »civitates quæ habitantur, et orbem universum compre»hendet manu, quasi nidum [1]. Dominus qui fecit terram »in fortitudine sua, *ut inquit Hieremias*, et erexit orbem »in sapientia sua [2].» His Phocylidem adjungas licet, qui Angelos Dæmonum appellans nomine, bonos ex illis alios, alios vero malos ita distinguit, siquidem nos quoque rebelles nonnullos accepimus:

Dæmonibus genus in nostrum non una potestas:
Namque aliis jus est venientem avertere pestem.

Jure ergo idololatriam Philemon comicus ita rescindit:

Fortuna non est ulla quæ fertur Dea,
Non est. At homini quidquid, ut casus tulit,
Acciderit ultro cuique, fortunam vocant.

Et tragicus Sophocles:

Nec superis, *inquit*, pro votis omnia cedunt,
Excepto Jove, principium finemque tenente.

Et Orpheus:

Vis una est, Numenque unum, cœli ignea moles,
Cuncta suo quæ nata sinu convertit in orbem,
Ignem, undas, terram.....

et quæ sequuntur. Lyricus item Pindarus quodam quasi Bacchico furore correptus, ita diserte loquitur:

Quid Deus? Universum.....

et rursus:

Deus omnes procreans mortales.

Dum autem hæc ait:

Quid exiguam tibi sapientiam ab homine homo polliceris?

[1] Isai. x, 14. — [2] Jer. x, 12.

Deum consilia rimari mortali naturæ difficile est.
Est enim mortali matre sata.

x illo Isaiæ loco sententiam hanc derivavit: « Quis novit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit [1]? » Quibus iam Hesiodus hunc in modum accinit:

Haud ullus vivit mortali e semine vates,
Qui Jovis ægiferi sensum cognoscere possit.

uem pariter secutus in Elegiis Solon, jure ita scribit:

Omni homini prorsus mens est ignota deorum.

ulierem præterea Moses, cum ob neglectum Dei præ- ptum, summis in doloribus parituram esse prædixisset, a consentanee Poëta quidam non ignobilis cecinit:

. . . . Sed lux aurea noctem,
Seu lucem nox atra premat, dolor additus illis
Usque aderit: Superique graves immittere curas
Assidue pergent.

omerus ita cum ait,

Auratasque Patris librabat dextera lances,

ei æquitatem significat. Quem eumdem Menander comi- is bonum esse declarans, ita loquitur:

Ut quisque primum natus in lucem venit,
Moderator illi Genius assistit bonus,
Vitamque format. Nam cave malum putes,
Bonæque vitæ noxium.

um subjungit, *omnem bonum esse Deum*, seu Deum om- em bonum appellat, seu, quod vero proprius est, rebus omnibus bonum esse Deum affirmet. Rursum tragicus Æschylus, cum Dei nobis potestatem declarat, altissimum am appellare nil veretur his versibus:

[1] Isai. xl, 13.

Secerne cunctis Numen a mortalibus,
Huic simile corpus ne putes ullum cave.
Ignota res est. Nunc velut flamma emicat
Aditumque prohibet: unda mox, caligo mox,
Mox et tremendæ similis apparet feræ,
Vento, atque nubi, fulguri, tonitruo;
Imbrique similis. Pontus huic, fontes, petræ,
Atque orbe toto quidquid undarum coit,
Obsequitur. Illum montium horrescunt juga,
Tremitque tellus, et sinus vasti maris,
Dum Dominus acri cuncta visu despicit,
Immensa quippe est illa majestas Dei.

Numquid illud tibi videtur illustrare: « A facie Domini tre-» mit terra[1]? » Quin et ipsemet Apollo, divinandi tam peritus, suapte testimonio Dei gloriæ serviens, fateri cogitur, Minervam, quo tempore impetum in Græciam Medi faciebant, vota Jovi fecisse pro Attica. Ejusmodi autem responsum illud est:

Jam magnum placare Jovem, Jove nata Minerva,
Haud precibus votisque potest: ...
Pluribus at Superum templis incendia mittit,
Qui nunc fortassis magno terrore subacti,
Expresso sudore fluunt:

et quæ sequuntur. Thearidas autem in suo de Natura opere, hoc modo scribit: « Universitatis hujus principium, prin-» cipium utique verum unum est. Illud enim ex æternitate » unum est atque solum: »

Haud alius quisquam est supremi a Numine Regis,

inquit Orpheus. Quem secutus Diphilus sententiosissime ait comicus: « Omnium parentem,

[1] Psal. LXVIII, 8.

. . . . . Pia tu mente perpetuo colas,
Et cujus una tot bona existunt manu.

Jure ergo Plato « præstantissima quæque ingenia ad capes-»sendum illud disciplinæ genus assuefacit, quod jam ante »maximum esse diximus, hoc est ad percipiendam boni cog-»nitionem, eoque tandem ascendendo perveniendum. Quod »quidem non jam, opinor, testam convertere fuerit, sed »animum ita circumducere, ut ex nocturno quodam die, »vere ad illud quod est, hac sua conversione redeat, quam »sane veram Philosophiam esse dicemus. » Cujus illi, qui compotes fuerint, aureo genere satos esse pronuntiat, dum it : *Fratres quidem universi estis*. Qui autem ex aureo illo genere sunt, iidem accuratissime de rebus omnibus judicare possunt. Parentis igitur ac rerum omnium Effectoris sen-um ex omnibus aliquem omnia, nativa quadam vi, ac ci-ra ullius disciplinæ adjumentum hauriunt. Et quidem ina-imata cum viventibus affectionum communione jungun-ur, ex animantibus autem vita præditis alia jam immortalia unt, et in diem etiamnum laborant. At ex mortalibus alia metu constituta, maternis adhuc visceribus inclusa ges-antur : alia jam sui juris, suo se consilio arbitrioque re-unt. Jam hominum genus universum in Græcos Barba-osque dividitur : quorum e numero, nulla prorsus usquam ut agricolarum aut pastorum, ac ne eorum quidem, qui civitate degunt, natio est, quæ vitam, absque eo quod jus mentem Naturæ superioris fides occuparit, ducere tue-ique possit. Itaque populi omnes, sive Orientem colant, ive littora Occidentis ultima teneant, sive ad Septentrio-em, sive ad Meridiem habitent, unam et eamdem ejus, a uo institutum hoc imperium est, anticipationem habent : um loca pariter et æqualiter omnia, generales quæque vis lius effectricis actiones complexæ sint. Sed tamen curiosi li e Græcis Philosophi, Barbarorum permoti Philosophia,

multo magis illi, qui nec oculis cernitur, et solus idem ac præpotens, et sapientissimus Artifex est, summusque rerum pulcherrimarum Auctor, providentiam tribuerunt: nec tamen quæ sint ex istis consequentia, nisi a nobis doceantur, pervidere, ac ne modum quidem illum nosse possunt, quem ad Deum cognoscendum natura ipsa præscribit; sed tantum, uti jam sæpe diximus, periphrasi quadam alioqui vera eum circumscribunt. Merito ergo Apostolus: « An Judæorum, *inquit*, solorum est Deus, non etiam Græ»corum [1]? » non solum dicens prophetice, eos qui ex Græcis credunt Græcos Deum esse cognituros, sed illud quoque significans, quod potestate Dominus sit, potestate Deus omnium, et revera omnipotens : cognitione autem non omnium. Neque enim id quod est, neque quomodo Dominus et pater et creator, neque reliquam veritatis norunt œconomiam, nisi ab ipsa didicerint. Similiter etiam prophetica habent eamdem vim cum dicto Apostolico. Nam Esaias quidem dicit : « Si autem dicitis : In Domino Deo nostro confi»dimus, nunc misceamini cum domino meo rege Assyrio»rum. » Et subjungit : « Et nunc num sine Domino ascen»dimus in hanc regionem ut in eam bellaremus [2]? » Jonas autem, ipse quoque propheta, idem tacite significat, cum dicit : « Et accessit ad ipsum is qui proram gubernabat, et »dixit ei : Cur tu stertis? Surge, invoca Dominum Deum »tuum, ut servet nos et non pereamus. » Nam illud quidem, *Deus tuus*, dicens ei qui norat per agnitionem, hoc autem, *ut servet nos Deus*, significavit consensionem gentium adhuc infidelium quæ applicarant mentem ad omnipotentem. Et rursus idem : « Et dixit ad ipsos, Servus Domini »ego sum, et Dominum Deum cœli ego timeo. » Et rursus idem : « Et dixerunt : Nequaquam, Domine, ne pereamus »propter animam hominis hujus [3]. » Malachias autem pro-

[1] Rom. III, 29. — [2] Isai. XXXVI, 7, 8, 10. — [3] Jon. I, 6, 9, 14.

pheta aperte ostendit Deum dicentem : « Sacrificium non » accipiam ex manibus vestris, quoniam ab ortu solis usque » ad occasum nomen meum glorificatum est in gentibus, » et in omni loco mihi offertur sacrificium. » Et rursus : « Quoniam Rex magnus ego sum, ait Dominus omnipo» tens, et nomen meum clarum est in gentibus [1]. » Cujusmodi nomen? In iis quidem qui crediderunt, filius patrem significans : in Græcis autem, Deus creator. Liberum autem arbitrium Plato his ostendit : « Virtus autem non paret » alterius dominio, quam prout unusquisque vel honorave» rit vel neglexerit, ita plus aut minus ex ea possidebit : » eligentis culpa est omnis, Deus autem extra culpam. » Deus enim nunquam est causa malorum. « O Trojani bel» licosi, *inquit Lyricus*, Jupiter regnator superum qui om» nia aspicit, non est mortalibus causa malorum, sed omnibus hominibus in medio est propositum, ut apprehendant justitiam castam et sanctam Eunomiæ comitem et prudentis Themidis. Beatorum o pueri! qui nunc invenistis sociam una habitantem. » Pindarus autem aperte inducit Jovem Servatorem una habitantem cum Themide, Regem, Servatorem, justum, hoc modo : « Primum quidem, bono consilio præditam Themin cœlestem, aureis equis, propter Oceani rupem, Parcæ ad venerabiles Olympi scalas in viam duxere splendidam, ut esset vetus Jovis Servatoris conjux. Ea vero, auro ornatas, et præclarum fructum ferentes, peperit bonas Horas. » Qui ergo non credit veritati, humana autem est doctrina inflatus, miserque est et infelix, et qui, ut ait Euripides, « hæc videns, Deum mente non cogitat, de sublimibus autem rebus disputationis procul tortuosas jacit fallacias, quas indomita temere jaculatur lingua de iis quæ non videntur, nullius certe particeps sententiæ. » Accedens igitur ad veram qui

[1] Malach. 1, 10, 11, 14.

vult disciplinam, audiat Parmenidem Eleaten promittentem:

Æthereamque scies naturam et in æthere cuncta
Signa, et sacrati clarissima lumina solis,
Quæ res obscura est valde : unde et nata fuere.
Et lunæ disces errantia signa rotundæ,
Naturamque scies, cœlum et quod circuit orbem :
Unde sit, utque illud major vis omnia cogens
Vinxit, ut astrorum fines teneat.

Et Metrodorum, qui, etsi fuerit Epicureus, hæc divine dixit : « Memento, Menestrate, quod cum sis mortalis, et » vitam accepisti terminatam, anima ascendisti, donec sæ» culum, et rerum videris infinitatem, tam quæ futuræ sunt » quam quæ fuerunt : » quando cum beato choro, ex Platonis sententia, felicem visionem spectaculumque contemplabimur; nos quidem cum Jove sequentes, alii autem cum diis aliis, et beatissima, si fas est dicere, mysteria peragemus ac celebrabimus, ipsi quidem integri et nulli malorum perpessioni obnoxii, quæ in posteriori tempore nos manserunt : integra autem et quieta visa aspicientes et contemplantes in luce pura, puri et nequaquam hoc obsignati quod nunc corpus circumferentes nominamus eo instar ostrei alligati. Pythagorei autem cœlum appellant ἀντίχθονα, id est, *terram ex adverso sitam*. In qua terra, inquit per Hieremiam : « Collocabo te in filios, et dabo tibi terram » electam hæreditatem Dei omnipotentis, cujus qui fuerint » hæredes erunt reges terræ[1]. »

ARTICULUS III.

CONCLUSIO.

Qualia cum [2] mihi affluant inumerabilia alia adjicienda,

[1] Jerem. III, 19.
[2] Pag. 733 et seq.

ut sit dicendi modus, finem imponam orationi, ne id nobis quoque eveniat quod dicit Agatho tragicus :

Qui cæteras res ut potissimas habent,
Et negligenter quod potissimum est agunt.

Cum ergo aperte, ut arbitror, ostensum sit, quomodo quod *fures* a Domino dicti fuerint Græci, sit intelligendum, libens prætermitto dogmata philosophorum. Nam si eorum quoque verba persequeremur, mox commentariorum innumerabilem colligeremus multitudinem, ostendentes omnem quæ est apud Græcos sapientiam, esse a Barbara sumptam Philosophia. Quam contemplationem nihilosecius ut res postulabit attingemus, quando colligemus opiniones Græcorum quæ feruntur de principiis. Sed hoc quoque nobis ex iis quæ dicta sunt licet tacite considerare, quemadmodum sint legendi libri Græcorum, ei qui scit tranare eorum fluctus.

Divinæ mentis possedit qui bona, felix,

t videtur ex sententia Empedoclis.

Sed miser est, tenebrosa Deum cui opinio curæ.

ognitionem et ignorationem, felicitatis et infelicitatis esse nes divine significavit. « Oportet enim multarum rerum esse gnaros viros philosophos, » ex Heracliti sententia, et vera necesse est

Qui quærit bonus esse, ut multum devius erret.

x iis ergo quæ prius dicta sunt jam est nobis perspicuum, se æternam Dei beneficentiam, et vere æqualem naturam justitiam, a principii experte principio, pro uniuscujusque generis dignitate, ad omnes processisse, quæ nunjam cœpit esse. Neque enim hujus quod est esse Dominum bonum, principium accepit Deus, qui est semper id uod est. Sed neque cessabit unquam benefacere, etiamsi

singula ad finem perduxerit. Est autem unusquisque nostrum beneficentiæ particeps quo usque vult. Differentiam enim fecit electionis, animæ si fuerit digna, optio et exercitatio. Sic ergo quintus quoque liber Commentariorum secundum philosophiam veram Gnosticorum, qui nominatur Stromateus, finiatur.

LIBER SEXTUS.

Agitur in hoc libro, sicut et in sequenti, de Gnostici institutione, cui præludere tantum videtur Pædagogus. Omnia autem cum ordine digesta, sed quasi forsitan occurentia rescribuntur[1]:

In prato quidem qui varie florent flores, et in horto arborum plantatio, non sunt juxta singulorum species a planis alterius cujusvis generis separata : etiamsi quidam, eruditis varie decerptis collectaneis, Prata et Heliconas, et Favos et Peplos, conscripserint: sed iis quæ prout occasio se obtulit mihi venerunt in mentem, et neque ordine neque dictione sunt expurgata, sed de industria dispersa sunt, permixtim nobis instar prati variata est Stromatum descriptio. Quæ cum ita se habeant, et mihi erunt ad me excitandum Commentarii : et ei qui est aptus ad cognitionem, si forte in ea inciderit, ejus quod est utile ac conducibile cum sudore fiet inquisitio. Non solum enim cibum, sed multo magis etiam cognitionem labor præcedat æquum est, is qui per *arctam et angustam* vere *viam*[2] Dominicam, ad æternam et beatam transmittuntur salutem. Nostra autem cognitio, et hortus spiritalis, est ipse noster Servator, in

[1] Pag. 736 et seq.
[2] Matth. VII, 14.

quem implantamur, transpositi et transformati in terram bonam ex vita veteri. Mutatio autem plantationis confert ad fertilitatem et bonitatem fructuum. Lux est autem Dominus et vera cognitio, in quem sumus transpositi.

Priusquam autem incœptum evolvat argumentum de furto Græcorum sermonem aliquantulum prosequitur. Unde, si conclusionem adjicias, triplex sit articulus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE FURTO GRÆCORUM [1].

Priusquam autem aggrediamur id quod est propositum [2], procemii loco fini quinti libri Stromatum addenda sunt ea quæ desunt. Quoniam enim ostendimus, symbolicum dicendi genus esse antiquum, eo autem esse usos non solum prophetas nostros, sed etiam ex priscis Græcis permultos, et non paucos ex aliis barbaris gentilibus, oportebat eorum quoque qui initiantur persequi mysteria. Hæc autem declarare distuli in eum locum, quo ea quæ a Græcis dicta sunt de principiis persequentes, confutabimus; nam hujus quoque contemplationis ostendemus fore mysteria. Cum autem ostenderimus mysticum Græcorum sensum, ex veritate quæ nobis fuit tradita per Scripturas, fuisse illustratum, in quo significato fructum veritatis ad ipsos pervenisse postea, si non sit grave dictu, demonstravimus: age ipsos Græcos furti in seipsos admissi testes adducamus. Qui enim quæ sunt eorum propria tam evidenter a se invicem suffurantur, se quidem fures esse confirmant: vel inviti autem ostenduntur a nobis acceptam usurpasse veritatem, et eis qui erant sui generis clanculum tradidisse. Si enim ne a seipsis quidem abstinent, a nostris vix abstine-

[1] Pag. 737 et seqq.
[2] Vide D. Guillon, pag. 403 et seqq.

bunt. Ac tacebo quidem eorum dogmata in philosophia, cum scriptis fateantur ii qui in sectas distribuuntur, ne ingrati animi criminis convincerentur, se decreta præcipua accepisse a Socrate. Cum autem usus fuero paucis testimoniis eorum qui sermonibus celebrantur, et in magna existimatione habentur apud Græcos, et eorum furandi genus in diversis temporibus abunde convicero, convertar ad ea quæ deinceps sequuntur. Nam cum fecisset Orpheus:

Deterius pejusque aliud quam fœmina nil est;

Homerus aperte dicit:

Deterius graviusque aliud quam fœmina nil est.

Et cum scripsisset Musæus:

Vi longe melior, longe præstantior est ars;

dicit Homerus:

Mente una qui ligna secat non robore vincit.

Et rursus cum fecisset Musæus:

In lucem atque vides almam folia edere terram,
Atque perire alia in ramis, ac rursus oriri
Altera, sic hominum sæclum generatio volvit;

transcribit Homerus:

Ventus fundit humi folia altera, sylvaque rursus
Altera producit viridantia tempore verno:
Nascitur humanum sic sæclum, sicque recedit.

Et rursus cum dixisset Homerus:

De fato functis minime se extollere fas est,

scribunt Archilochus et Cratinus: ille quidem,

Non enim decet defunctos prosequi conviciis:

Cratinus autem in Laconibus:

Terribile est hominibus de mortuis hominibus se valde jactare.

Et rursus Archilochus illud transferens Homericum:

Sum læsus, nec ego pro multis ferre recuso;

hoc modo scribit:

Erravi et aliquem utique alium deprehendit calamitas.

Sicut certe illum quoque versum:

Communis perimit Mars et qui occiderat ante;

ipse transmutans sic protulit:

. . . . Faciam quidem:
Nam Mars pater est communis mortalibus.

Præterea illud quoque transferens:

Omnis in arbitrio victoria posta Deorum est;

per hunc iambum juvenibus etiam aperte addit animum:

Victoria ast sita est Deum in arbitrio.

Rursus cum dixisset Homerus:

Illotis plantis in humo duraque cubantes;

scribit Euripides in Erechtheo:

. . . . . . In solo haud strato cubant,
Pedesque nullis fontibus lavant suos.

Et cum similiter dixisset Archilochus:

Cor alius alio semper oblectat suum;

convenienter illi Homerico,

De factis aliis alius nam gaudia sumit;

dicit Euripides in Œneo:

Sed alius aliis moribus capitur magis.

Audivi autem Æschylum quidem dicentem:

Est qui beatus, is maneat domi decet;
Rem qui gerit male, ille idem faciat quoque;

Euripide similiter in scena clamante:

Felix beatus si quis et domi manet:

cum sic dicat etiam Menander in Comœdia:

Domi manere oportet, et esse liberum,
Aut non beatum illum esse vere dicier.

lursus cum Theognis dicat:

Qui exulat, est illi non ullus fidus amicus;

ecit Euripides :

Procul fugit quivis amicus pauperem.

:t cum dixisset Epicharmus : « O filia, hei mihi, cum quanam fortuna me facis habitare, *et subjungat,* Nunc is alteram maritus sumit adolescentulam, altera autem quærit alium; » scribit Euripides :

Conjungere juveni est profecto turpe anum.
Namque hic adire gestit ad juvenculam,
Sed machinatur ipsa egens illi malum.

ræterea cum Euripides quidem dixisset in Medea:

Etenim mali munus viri haud est utile;

ophocles in Ajace flagellifero, dicit illud iambicum:

Dona hostium non dona sunt, nec proderunt.

ım autem fecisset Solon:

Nascitur ex nimiis opibus petulantia multa;

dem modo scribit Theognis :

Nascitur ex nimiis opibus petulantia pravis.

ıde etiam Thucydides in historiis: « Solent autem, *inquit,* ermulti homines quibus maxime res secundæ aliquanisper evenerunt, fieri insolentes. » Philistus quoque simier eadem imitatur, sic dicens: « Multa autem quæ conenienter rationi feliciter succedunt hominibus, sunt et d famam et ad rerum adversarum cautionem tutiora.)uibus enim præter spem et expectationem res secundæ ccidunt, solent evadere insolentes. » Rursus cum fecisset ıripides:

Ex patre nati matreque itidem qui colunt
Vitam severam, filii sunt optimi;

·ibit Critias: « Incipio autem ab ortu hominis, quemad-

» modum fuerit corpore præstantissimus et fortissimus: si is » qui plantat exerceatur et strenue comedat, et corpus vexet » laboribus : materque futuri infantis et sit robusto corpore » et se exerceat. » Rursus cum Homerus dixisset de clypeo, quem fabricatus erat Vulcanus :

Tellurem mareque et cœlum fabricatus in illo est,
Oceani magnam et vim fluminis indidit illi,

dicit Pherecydes Syrus : « Zas facit magnum pulchrumque » pallium, et varie in eo describit terram et Ogenum et do- » mos Ogeni. » Et cum dixisset Homerus :

Qui pudor ipse hominem multum læditque juvatque;

Euripides scribit in Erechtheo :

Quid de pudore dixero ægre judicem :
Egemus illo, nec nimis magnum est malum.

Ex mutua autem comparatione furtiva loca sumpseris, et ex iis qui simul floruerunt, et in iisdem inter se concertarunt. Ex Euripide quidem in Oreste :

Somni illecebra grata, quæ morbum levas ;

et Sophocle ex Eriphyle :

Abi ad soporem, qui mâlo huic medebitur.

Et Euripide ex Antigone :

Nothum dedit probrosum natura nomine ;

Sophocles autem ex Alevadibus :

Quidquid bonum est, naturam habet talem quoque.

Rursus Euripides quidem in Ctimeno :

Etenim labori commodat manum Deus;

Sophocles autem in Minoe :

Qui nil agunt, iis non fortuna fert opem.

Quinetiam Euripides quidem ex Alexandro :

Ostendet autem tempus, ex quonam indice
Te vel probum vel improbum cognoverim ;

Sophocles autem ex Hippono:

Nihilque celes, quippe cuncta quod videt
Auditque cuncta, tempus illud explicat.

Sed illa quoque similiter persequamur. Nam cum Eumelus fecerit:

Mnemosyne atque Jove est soboles prognata novena;

Solon sic incipit elegiam:

Natæ ex Mnemosyne et Jove, qui est regnator Olympi.

Rursus Euripides illud Homericum paraphrastice circumloquens:

Quisnam hominum es? tibi quænam est patria, quippe pa-
[rentes?

iis iambis utitur in Ægeo:

Dicemus ecqua te relicta patria
Passim vagari ut hospitem? quænam tua
Terra est? tuum quemnam asseris dici patrem?

Quid vero? nonne cum dixisset Theognis:

Potetur nimium si vinum, est res mala: sed si
Utatur bene quis, res bona, non mala fit;

scribit Panyasis:

. . . . Bona res est munere Divum
Vinum quod modicum, immodicum at res pessima vi-
[num?

Quinetiam cum dicat Hesiodus:

Nam tibi pro igne malum reddam quod recreet omnes,

icit Euripides: «Ignis in locum longe profecto pervicacius malum, producta mulier.» Ad hæc cum dicit Homerus:

Perdendus venter nulla ratione repleri
Quit, mala plurima qui miseris mortalibus affert,

scribit Euripides:

Nam cuncta egestas vincit et venter malus,
Ex quo profecto cuncta profluunt mala.

Præterea scribente Callia comico, «Insanientibus aiunt

» oportere omnes insanire : » similiter Menander in Comœdia quæ inscribitur Πωλούμενοι :

Adesse semper non decet prudentiam.
Etiam evenire aliqua oportet.

Et cum dixisset Antimachus Teius :

Ex donis hominum generi mala plurima fiunt ;

fecit Augias :

Namque hominum mentes cum factis munera fallunt.

Cum autem dixisset Hesiodus :

Namque homini melior fuerit possessio nulla,
Conjux quam bona, nil scelerata at pejus habetur;

dixit Simonides :

Uxore nil vir possidet melius bona,
Nec quid scelesta pejus evenit viro.

Rursus cum dixisset Epicharmus, « Ut diu victurus agita » mente, nec tamen diu ; » scribit Euripides :

Quin, cum nihil sit opibus incertum magis,
Fugamus usquam quidquid est molestiæ ?

Similiter cum dixisset comicus Diphilus, *Mutatur usque vita nostra, nec manet ;* ait Posidippus :

Expers molestiæ acta nemini fuit
Vita, beatus nec finem usque ad ultimum
Permansit.

Et alioqui id dicit tibi Plato, scribens de homine quod sit animal mutabile. Rursus cum dixisset Euripides : « O mi- » seranda hominum vita, quam tibi cuncta in præcipiti » stant : modo namque surgis in altum, nunc devergis, nec » tibi certus terminus usquam est, ubi sistat homo, nisi » cum venit, Jovis arbitrio, frigida mœsti finis lethi, » scribit Diphilus :

Nusquam ulla vita est, omnibus carens malis,
Curis, molestiis, ægrimoniis suis,

Quæ cuncta, medici ad instar, una funditus
Mors tollit, ut sopore nos tetigit suo.

Præterea cum dixisset Euripides:

Multæ facies sunt fortunæ,
Multaque præter spes eveniunt;

tragicus similiter Theodectes scribit: « Fluxas vagasque res agi mortalium. » Et cum dixisset Bacchylides: « Apud quos autem mortalium, Dæmoni visum est, ut toto tempore vitam agant mediocrem, et in tempore ad canam perveniant senectam, priusquam incidant infortunia? » scribit Moschion comicus:

Vere beatus ille præter cæteros,
Cui vita semper fluxit æquali modo.

nvenias et cum dixisset Theognis:

Non juvenis vetulo conjux est apta marito,
Quæ, cymba ut clavi, haud audiet imperio:

ristophanem comicum scribentem:

Non fœminæ juveni maritus convenit
Senex.

um autem fecisset Anacreon,

Cupidinem tenellum,
Vittis cano revinctum
Floridis celebrans:
Tyrannus hic deorum est,
Hominesque subdit unus;

cribit Euripides:

Cupido solos quippe non domat viros,
Et fœminarum sæcla, sed cœlum petit,
Divosque turbat, et profunda Nerei.

ed ne nostra longius procedat oratio, dum hoc agimus t ostendamus, quam sint Græci proclives ad furtum, et n orationibus, et in dogmatibus, age adducamus Hippiam ophistam Eleum qui aperte nobiscum facit, et id ipsum

tractabat, quod ad considerandum est nobis propositum. Sic autem dicit: «Ex his fortasse dicta sunt alia quidem ab » Orpheo, alia vero a Musæo breviter, alia alibi: alia autem » ab Hesiodo, alia vero ab Homero, alia vero ab aliis poëtis, » alia vero in iis quæ scripta sunt soluta oratione; alia qui» dem a Græcis, alia vero a Barbaris. Ego autem cum ex his » omnibus ea quæ sunt maxima et ejusdem generis compo» suero, hanc novam et multiformem conficiam orationem.» Ut autem nec philosophiam nec historiam, nec ipsam dicendi facultatem esse immunem ab hac reprehensione ostendam, consentaneum est ut ex his quoque pauca addacamus. Nam cum diceret Alcmæon Crotoniata: «Inimicum » facilius est cavere quam amicum; » in Antigone Sophocles fecit:

. . . . Quippe quod
Perverso amico est ulcus usquam turpius?

Xenophon autem dixit: «Non aliter inimicos læserit quis» piam, quam si videatur esse amicus.» Quinetiam cum in Telepho dixisset Euripides:

Græcine vero serviemus barbaris?

Thrasymachus in oratione pro Larissæis dicit: «Archelao » serviemus, cum simus Græci, Barbaro?» Cum autem fecisset Orpheus:

Lympha animæ est, sed mors est commutatio lymphis:
Ex lympha tellus, lympha ex tellure creatur.
Ex illo autem anima est, integrum quæ aëra mutat;

Heraclitus, ex his, ea quæ ab ipso dicta sunt componens, scribit: «Animabus mors est, aquam fieri: aquæ autem » mors est, fieri terram: ex terra autem fit aqua, ex aqua » vero anima.» Jam vero cum Athamas Pythagoricus dixisset: «Sic oriebatur universi principium, et sunt radices » quatuor, ignis, aqua, aër, terra: ex his enim gignuntur » ea quæ gignuntur;» Agrigentinus fecit Empedocles:

Cunctarum rerum radices quattuor audi; [summum.
Ignem primum, et aquam, et terram, deinde æthera
Ex his præterita, et præsentia, suntque futura.

Et cum diceret Plato: «Propterea Dii quoque qui norunt »homines, quos plurimi faciunt, eos a vita celerius libe»rant;» Menander fecit:

Dii quos amabunt, citius e vita auferent.

Cum autem in Œnomao scriberet Euripides:

Obscura rebus scimus e præsentibus;

in Phœnice autem:

Obscura certis indiciis discimus;

dicit Hyperides: «Quæ autem sunt obscura, necesse est »eos qui docent investigare signis, et iis quæ sunt proba»bilia.» Et cum rursus dixisset Isocrates: «Conjectanda »autem sunt futura ex iis quæ prius facta sunt;» Andocides non veretur dicere: «Opòrtet enim iis quæ prius facta sunt, »utì tanquam signis futurorum.» Præterea cum fecisset Theognis:

Argentum reprobum atque aurum falsamve monetam,
Non ægre sapiens vir reperire queat.
Mentem autem chari num pectore fallat amici
Callidus atque intus corda dolosa tegat,
Hoc reprobum mage nil dii dant mortalibus ægris,
Nec cuiquam facile est hoc reperire tamen;

Euripides scribit:

O Jupiter! cur scire nos auri quidem
Voluisti aperta signa, si quod haud probum est:
At quo malus vir a bono distinguitur,
Non ulla toto est indicina corpore?

Hyperides autem ipse quoque dicit: «Nullus character »animi est in vultu hominibus.» Rursus cum fecisset Stasinus:

Stultus qui natos occiso patre relinquit,

dicit Xenophon : « Mihi enim videor similiter nunc fecisse, » atque si quis, patre occiso, ejus filiis pepercerit. » Et cum Sophocles fecisset in Antigone :

Nam cui pater materque non superstites,
Qui fratrem ab illis alterum expectaverit?

dicit Herodotus : « Nam cum mater et pater non sint am- » plius, fratrem non habebo. » Ad hæc cum dixisset Theopompus :

Bis pueri senes recta ratione,

et ante eum Sophocles in Peleo :

Natum Æaci nunc sola servo in ædibus,
Senemque curo, nutrio, et formo quasi :
Bis quippe puer est, vulgo ut inquiunt, senex,

dicit orator Antipho : « Senis enim nutritio est similis edu- » cationi pueri. » Quinetiam philosophus quoque Plato : « Se- » nex ergo, ut videtur, bis fuerit puer. » Porro autem cum dicat Thucydides : « Et soli Marathonitæ periculum adiisse, » dixit Demosthenes : « Per eos qui Marathone periculum » adierunt. » Sed nec illa omittam, quod cum Cratinus dixisset in Pœtine :

Apparatum quidem fortasse cognoscitis,

dicit orator Andocides : « Apparatum quidem, o Judices ! » vehemensque animi studium et contentionem adversario- » rum meorum omnes propemodum scitis. » Similiter etiam Nicias in oratione de Deposito, adversus Lysiam : « Appa- » ratum quidem adversariorum, et animi studium et con- » tentionem videtis, Judices. » Et post eum dicit Æschines : « Apparatum quidem, o viri Athenienses ! et veluti instruc- » tam aciem videtis. » Rursus cum dixisset Demosthenes : « Quantum quidem, o Athenienses ! fuerit in hac causa » studium, et quam sollicita postulatio ac prehensatio, » existimo vos omnes propemodum sensisse : » et Philinus

imiliter: « Quantum quidem fuerit, o Judices! studium, »et qualis veluti aciei instructio et adornatio in hac causa »dicenda, neminem vestrum ignorare existimo.» Rursus :um dixisset Isocrates: «Perinde ac si esset pecuniæ cognatus, non illius;» Lysias dicit in Orphicis: «At manifeste apparuit, eum non esse cognatum corporum, sed pecuniæ.» Nam cum Homerus quoque fecisset:

Quod si evitato hoc bello mortisque periclo,
Essemus senii expertes mortisque futuri,
Non inter primos vellem hancce capescere pugnam,
Prælia sed nec ego te nunc præclara juberem
Indugredi: verum, innumeras nam sæva pararint
Mortis fata vias, quæ impendent, posse caveri
Nec datur, insignis nobis age fama paretur
Pugna, aut ex nobis alii ingens gloria detur;

cribit Theopompus: «Nam si cum præsens quidem vitassemus periculum, liceret reliquum tempus secure transigere, non esset mirandum si vitæ essemus cupidi. Nunc autem vitæ nostræ tot fatalia imminent pericula, ut mortem in prælio oppetere, videatur esse magis optandum.»)uid vero? annon cum Chilo quoque Sophista dictum ilid enuntiasset: «Sponde, noxa præsto est;» Epicharmus amdem sententiam alio nomine protulit, dicens: «Sponsio est noxæ filia, sponsio vero mulctæ?» Quinetiam cum meicus scripsisset Hippocrates: «Respicere oportet et tempus, et regionem, et ætatem, et morbos;» dicit Euripies in hexametro:

. . . . Qui volunt mederier,
Ut unaquæque poscit urbs et incolæ,
Hos terram oportet nosse, sic morbo manus
Demum admovere.

ursus cum dixerit Homerus:

Dico nulli homini mortem vitare licere;

dicit Archinus, « deberi quidem mortem omnibus homini-
» bus, aut prius aut posterius. » Et Demosthenes : « Nam
» omnibus quidem hominibus vitæ finis est mors, etiamsi
» qui seipsum servet inclusum in cavea. » Et cum dixisset Herodotus, ubi agebat de Glauco Spartano, Pythiam dixisse : *In Deo perinde esse dicere ac facere*, dixit Aristophanes :

Cogitare atque facere sunt idem ;

et ante eum Eleates Parmenides : « Idem est enim, mente
» agitare et esse. » Annon etiam cum Plato dixisset : « Nos
» autem hoc forte ostendemus non absurde, quod visus qui-
» dem est amoris principium : affectionem autem spes mi-
» nuit, alit vero memoria, conservat autem consuetudo ; »
scribit Philemon comicus :

Primo videmus, tum subit mirarier,
Deinde contemplamur, et dein spes venit :
Ita fit amor ex his ?

Quinetiam cum dixisset Demosthenes : « Mors enim nobis
» debetur omnibus, » et quæ deinde consequuntur ; scribit
Phanocles in libro qui inscribitur Amores seu Pulchri,

Parcarum nemo pensi effugit ; haud pote quisquam hoc
Quotquot terra sinu divite mater alit.

Porro autem invenies quoque quod cum Plato dixisset :
« Cujusvis enim plantæ primum quod recte ortum est ger-
» men, ad suæ naturæ virtutem est præcipuum ut apposi-
» tum finem imponat ; » Historicum scribere : « Quinetiam
» nulli plantæ agresti est a natura insitum ut mansuescat,
» ubi teneriorem ætatem præterierint. » Et illud Empedoclis :

Ipse ego namque fui puer olim, deinde puella,
Arbustum, et volucris, mutus quoque in æquore piscis.

Euripides transcribit in Chrysippo : « Nihil ex illis, quæ

» nascuntur, moritur; verum variat forma, monstratque » novam. » Et cum Plato in libris de Republica dixisset *mulieres esse communes*, Euripides scribit in Protesilao :

Communis ipse fœminarum sit thorus.

Quinetiam cum scriberet Euripides ;

Quod namque satis est temperanti sufficit,

Epicurus dicit aperte : *Sufficientia res est omnium ditissima.* Et rursus cum scribat Aristophanes :

Stabili foveris sorte, sis justus modo,
Vives bene expers et tumultus et metus,

dicit Epicurus : *Justitiæ fructus maximus est, vacuitas perturbationis.* Atque furti quidem Græcorum, quod attinet ad sententiam, species cum sint ejusmodi, sufficiant ad exemplum evidens ei qui potest perspicere. Jam vero quod non sententias solum et dictiones suffurati et paraphrastice enuntiaverint, satis planum est, et ostendetur. Quin et furta commisisse integra arguentur. Nam cum quæ erant aliorum, tota omnino surripuissent, enuntiarunt tanquam propria : ut Eugamon Cyrenæus, ex Musæo librum integrum de Thesprotis, et Pisander Camireus Pisini Lindii Heracleam, et Panyasis Halicarnasseus a Cleophilo Samio Œchaliæ captivitatem. Homerum quoque invenias magnum illum poëtam, illos versus :

Atque ut vir nutrit ramum viridantis olivæ,

et quæ deinceps consequuntur, ad verbum transtulisse ex Orpheo de extincto Baccho. Et quæ ab Orpheo in Theogonia facta sunt de Saturno :

Atque is obliquus crassa cervice jacebat,
Ut quem cuncta domans jam somnus ceperat, ...

ea Homerus transtulit ad Cyclopem. Hesiodus autem facit de Melampode ;

Facta autem a superis quæ sunt audire libenter

Par homines: pravi atque boni clarissima sunt hæc
Signa, ...

et quæ deinceps consequuntur, quæ ad verbum accepit a Musæo poëta.... Atque hæc quidem[1] ita se habeant: vita enim me deficiet si velim sigillatim persequi Græcorum furta a nimio sui amore profecta, et quemadmodum pulcherrimorum quæ sunt apud ipsos decretorum sibi vindicant inventionem, quam a nobis acceperunt.

Jam vero non solum convincuntur a Barbaris dogmata surripere sua, sed et imitari quæ apud nos divina virtute ab iis qui sancte vixerunt dum nostri curam gerunt, fiebant admirabiliter et præter opinionem, eaque tanquam Græcas fabulas prodigiose narrantes. Atque eos quidem rogabimus, verane ea quæ scribunt esse dicant, an falsa. Sed falsa quidem non dicent, non enim seipsos sua quidem sponte maxime damnabunt stultitiæ, quod falsa scribant, sed vera esse confitebuntur. Et quomodo eis adhuc videntur incredibilia, quæ per Mosen et alios Prophetas facta sunt miracula? Omnium enim hominum curam gerens Deus omnipotens, alios quidem præceptis, alios vero minis, et nonnullos quidem signis prodigiosis, aliquos vero benignis convertit ad salutem promissis. Verumenimvero cum diuturna siccitas Græciam aliquando affligeret, et fructuum esset maxima sterilitas, qui remanserunt, inquiunt, propter famem Delphos supplices venientes, rogarunt Pythiam, quomodo liberarentur a tam gravi calamitate. Ea respondit, calamitatis unum esse remedium, si uterentur precibus Æaci. Eis ergo morem gerens Æacus, cum in Græcum montem ascendisset, mundis in cœlum extensis manibus communem Deum invocans precatus est, ut afflictæ misereretur Græciæ. Simul ac autem cœpit precari, felix statim tonitru insonuit, et totus aër circumcirca fuit obductus nu-

[1] Pag. 752 et seqq.

bibus. Vehementes autem et continui imbres erumpentes, totam implevere regionem. Hinc efficitur abundans et copiosa fructuum feracitas, qui Æaci, tanquam agricultura, fuere impetrati precibus. « Et invocavit, *inquit*, Samuel » Dominum, et dedit Dominus voces et pluviam in die » messis [1]. » Vides unum esse Deum, qui per subjectas potestates *pluit super justos et injustos* [2]? Plena est autem nostra Scriptura Dei exaudientis, et unamquamque efficientis petitionem, per justorum orationes. Rursus narrant Græci, quod cum Etesiæ venti aliquando deficerent, Aristæus in Ceo sacrificarit Jovi Isthmio : maxima enim erat calamitas, cum ardore omnia essent exusta, et cum venti non spirarent qui solebant fructus refrigerare, eos facile revocavit. Delphi autem, cum Xerxes bello invasisset Græciam, dixisset autem Pythia :

Placate, o Delphi! ventos, jam fata favebunt,

altari posito, et facto ventis sacrificio, eos habuere adjutores. Nam cum circa Sepiadem promontorium spirassent vehementer, Persicæ classis universum apparatum contrivere. Empedocles quoque Agrigentinus Κωλυσανέμας, id est, *venti prohibitor*, fuit cognominatus. Dicitur certe quod cum ex monte Agrigenti gravis quidam aliquando spiraret ventus, qui non solum morbos importabat incolis, sed eorum etiam uxoribus sterilitatis erat causa, fecisse ut is cessaret. Quocirca ipse quoque scribit in versibus :

Indefessorum ventorum flamina tolles,
Qui spirando hominum perdentes arva fatigant,
Cumque voles, eadem tu rursus flamina pones.

Dicebantque aliquos quidem ipsum sequi « qui opus habe» bant divinationibus, alios vero qui gravibus morbis diu » cruciati fuerant. » Atque justos quidem et curationes et

[1] Reg. XII, 18. — [2] Matth. V, 45.

signa et miracula efficere, ex nostris credidere Scripturis. Utque etiam aliquæ virtutes seu potestates movent ventos, et imbres distribuunt, audiant Psalmographum: « Quam » dilecta tabernacula tua, Domine virtutum [1]! » Is est virtutum et principatuum et potestatum Dominus, de quo dicit Moses: ut cum eo simus, « et circumcidite durum cor » vestrum, et cervicem vestram non amplius indurabitis. Dominus enim dominorum et Deus deorum, Deus » magnus et fortis [2], » et quæ deinceps consequuntur. Et Esaias: « Tollite, *inquit*, in altum oculos vestros, et videte quis hæc omnia fecerit [3]. » Porro autem dicunt aliqui pestilentias, et grandines, et procellas, et quæ sunt his similia, non ex sola perturbatione materiali, sed etiam ex aliqua dæmonum, aut angelorum non bonorum ira fieri solere. Jam vero aiunt Magos qui sunt Cleonis, observantes sublimia nubium quæ erant grandines ejaculaturæ, canticis et sacrificiis iram depellere. Quod si forte eis quandoque defuerit animal, suo cruentato digito sacrificant. Mantinica quoque Diotima, Atheniensibus sacrificantibus ante pestilentiam, effecit ut morbus differretur decem annis. Sicut etiam Epimenidis Cretensis sacrificia, iisdem Atheniensibus in tantum tempus Persicum bellum distulerunt. Existimant autem nihil referre an has animas Deos an Angelos dicamus. Jam vero qui sunt eorum doctrinæ periti, in multis templis tanquam Deorum statuas, omnes fere mortuorum loculos posuere, dæmones quidem vocantes eorum animas, eas autem coli ab hominibus docentes, ut quæ divina Providentia propter vitæ puritatem potestatem acceperint, ut ad hominum ministerium locum qui est circa terram obirent. Sciebant enim aliquas animas ex natura corpore teneri. Sed de his cum agetur de Angelis, mox suo tempore disseremus. Democritus autem quod ex cœli et

[1] Psalm. LXXXIV, 1. — [2] Deut. X, 16, 17. — [3] Isai. XL, 26.

sublimium rerum observatione multa prædiceret, cognomen Sapientiæ invenit. Cum itaque eum benigne accepisset frater Damasus, facta e quibusdam stellis conjectura, futuram multam pluviam prædixit. Atque illi quidem ei credentes, fructus collegerunt: nam cum esset æstas adhuc, erant in areis: alii autem omnia amiserunt, cum maxima et inopinata ingruisset pluvia. Quomodo autem sunt Græci adhuc non credituri apparuisse Deum in monte Sina [1], quo tempore ardebat quidem ignis nihil consumens ex iis quæ nascebantur in monte: et tubarum ferebatur sonitus, qui absque ullis inspirabatur instrumentis? Ille enim Dei in montem descensus, divinæ potestatis est adventus, quæ pervadit omnem mundum, prædicatque lucem, ad quam aditus non datur. Talis enim est Scripturæ conveniens allegoria. Cæterum visus est ignis, ut dicit Aristobulus, cum totus populus, qui erat non minus quam centum myriadum, præter pueros et ætate minores, circa montem esset congregatus: esset autem montis ambitus non minor quam quinque dierum. Per totum ergo locum visionis, eis omnibus in orbem utpote castrametantibus, visus est ignis ardens circumcirca. Quo fit ut descensus minime fuerit certo loco terminatus: Deus enim est ubique. Dicunt autem ii quoque qui conscripserunt historias, in Britannia insula esse quamdam speluncam monti subjectam, in fastigio autem hiatum: cum autem ventus in speluncam incidit, et in fossæ sinu alliditur, audiri sonum cymbalorum quæ numerose pulsantur. Sæpe autem cum in sylvis quoque moventur folia, per confertum spiritus impetum, editur sonus avium cantui similis. Cæterum ii qui composuere Persica, in locis quæ in Magorum regione sunt eminentiora, referunt tres montes in longissimo campo ordine sitos: eos autem qui locum transmittunt, cum ad primum quidem

[1] Exod. III, 2; XIX, 18, 19; XX, 18.

montem pervenerint, confusam audire vocem, non secus quam si millia hominum aliquot clamorem ederent in acie: ad medium autem ubi est perventum, majorem simul et evidentiorem strepitum percipere: tandem autem audire in fine canentes pæana, perinde ac si vicissent. Cujusvis autem soni causa est, ut existimo, et locorum lævitas et concavitas. Rejectus itaque qui ingressus est spiritus, in eumdem locum procedens, sonat vehementius. Et hæc quidem ita se habent. Deus autem omnipotens, etsi nihil sit ei subjectum, potest vocem et visionem auditu ingenerare, ut suam indicans majestatem, præter naturalem consequendi ordinem, ad convertendam eam quæ nondum credit animam, ut accipiat id quod datur præceptum. Cum autem esset nubes et mons altus, quare non poterat diversus exaudiri sonitus, dum per operantem causam moveretur spiritus? Quamobrem dicit etiam Propheta: « Vocem verborum » vos audiistis, et similitudinem non vidistis [1]. » Vides quemadmodum vox Dominica, Verbum expers figuræ, Verbi virtus, Verbum Domini lucidum, Veritas quæ de cælo desuper ad congregationem venit Ecclesiæ, per lucidum ac propinquum operabatur ministerium.

Sed et aliud quoque inveniemus testimonium, ad confirmandum, quod cum præstantissimi Philosophi pulcherrima ex iis quæ sunt apud eos dogmata a nobis sumpserint, iis se veluti jactent et glorientur: nempe quod ex aliis quoque Barbaris quædam decerpserint quæ ad unamquamque conferunt sectam, maxime autem ex Ægyptiis, cum alia, tum dogma de migratione animæ in corpora. Suam enim quamdam ac peculiarem exercent Ægyptii Philosophiam. Hoc autem maxime ostendunt sacræ eorum cæremoniæ. Primus autem procedit Cantor, unum aliquod afferens ex symbolis Musicæ. Eum dicunt oportere accipere duos libros ex libris

[1] Deut. IV, 12.

Mercurii : ex quibus unus quidem continet hymnos deorum, alter vero rationes vitæ regiæ. Post cantorem vero procedit Horoscopus, qui in manu habet horologium et palmam, symbola Astrologiæ. Eum libros Mercurii qui tractant de Astrologia, qui quidem sunt quatuor numero, oportet semper habere in ore. Ex quibus unus quidem est de ordine inerrantium quæ videntur astrorum, alius vero de coitu et illuminatione solis et lunæ, reliqui de eorum ortu. Deinceps autem Ἱερογραμματεὺς, id est, scriba sacrorum, pennas habens in capite, et librum in manibus ac regulam, in qua est et atramentum ad scribendum, et juncus quo scribunt, progreditur. Hunc oportet scire et ea quæ vocantur hieroglyphica, et mundi descriptionem, et geographiam, et ordinem solis et lunæ, et quinque errantium, Ægyptique chorographiam et Nili descriptionem, et descriptionem instrumentorum ornamentorumque sacrorum, et locorum eis consecratorum, mensurasque, et ea quæ sunt in sacris utilia. Deinde post eos qui prius dicti sunt, sequitur qui dicitur Στολιστὴς, id est, ornator, qui justitiæ cubitum, et ad libandum habet calicem. Is scit omnia quæ vocantur παιδευτικὰ, id est, ad disciplinam et institutionem pertinentia, et μοσχοσφαγιστικὰ, hoc est, quæ ad ritum mactandorum spectant vitulorum. Sunt autem decem quæ pertinent ad honorem eorum qui sunt apud eos deorum, et Ægyptiam continent religionem : nempe sacrificia, primitiæ, hymni, preces, pompæ, dies festi, et quæ sunt his similia. Post omnes exit Propheta, qui propatulam in sinu gestat hydriam : quem sequuntur qui emissos panes portant. Is, ut qui sit sacrorum præfectus, ediscit libros decem qui vocantur Sacerdotales : continent autem de legibus, et diis, et universa sacerdotum disciplina : Propheta enim apud Ægyptios præest etiam distributioni vectigalium. Sunt ergo quadraginta duo libri Mercurii valde necessarii, ex quibus

triginta quidem et sex, qui continent omnem Ægyptiorum philosophiam, ediscunt ii qui ante dicti sunt: reliquos autem sex παστοφόροι, id est, qui gestant pallium, ut qui pertineant ad medicinam, nempe de constructione corporis, et de morbis, et de instrumentis, et medicamentis, et de oculis, et postremo de mulieribus. Et res quidem Ægyptiorum, ut paucis dicam, sunt ejusmodi. Indorum autem philosophia fuit ipsa quoque valde celebrata. Alexander quidem certe Macedo, cum Indorum decem cepisset Gymnosophistas qui videbantur esse optimi et præstantissimi, sermonisque brevitate cæteris antecellere, quæstiones eis proposuit, eum qui non apte responderet se esse de medio sublaturum minatus. Et cum ex iis quidem majorem natu judicare jussisset, primus quidem examinatus, utros existimet esse plures, vivosne an mortuos: « Vivos dixit, non esse » enim mortuos. » Secundus autem, terrane an mare majores aleret belluas: « Terra, *inquit*, nam ejus quoque pars est » mare. » Tertius autem, quodnam sit animantium callidissimum, quod huc usque non fuit cognitum: « Homo, inquit. » Quartus autem rogatus, quanam ratione moti, Sabba, qui erat eorum princeps, impulissent ad defectionem: respondit: « Volentes eum vel honeste vivere, vel male mori. » Quintus autem rogatus, utrum existimaret fuisse priorem, diem an noctem: « Uno die, *inquit*; » dubiarum enim quæstionum dubias etiam responsiones esse, necesse est. Sextus autem rogatus, quanam ratione fieri posset ut quis maxime diligeretur: « Si cum sit, *inquit*, potentissimus, non fuerit » terribilis. » Septimus autem rogatus, quomodo ex hominibus fieret Deus aliquis: « Si ea, *inquit*, fecerit quæ fieri non potest ut homo faciat. » Octavus autem interrogatus, quid sit fortius, vita an mors: « Vita, *inquit*, quæ tam multa mala » ferat. » Nonus autem examinatus, quousque bene sit homini vivere: « Quousque, *inquit*, non existimet melius esse mori

»quam vivere.» Cum autem jussisset Alexander, ut decimus quoque diceret aliquid, erat enim Judex: «Alius, *inquit*, »alio dixit deterius.» Cum autem dixisset Alexander: «Ergo »tu quoque morieris primus, qui hæc judicas.» «Et quomodo, »*inquit*, o Rex, verax fueris, qui dixisti te primum eum esse »interfecturum qui pessime respondisset?» Et quod omnis generis scriptorum Græci dicti sint fures, satis, ut opinor, pluribus ostensum est indiciis.

Hinc data occasione de cognitione Dei apud Gentiles disserit, allatisque Apocryphorum librorum testimoniis docet Christum et Apostolos apud inferos Judæis simul et gentibus Evangelium prædicasse, ut suam justitiam bonitatemque commendaret; quæ quidem opinio vix ab errore purgari potest, ut videtur apud D. Calmet, in diss. *de Gentilium Salute*.

Deinde, argumentum resumens, illud confirmare nititur plurimorum Ecclesiæ infensorum testimonio[1]:

Princeps Valentinus, in ea quæ est de Amicis homilia, scribit ad verbum: «Multa ex iis quæ scripta sunt in libris »publicis, inveniuntur scripta in Dei Ecclesia. Hæc enim »sunt inania quæ a corde proficiscuntur verba.» «Lex quæ »scripta est in corde, ea est populus dilecti, qui diligitur, »et ipsum diligit[2].» Libros autem communes, sive Judaicas, sive philosophorum dicit Scripturas; communem facit veritatem. Isidorus quoque Basilidis simul filius et discipulus, in primo libro expositionum Prophetæ Parchor, ipse quoque scribit ad verbum: «Dicunt autem Attici quædam fuisse sig»nificata Socrati, dæmone eum consequente. Dicit etiam

[1] Pag. 767.
[2] Rom. II, 15.

» Aristoteles, omnes homines uti dæmonibus, qui eos se-
» quuntur eo tempore quo migrant in corpus, quam cum a
» Prophetis accepisset doctrinam, et in suos retulisset li-
» bros, non tamen unde accepisset eam confitetur. » Et rursus in secundo ejusdem operis sic scribit : « Nec existi-
» met aliquis, quod dicimus esse proprium electorum, hoc
» fuisse prædictum ab aliquibus Philosophis. Non est enim
» hoc eorum inventum, sed cum sumpsissent a Prophetis,
» id tribuerunt ei qui est sapiens ex eorum sententia. » Et rursus in eodem : « Mihi enim videtur, ut ii qui sibi philo-
» sophiam vindicant, discant quid sit quercus alata, et va-
» rium quod in ea est pallium; quæ omnia Pherecydes alle-
» gorice dixit in Theologia, e Chami prophetia ista petens. »

ARTICULUS II.

DE GNOSTICI INSTITUTIONE.

1°. Veræ philosophiæ notio [1] :

Sapientiam (dicimus) solidam rerum divinarum et humanarum cognitionem, firmam quamdam et stabilem, et quæ non potest excidere comprehensionem, et quæ continet ea quæ sunt, et præterita, et futura : quam nos docuit per suam præsentiam et per Prophetas Dominus, estque ejusmodi ut non possit excidere, ut quæ a Verbo sit tradita... Hanc ergo sapientiam concupiscit philosophia, animæ et verbi rectitudinis, et vitæ puritatis : quæ est benevole affecta in sapientiam, et omnia facit ut eam consequatur. Philosophi autem apud nos quidem dicuntur qui amant sapientiam, quæ est omnium opifex et magistra, hoc est, filii Dei cognitionem. Apud Græcos autem dicuntur Philosophi, qui disputationes de virtute suscipiunt.

[1] Pag. 767 et seq.

2°. Veræ philosophiæ origo[1] :

Quod si ita est, ex disciplina cognitio et scientia : si est autem disciplina, necesse est quærere magistrum. Nam Cleanthes quidem sibi magistrum ascribit Zenonem, et Theophrastus Aristotelem, et Metrodorus Epicurum, et Plato Socratem. Sed etsi venero ad Pythagoram, et Pherecydem, et Thaletem, et primos Sapientes, consisto eorum quærens magistrum. Et seu dixeris Ægyptios, seu Indos, seu Babylonios, seu Magos ipsos, non cessabo eorum doctorem requirere. Porro autem te quoque deduco ad primum ortum hominum, et illinc incipio quærere quis fuerit magister: nullus quidem ex hominibus, nondum enim didicerant. Sed nec aliquis ex Angelis: neque enim quomodo indicant Angeli quatenus Angeli, ita audiunt homines. Neque enim quomodo sunt nobis aures, ita est illis lingua : neque instrumenta vocis quis dederit Angelis, labra, inquam, et quæ juxta ea sita sunt, et guttur, et arteriam, et viscera, et spiritum, et aërem qui pulsatur. Multum autem abest ut Deus insonet sanctitate quæ adiri non potest, qui ipse quoque separatus est ab Archangelis. Jam vero Angelos quoque accepimus didicisse veritatem, et qui eis præsunt principatus : ortum enim habuere. Restat ergo ut nos quoque ascendentes, eorum desideremus doctorem. Quoniam autem unum est ingenitum, nempe Deus omnipotens, unum est etiam prægenitum, « per quod omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Unus enim est revera Deus, qui fecit principium universorum[2],» significans primogenitum filium, scribit Petrus, præclare intelligens illud : « In principio fecit Deus cœlum et terram[3]. » Is autem dictus est Sapientia ab omnibus Prophetis, is est magister omnium quæ orta sunt, Dei consiliarius qui præsci-

[1] Pag. 769 et seqq.
[2] Joan. I, 3. — [3] Gen I, I.

vit omnia. Is autem ab alto, a prima mundi constitutione, « multifariam multisque modis[1] » et docuit et perficit. Unde merito dictum est: « Ne dixeritis vobis magistrum super » terram[2]. » Vides undenam ansas acceperit vera philosophia, etiamsi Lex sit imago et umbra veritatis: est enim Lex veritatis umbra. Sed Græcorum nimius amor sui, quosdam homines prædicat doctores. Quomodo ergo ad Deum creatorem omnis recurrit cognatio, ita etiam ad Dominum eorum, quæ bona sunt et honesta, doctrina, et quæ justificat, et quæ ad hoc deducit et fert opem. Si qui autem ex aliqua creatura semina veritatis quomodocumque accepta non enutrierunt, sed terræ sterili et aridæ mandantes, ea herbis suffocarunt agrestibus, quomodo Pharisæi a lege declinarunt, doctrinas humanas inducentes, non est eorum causa magister, sed qui perperam audire voluerunt. Qui autem ex iis crediderunt et Domini adventui et Scripturarum declarationi, ii attingunt cognitionem Legis: sicut etiam philosophi, per doctrinam Domini perducuntur ad agnitionem veræ philosophiæ. « Eloquia enim Domini eloquia casta, argentum ignitum, probatum terræ, purgatum septuplum[3]: » scilicet quod ut argentum sæpe purgatum probatur justus, Domini nummus effectus, et regalem accipiens characterem.

Si ergo[4] et ipsum Christum dicimus sapientiam, et ejus operationem, eam quæ fit per Prophetas, per quam ediscitur traditio Gnostica, ut ipse præsens sanctos docuit Apostolos. Cognitio autem ipsa est, quæ per successionem ad paucos ex Apostolis absque scriptis tradita pervenit.

Nam[5] Paulus quoque in Epistolis non videtur reprehendere philosophiam: sed eum qui ad Gnosticum fastigium

[1] Hebr. I, 1. — [2] Matth. XXXIII, 8, 9, 10. — [3] Psal. XII, 6.
[4] Pag. 770 et seq.
[5] Pag. 771 et seq.

pervenit, non vult amplius recurrere ad Græcam *philosophiam*, eam allegorice vocans *mundi elementa*[1], ut quæ elementa quodammodo doceat, et sit veluti disciplina præcedens veritatem. Quocirca ad Hebræos quoque scribens, qui a fide ad legem reflectebantur: « An rursus, *inquit*, opus » habetis ut vos doceam quænam sint elementa initii elo- » quiorum Dei? et opus vobis esse cœpit lacte, et non solido » cibo[2]. » Similiter autem ad Colossenses quoque qui convertuntur ex Græcis: « Videte ne quis vos deprædetur per » philosophiam et inanem deceptionem, secundum traditio- » nem hominum, secundum elementa hujus mundi, et non » secundum Christum[3], » scilicet alliciens, reverti ad philosophiam quæ elementaris est doctrina. Quod si quis dicat, per hominum intelligentiam fuisse inventam a Græcis philosophiam: atque invenio Scripturas dicentes, intelligentiam esse a Deo missam. Psalmographus certe maximum esse donum existimat intelligentiam, et petit dicens: « Ser- » vus tuus ego sum, fac ut sim intelligens[4]. » Numquid autem multiplicem petens cognitionem, scribit David: « Bo- » nitatem et disciplinam et cognitionem doce me, quoniam » mandatis tuis credidi[5]? » Ubi fatetur Testamenta esse maximæ auctoritatis, et dari solis præstantioribus.... Et quoniam[6] dicunt Græci, præeunte Protagora, inventam fuisse disputandi rationem, qua omni argumento aliud opponeretur, dici convenit etiam aliquid adversus tales orationes. Dicit enim Scriptura: « Qui multa dicit, vicissim quoque » audiet[7]. » Parabolam autem Domini quis intelliget, nisi sapiens et sciens, et qui diligit Dominum suum? « Sit ergo, qui ta- » lis est, fidelis: sit ejusmodi ut possit explicare cognitionem,

[1] Coloss. II, 8. — [2] Hebr. V, 12. — [3] Coloss. II, 8. — [4] Psal. CXIX, 125. — [5] Ibid. 66.

[6] Pag. 772 et seq.

[7] Job. XI, 2.

» sit sapiens in sermonibus discernendis, sit in factis admi-
» rabilis, sit castus et mundus. Eo enim debet esse magis » humilis, quo videtur esse major, » dicit Clemens in epistola ad Corinthios... Porro autem[1] illi qui dicunt philosophiam esse profectam a diabolo, illud quoque sciant, quod Scriptura dicit, *diabolum transfigurari in Angelum lucis*[2]. Quid agentem? Prophetantem scilicet. Si autem prophetat ut Angelus lucis, vera dicit scilicet. Si angelica et lucida prophetat, tunc etiam prophetat utilia... Non est ergo falsa philosophia, etiamsi qui est fur et mendax, per transfigurationem operationis vera dicat. Neque vero propter eum qui dicit, sunt imperite ea prius damnanda quæ dicuntur (quod in iis quoque qui nunc prophetare dicuntur est observandum), sed sunt consideranda quæ dicuntur, an veritatem habeant. Jam vero si juxta communem sermonem, quæcumque sunt vitæ necessaria et utilia, divinitus ad nos venire dicamus, minime errabimus: vel potius si dicamus, ipsam quoque philosophiam Græcis veluti proprium datum esse testamentum, ut quæ sit fundamentum Christianæ philosophiæ, etiamsi qui ex Græcis philosophantur, ad veritatem sua sponte obsurdescant, Barbarorum contemnentes vocem, aut etiam reformidantes mortis periculum quod fideli a legibus civilibus intentatur. Quomodo autem in Barbara philosophia, ita etiam in Græca *seminata* sunt *zizania*[3], a solito agricola zizaniorum: unde etiam et quæ sunt apud nos exortæ sunt hæreses pariter cum bono tritico et genitali: et qui Epicuri impietatem, et voluptatem, et quæcumque alia præter rectam rationem sata sunt, ex præscripto Græcæ tradunt sapientiæ, divinitus datæ Græcis agriculturæ sunt fructus adulterini. Hanc dicit Apostolus *sapientiam hujus sæculi*[4], quæ est scilicet voluptaria, et

[1] Pag. 773 et seq.
[2] 2 Cor. XI, 14. — [3] Matth. XIII, 25. — [4] 1 Cor. II, 6.

nimio tenetur sui amore, ut quæ doceat quæ sunt hujus mundi, et quæ ad ipsum solum spectant, et consequenter, quod ad præfecturam attinet, est subjecta iis qui hic sunt *principibus*[1]. Quamobrem partialis hæc philosophia quodammodo tradit elementa ejus quæ vere perfecta est scientia, quæ versatur circa ea quæ ultra mundum sunt, et percipiuntur intelligentia, et his adhuc magis spiritalia, « quæ » oculus non vidit, et auris non audivit, nec in cor hominis » ascenderunt[2], » priusquam quod de iis est verbum, magister noster nobis aperiat sancta sanctorum, et his præterea sanctiora per ascensum revelet iis, qui germane sincereque et non adulterine sunt hæredes Dominicæ adoptionis.

3°. Veri Gnostici, id est, philosophiæ discipuli, dotes[3] :

Jam enim audemus dicere (hic enim est fides cognitionis), eum omnia scire, et firma comprehensione comprehendere ea etiam quæ sunt nobis dubia et inexplicabilia, qui vere est cognitione præditus : cujusmodi fuit Jacobus, Petrus, Joannes, Paulus, et reliqui Apostoli. Est enim prophetia cognitione plena, ut quæ data sit a Domino, et rursus per Dominum declarata Apostolis... Quanquam[4] dicunt aliqui sapientem hominem persuasum habere, esse quædam quæ comprehendi nequeant, adeo ut non aliter comprehendat, quam quod comprehendit ea, quæ comprehendi nequeant esse incomprehensibilia, quod quidem est commune, et eorum qui parum possunt prospicere. Nam qui est ejusmodi, affirmat esse aliqua quæ compre-

[1] 1 Cor. II, 6. — [2] Ibid. 9.
[3] Pag. 774.
[4] Pag. 775.

hendi nequeant. Gnosticus autem ille, de quo loquor, ea comprehendit quæ videntur aliis nòn posse comprehendi, ut qui credat Dei filio nihil esse incomprehensibile, unde nec esse ejusmodi ut doceri non possit. Qui enim propter suam in nos charitatem passus est, eum nihil quod facit ad doctrinam cognitionis subduxisse æquum est. Fit ergo ipsa fides [1], firma et stabilis demonstratio, quoniam ea quæ a Deo sunt tradita, sequitur veritas. Quod si quis etiam desiderat multarum rerum experientiam, «novit antiqua, » et conjectat futura, scit strophas orationum, et solutiones » ænigmatum. Præscit signa et prodigia, et temporum eventus [2], » discipulus sapientiæ.

Talis enim est Gnosticus, ut in eum eæ solæ cadant affectiones quæ sunt ad conservationem corporis necessariæ, nempe fames, sitis, et similia. Sed in Servatore quidem corpus, ut corpus, necessaria postulare ministeria ut in vita permaneat, fuerit ridiculum. Comedebat enim non propter corpus quod sancta virtute continebatur: sed ne eis qui cum eo versabantur, in mentem veniret de eo aliter sentire, sicut postea quidam existimarunt eum apparuisse visione et phantasmate. Ipse autem, prorsus, passionis erat expers, ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, nec dolor. Apostoli autem cum iram et metum et cupiditatem, per Dominicam doctrinam, Gnostice admodum superassent, ne ea quidem quæ videntur bona ex iis quæ passionem inferunt motionibus, utpote audaciam, æmulationem, gaudium, cupiditatem susceperunt, ut qui propter firmum quemdam et stabilem statum mentis, nihil penitus mutarentur, sed in exercitationis habitu semper manebant alieni ab alteratione, post Domini quidem certe resurrectionem. Nam etsi quis eas, quæ prius dictæ sunt,

[1] Vide D. Guillon, pag. 416.

[2] Sap. VIII, 17, 18.

motiones, si cum ratione fiant, bonas esse concedat: at in perfecto quidem certe minime sunt admittendæ, qui neque habet audaciam: neque enim versatur in rebus gravibus et molestis, cum ex iis quæ sunt in vita, nihil grave molestumve existimet, neque potest eum aliquid hujusmodi abducere a Dei charitate: neque tranquillitate animi opus habet, neque enim in dolorem incidit animive angorem, cum persuasum habeat omnia recte fieri: neque irascitur, neque est enim quod eum ad iram moveat, cum semper Deum diligat, et ad hoc solum totus sit conversus, et ideo ex Dei creaturis nullam habet odio. Sed neque æmulatur, nihil enim ei deest ad assimilationem, quo sit bonus et honestus. Sed neque amat aliquem communi hac amicitia, sed Creatorem diligit per creaturas. Neque ergo in cupiditatem aliquam incidit aut appetitionem, neque quoad animam alterius cujusvis rei indiget, cum jam per charitatem versetur cum dilecto, cui quidem jam est familiariter conunctus per electionem, et per habitum qui procedit ab xercitatione, ei appropinquat continentius, et est beatus ropter bonorum abundantiam. Quamobrem his de causis naxima vi contendit in hoc assimilari Domino ipso ut nulas admittat passiones: est enim Logos Dei intelligens, per uem mentis, sive intelligentiæ, imago in solo homine ceritur: quo respectu etiam Deiformis et Deo similis fit per nimam vir bonus, et rursus Deus est hominis formæ similis. Forma enim uniuscujusque est mens, ex qua proprium suscipimus characterem. Quo fit ut qui peccant in ominem, sint profani et impii. Est enim ridiculum dicere, uod eum qui est Gnosticus et perfectus, non oporteat exindere iram et audaciam, utpote quod absque his neque t adversus ea quæ ingruerint excitandus, neque quæ sunt ravia toleraturus. Sed si etiam cupiditatem ab eo abstulemus, fore ut ab omnibus rebus molestis et asperis contur-

betur et obruatur, et ideo e vita pessime excedat, si non sit ejus particeps, nec, ut quibusdam videtur, eum capiat earum rerum desiderium, quarum capit viros bonos et honestos. Si ergo omnis conjunctio et conciliatio quæ cum iis quæ sunt bona et honesta initur, fit cum appetitione: quomodo potest esse sine passionibus is qui ea quæ sunt honesta expetit? Sed hi, ut videtur, nesciunt divinitatem charitatis. Non est enim utique charitas ejus qui diligit appetitio, sed est benevola conjunctio in unitatem fidei restituens eum qui est Gnosticus, loco et tempore minime indigentem. Qui autem per charitatem jam versatur in iis in quibus est futurus, ut qui spem præceperit per cognitionem, nihil expetit, ut qui, quoad fieri potest, habeat quod est expetendum. Merito ergo manet in uno immutabili habitu, diligens Gnostice.

Sed[1] nec eorum quæ vulgo jactantur bonorum, hoc est, patibilium bonorum quæ propinqua sunt passionibus, est particeps Gnosticus: ut, exempli causa, lætitiæ, quæ adjuncta est voluptati: et mœstitiæ, ipsa enim adjuncta est dolori: et cautionis, subjicitur enim metui; sed nec excandescentiæ, collocata est enim prope iram; etiamsi quidam dicant, ea jam non esse amplius mala, sed bona. Fieri enim non potest, ut qui jam semel est consummatus per charitatem, et inexplebilem contemplationis delectationem æterne et insatiabiliter percipit, eaque fruitur, parvis et humilibus quibusdam et abjectis delectetur. Quæ enim justa ei amplius restat causa cur ad bona mundana revertatur, qui eam acceperit *lucem ad quam non patet aditus*[2], etsi nondum tempore et loco, at illa quidem certe Gnostica charitate, propter quam sequitur hæreditas, perfectaque restitutio? dum is qui mercedem solvit, id per opera

[1] Pag. 777.
[2] 1 Tim. vi, 16.

præstat, quod electione Gnostica, per charitatem prius accepit Gnosticus. Annon enim peregrinans apud Dominum per suam in eum charitatem, etiamsi in terra cernatur ejus tabernaculum, seipsum quidem a vita non educit (non est enim ei permissum), sed animam abducit a passionibus (est enim hoc ei concessum), vivit etiam cupiditatibus suis morte affectis, et corpore non amplius utitur, sed solum ei permittit uti necessariis, ne ei præbeat causam dissolutionis? Quomodo ergo est ei amplius opus fortitudine, qui in malis non versetur, ut qui ne sit quidem præsens, sed totus sit cum eo quem diligit? Quis vero est etiam usus temperantiæ, cum ea non egeat? Tales enim habere cupiditates, ut temperantia opus sit ad eas coërcendas, nondum est mundi, sed ejus qui adhuc movetur animi perturbationibus. Fortitudo autem assumitur propter metum et timiditatem. Non est enim utique decorum, quod Dei amicus, quem Deus prædestinavit ante mundi constitutionem, ut referatur in summam filiorum adoptionem, voluptatibus subjiciatur vel timoribus, et occupetur in comprimendis animi perturbationibus. Audacter enim dixerim, quemadmodum is est prædestinatus per ea quæ aget, et id quod consequetur: ita ipse quoque a se prædestinatum, per eum quem cognovit, habet quem dilexit: nec futurum incertis conjecturis apprehendit, sicut plerique vivunt conjectantes, sed per fidem Gnosticam, accepit id quod est incertum et obscurum aliis: et per charitatem jam est ei præsens id quod est futurum. Credidit enim, et per prophetiam, et per præsentiam, Deo qui non mentitur, et habet id quod credidit, et obtinet promissionem: veritas autem est qui promisit, et finem promissionis, propterea quod fide dignus sit is qui promisit, firmiter accepit per scientiam. Is autem qui eum in quo est statum, novit esse firmam futurorum comprehensionem, futuro occurrit per charitatem. Ideoque nec optabit

quidem consequi ea quæ hic sunt[1], cui persuasum est fore ut consequatur ea quæ vere bona sunt, sed semper optabit talem, quæ ipsum voti compotem reddet fidem tenere: et præterea quamplurimos fieri sibi similes ad Dei gloriam, quæ perficitur per ipsam cognitionem.

Ad omnem[2] bonam actionem semper præsto et paratus, omnia gravia et molesta solitus despicere: quando aliquid sustinere oportuerit, nihil temerarium, neque quod sibi et Reipublicæ non conveniat, unquam peragens, providus ac prospiciens, et qui minime flectitur voluptatibus tam iis quæ vigilanti, quam iis quæ somnianti accidunt. Tenui enim diætæ, et frugalitati assuefactus, est temperans, et expeditus cum gravitate, paucis ad vitam necessariis indigens, nihil quærens quod sit supervacaneum: sed nec hæc per se et tanquam res præcipuas, sed quæ ad vitæ communionem, ut peregrinationi carnis necessaria, quantum necesse est admittens.

Præcipua enim est ei omnium rerum cognitio. Per consequentiam ergo iis quoque attendit quæ exercent ad cognitionem, sumens ex unaquaque disciplina id quod confert ad veritatem. Ex Musica ergo, persequens proportionem quæ est in iis quæ sunt apte composita: in Arithmetica autem, annotans augmenta et decrementa numerorum, et relationes inter se invicem, et quod pleræque res subjectæ sint proportioni numerorum: et Geometricam ipsam essentiam in seipsa contemplans et ei se assuefaciens, aliquod continuum intelligentia percipit spatium, et immutabilem essentiam, quæ est a corporibus hisce diversa. Et rursus ab Astronomia a terra mente elevatus, cum cœlo in sublime tolletur, et simul cum astrorum conversione circumagetur, semper considerans divina, et eam quæ est inter se invicem consensionem, a quibus adductus Abraham

[1] Vide D. Guillon, pag. 405.

[2] Pag. 779 et seq

ascendit ad cognitionem ejus qui creaverat. Quinetiam Dialectica utetur Gnosticus annotans divisionem generum in species; et admittet eorum quæ sunt distinctionem, donec attigerit prima et simplicia.... Clamavit autem David[1] : *In æternum non commovebitur justus* [2]. Neque ergo fallaci oratione, neque falsa voluptate : unde neque movebitur a sua hæreditate. *Ab auditione ergo mala non timebit* [3]. Neque ergo ab inani calumnia, sed nec a falsa opinione quæ eum circumstat : sed neque callidas pertimescet orationes, qui eas sic potest discernere ut et ad interrogandum recte et ad respondendum sit paratus : est enim Dialectica, veluti vallus quidam, ne veritas conculcetur a Sophistis.... Gnosticus [4] disciplinis utatur, tanquam præviis exercitationibus, quibus adjuvatur tum ad veritatem accurate, quatenus licet, et inconcusse trahendum; tum ad improbos sermones, qui veritatem excindere moliuntur, pulsandos. Non erit igitur eorum ignarus, quæ ad Encyclicas disciplinas, et Græcam philosophiam percipiendas conducunt; sed hæc non addiscet primario ac sui gratia, sed secundaria quadam ratione, necessitate ac circumstantiis id exigentibus. Quibus enim improbe et malitiose utuntur hæresium patroni; iis recte utetur Gnosticus.

Ei autem [5] qui decerpit id quod est conducibile ad usum Cathechumenorum, præcipue eorum qui sunt Græci (*Domini autem est terra et plenitudo ejus* [6]), non est abstinendum a studio doctrinæ, instar brutorum animantium... Est ergo [7] attingenda Musica ad mores ornandos et componendos. Certe etiam in convivio nobis invicem psallendo

[1] Pag. 780.
[2] Psal. CXII, 6. — [3] Ibid. 7.
[4] Pag. 781.
[5] Pag. 784.
[6] 1 Cor. x, 26.
[7] Pag. 785.

propinamus, nostram lenientes cupiditatem, et Deum glorificantes propter copiosam donationem eorum quibus fruuntur homines, et quod perpetuo suppeditet nutrimenta ad augmentum corporis et animæ. Est autem supervacanea respuenda Musica illa nimis artificiosa, quæ frangit animos et varie afficit passionibus, ut quæ sit aliquando quidem lugubris, aliquando vero impudica et incitans ad libidinem, aliquando autem limphata et insana. Eadem ratio est etiam de Astronomia : ea enim cum rerum sublimium cognitione, de figura universi, et cœli conversione, et astrorum motione agens, ad creantem virtutem propius adducit animam, docetque nos facile sentire tempora anniversaria, mutationem aëris, ortusque et occasus siderum. Unde ars etiam navigandi et Agricultura, plurimam ex ea capit utilitatem : sicut Architectura, et ars ædificandi, ex Geometria. Efficit autem quam maxime hæc quoque disciplina ut anima sit ad percipiendum promptior, et verum perspiciat, et falsum arguat, certasque assensiones inveniat et proportiones, adeo ut venetur simile in dissimilibus : inducitque nos ut inveniamus longitudinem absque latitudine, et superficiem quæ caret altitudine, et punctum quod nullas habet partes, et a sensilibus nos traducit ad ea quæ percipiuntur intelligentia. Philosophiam ergo adjuvant disciplinæ, et ipsa Philosophia ad tractandum de veritate. Ecce enim chlamys primum fuit vellus, deinde carptum fuit, et subtegmen stamenque factum est, deinde fuit contextum. Oportet ergo animam prius esse præparatam, et varie elaboratam, antequam optima evadere poterit.

Cum autem [1] propter proximorum utilitatem, alii quidem se conferant ad scribendum, alii vero ad verbum tradendum se comparent, cum alia doctrina est utilis, tum Scripturarum Domini lectio est necessaria ad eorum quæ di-

[1] Pag. 786.

mtur demonstrationem, præcipue si ii qui audiunt accedant ex Græcorum scholis. Quamdam talem Ecclesiam des:ibit David : « Astitit regina a dexteris tuis in vestitu deaurato, circumdata, variegata[1] : » Atque iterum Græcis, ; aliis præstantibus « aureis fimbriatis circumdata et variata[2]. Veritas autem per Dominum : Consilium *enim* tuum, *inquit*, quis novit, si non tu dederis sapientiam, et miseris sanctum tuum Spiritum ab altissimis, et ita correctæ fuerint viæ eorum qui sunt in terra, et didicerint homines ea quæ tibi placent, et salvi fuerint sapientia[3]? » Nam Gnosicus, per Scripturam novit antiqua, et conjicit futura: cit strophas orationum, et ænigmatum solutiones : præscit igna et prodigia, et eventus temporum, ut prius diximus. 'ides fontem disciplinarum manare a sapientia.

Gnosticus[4], et justus, et sanctus, cum prudentia conndit pervenire ad mensuram perfectæ ætatis. Quod autem on solum actiones et cogitationes, sed etiam verba sint ıunda ei qui est cognitione præditus : « Probasti cor meum, visitasti me noctu, *inquit*, inflammasti me, et non inventa est in me iniquitas. Ne loquatur os meum opera hominum[5]. » Et quid dico opera hominum? scilicet ipsum gnoscit peccatum, non id cujus ipse agit pœnitentiam; st enim hoc commune aliorum quoque fidelium, sed quodumque est peccatum : neque enim certum aliquod conemnat, sed simpliciter omne peccatum : neque quod uis male fecit, sed quod non sit faciendum, adducit. Inde est etiam duplex pœnitentia : una quidem communis, ropterea quod peccaverit : altera vero, cum peccati nauram didicerit, primo loco persuadet ab ipso desistere peccato, cui est consequens ut non peccet. Ne ergo di-

[1] Psal. XLV, 3. — [2] Ibid. 13, 14. — [3] Sap. VII, 17, 18.
[4] Pag. 788.
[5] Psal. XVII, 3, 4.

cant, quod qui facit injuriam et peccat, delinquit per dæmonum obsessionem : sic enim nulli esset culpæ affinis. Cum autem in peccando eadem eligat quæ dæmones, et sit instabilis, et levis, et varius in cupiditatibus ut dæmon, fit homo dæmoniacus. Jam qui est natura quidem malus, cum propter vitium factus sit peccator, redditus est improbus, id habens quod sponte elegit : ad peccatum autem cum sit pronus, in actionibus etiam peccat : contra autem vir bonus se recte gerit.

Quocirca[1] Gnosticus circumscribit cupiditates, et quoad possessionem, et quoad usum, nec transilit necessitatis terminum. Hic ergo vivere necessarium existimans *ad augendam* scientiam et parandam cognitionem, non ipsum vivere, sed bene vivere faciet plurimi. Neque filios, neque rursus matrimonium, aut parentes præferens charitati in Deum, et ei quæ est in vita justitiæ. Uxor autem ei fit soror post liberorum suceptionem, eodem loco habetur ac si esset eodem patre nata, tunc solum viri recordans, quando filios aspexerit, ut quæ sit revera futura soror post carnis depositionem, quæ dividit et distinguit cognitionem spiritualium, proprietate sexuum. Ipsæ enim per se pares sunt animæ : animæ neutræ, nec masculæ, nec fœminæ, quandoquidem neque uxores ducunt, nec nubunt.

Orat ergo[2] Gnosticus etiam cogitatione omni hora per charitatem Deo conjunctus, et familiaris effectus. Et primum quidem petet remissionem peccatorum, postea non amplius peccare : deinde posse benefacere, et omnem quæ facta est per Dominum creationem et dispensationem intelligere, ut *mundo corde*[3] effectus per agnitionem quæ est per Filium Dei, *facie ad faciem*[4] in beati spectaculi mysterio

[1] Pag. 790.
[2] Pag. 791.
[3] Matth. v, 8. — [4] 1 Cor. xiii, 12.

initietur, exaudiens Scripturam quæ dicit : *Bonum est jejunium cum oratione*[1]. Jejunia autem significant omnem generaliter abstinentiam ab omnibus prorsus malis, tam quæ actu fiunt, quam quæ verbis, et ipsa cogitatione. Est ergo, ut videtur, justitia quadrata, omni ex parte æqualis et similis, in verbo, in facto, in abstinentia a malis, in beneficentia, in perfectione cognitionis, nusquam ullo modo claudicans, ne videatur injusta et inæqualis. Quatenus ergo est aliquis justus, est omnino is quoque fidelis : quatenus autem est fidelis, nondum est etiam justus. Justitiam dico quæ fit per profectum et consummationem, per quam Gnosticus justus dicitur. Jam vero Abrahæ qui factus fuerat *fidelis, reputatum est ad justitiam*[2], ut qui processerat ad id quod est fide majus et perfectius. Non enim qui abstinet solum a mala actione, est justus, nisi præterea ipsi accedat ut et benefaciat, et cognoscat, propter quam causam abstinendum quidem sit ab his, illa vero sint agenda. Per *arma justitiæ dextera et sinistra*[3], dicit Apostolus justum transmitti ad summam hæreditatem, his quidem munitum, illis vero etiam agentem. Non enim solum armaturæ tegumentum, et abstinentia a peccatis, sufficit ad perfectionem, nisi assumpserit etiam opus justitiæ, scilicet bene agendi vim. Tunc autem perfecte instructus et Gnosticus factus justitia conspicitur, jam hinc non secus ac Moses, *facie*[4] animi glorificatus, quam quidem prius diximus corpus characterem tribuens justæ animæ. Nam quemadmodum tinctura lanæ indita in ea manens, proprietatem quamdam et diversitatem ab alia lana tribuit : ita etiam in anima transit quidem labor, manet autem quod est bonum et honestum : et quod jucundum quidem est relinquitur, quod turpe autem est abstergitur. Hæ sunt enim qualitates, quæ

[1] Tob. XII, 8. — [2] Gen. XV, 6. Rom. IV, 3. — [3] 2 Cor. VI, 7. — [4] Exod. XXXIV, 29.

utrique animæ formam et characterem tribuunt, ex quibus una quidem cognoscitur esse glorificata, altera vero condemnata. Certe sicut ex vita juste acta, et ex ea quæ continenter ei intercedebat cum Deo loquente consuetudine, Mosis vultui insidebat glorificata quædam coloris species: ita etiam justæ animæ divina quædam vis bonitatis inhærens per inspectionem, prophetiam, et administrantem vim, quasi radii intellectualis, perinde atque caloris solaris, quiddam imprimit conspicuum justitiæ signaculum, lucem animæ unitam per charitatem continuam, quæ Deum fert et a Deo fertur. Hinc quæ Servatori Deo fit assimilatio, exoritur Gnostico, qui quidem evasit perfectus, quantum licet humanæ naturæ, *sicut pater*, inquit, *qui est in cælis*[1].

Qui ergo[2] primum suis passionibus moderatus est, seque exercuit ut impatibilis evadat, et crevit ad beneficentiam Gnosticæ perfectionis, est hic quidem æqualis *Angelis*: jam autem lucidus, et tanquam sol resplendens per beneficentiam, contendit justa cognitione per Dei dilectionem, ad sanctam mansionem, sicut Apostoli... Licet ergo[3] nunc eis quoque, qui se in Dominicis exercuere mandatis, et perfecte ac Gnostice vixere convenienter Evangelio, ascribi in numerum Apostolorum. Hic est revera presbyter *Ecclesiæ*, et verus diaconus, id est, minister Dei voluntatis, si faciat et doceat quæ sunt Domini, non ut qui ordinetur ab hominibus, neque quod sit presbyter justus censeatur; sed quod sit justus referatur in presbyteratum. Et licet hic in terris non fuerit prima sede honoratus, sedebit in quatuor et viginti thronis populum judicans, ut dicit Joannes in Apocalypsi... Nam hic quoque in Ecclesia progressiones, episcoporum, presbyterorum, diaconorum sunt, ut ar-

[1] Matth. v, 48.
[2] Pag. 792.
[3] Pag. 793 et seq

bitror, imitationes gloriæ Angelicæ, et illius œconomiæ ac dispensationis, quam dicunt Scripturæ expectare illos, qui insistentes vestigiis Apostolorum, vixerunt in perfectione justitiæ convenienter Evangelio. Hos sublatos in nubibus scribit Apostolus, primum quidem diaconos futuros, deinde cooptandos esse in presbyteratum profectu gloriæ (*gloria enim differt a gloria*): donec creverint in *virum perfectum*.

Qui sunt tales, ut ait beatus David, *requiescent in monte sancto Dei*[1], suprema scilicet Ecclesia, in qua congregantur Dei philosophi, qui vere sunt *Israëlitæ mundi corde, in quibus nullus est dolus*[2], qui non permanserunt in septenario quietis, sed Deo assimilati bonorum operum affectione, ad octonarii beneficentiæ hæreditatem sublati sunt, insatiabilis contemplationis puræ ac sinceræ speculationi attendentes.

Fidelis[3] etsi e carne exierit, necesse est ut vitia deponat, ut possit ad propriam pervenire mansionem. Plus est autem cognoscere quam credere: sicut etiam quam salvum esse, majus est postquam salvus factus est, supremo honore dignum esse habitum. Cum ergo per multam disciplinam vitia exuerit fidelis noster[4], transit ad maximum supplicium quod est melius priori mansione, inferens secum proprietatem pœnitentiæ eorum peccatorum quæ admisit post baptismum. Discruciatur ergo adhuc amplius, cum vel nondum, vel ne omnino quidem ea assequatur, quorum videt alios esse participes. Præterea autem pudore afficitur ob ea quæ deliquit (quæ quidem sunt fideli maxima supplicia). Bona est enim Dei justitia, et justa est ejus bonitas. Et licet cessaverint cruciatus in implendis quas luunt pœnis, et expiandis quæ admissa sunt ab unoquoque delic-

[1] Psal. xv, 1. — [2] Joan. 1, 47; Matth. v, 8.
[3] Pag. 794 et seq.
[4] Vide D. Guillon, pag. 406.

tis, habent tamen maximum permanentem dolorem, quod cum sint inventi digni alio ovili, non una sint cum iis, qui sunt gloria affecti propter justitiam. Jam vero Salomon *sapientis* nomine Gnosticum intelligens, hæc dicit de iis qui mirantur dignitatem ejus mansionis : « Videbunt enim mortem sapientis, et non intelligent quid de eo decreverit, et » ad quid eum stabilierit Dominus [1], » et dicent de ejus gloria : « Is est quem aliquando habuimus in derisum, et in » parabolam opprobrii, insipientes. Vitam ejus existimavimus insaniam, et mortem ejus ignominiosam. Quomodo » est enumeratus inter filios Dei, et in sanctis est sors ejus [2].»

« Dominus *ergo* [3], *inquit*, dat mihi linguam disciplinæ: » ut sciam *in tempore*; quando oporteat loqui sermonem [4],» non solum in ferendo testimonio, sed etiam in interrogando et respondendo. « Et disciplina Domini aperit os meum [5].» Est ergo Gnostici ut sciat uti sermone, et quando, et quomodo, et apud quos oportet...

Jam vero « oleaster inseritur in pinguedine oleæ [6]: » quinetiam nascitur eadem fere specie qua oleæ sativæ. Nam id quod est insitum, pro terra utitur, arbore in qua inseritur. Omnes autem plantæ simul jussu divino germinarunt. Quocirca etiamsi sit oleaster agrestis, eos tamen coronat qui in Olympicis vincunt certaminibus. Et ulmus vitem in altum extollens, eam docte esse fertilem. Videmus autem plus nutrimenti attrahere agrestes arbores, propterea quod non possint concoquere. Quæ sunt ergo agrestia, minus concoquunt quam sativa: et causa cur ea sint agrestia, est privatio facultatis concoctricis. Plus ergo nutrimenti accipit inserta olea, propterea quod sit plantata in agresti. Assuefit autem veluti concoquere nutrimentum, dum assimilatur pinguedini sativæ

[1] Sap. IV, 17. — [2] Id. V, 3, 4, 5.
[3] Pag. 799 et seq.
[4] Isai. L, 4. — [5] Ibid. 5. — [6] Rom. XI, 17.

Sic etiam Philosophus, qui agresti oleæ assimilatur, cum multa habeat non concocta, propterea quod et libenter inquirat, et facile assequatur, et pinguedinem appetat veritatis, si per fidem, divinam acceperit virtutem, in bonam et mitem insertus cognitionem, tanquam oleaster insitus in Logon vere pulchrum et misericordem, et quod traditur nutrimentum concoquit, et fit bona et sativa olea. Insitio enim eas quæ erant inutiles facit generosas, et quæ erant steriles, cogit esse fertiles, arte agriculturæ, et scientia Gnostica. Aiunt autem insitionem fieri quatuor modis: uno quidem, quo inter lignum et corticem oportet eum adaptare qui inserit: quo quidem modo Cathechismum suscipiunt, qui sunt ex gentibus idiotæ, qui verbum accipiunt in superficie. Altero autem, quando ligno fisso, in ipsum plantam generosam immiserint: quod quidem accidit in iis qui sunt philosophati. Eis enim dissectis dogmatibus, ingeneratur agnitio veritatis: ita autem Judæis quoque aperta veteri Scriptura, nova et generosa planta oleæ inseritur. Tertia autem insitio agrestes tangit et hæreticos, qui vi trahuntur ad veritatem: nam cum utrumque surculum falce acuta deraserint, donec medullam quidem nudaverint, sed non ulceraverint, eas inter se vinciunt. Quartus autem modus insitionis est qui dicitur inoculatio: à generoso enim trunco circumciditur oculus, ita ut cum eo in orbem cortex circumscribatur, unius palmi magnitudine. Deinde æqualiter cum oculo circumscriptus eraditur truncus, et sic immittitur circumligatus, et luto circumlitus, integro servato oculo et minime inquinato. Hoc est genus doctrinæ Gnosticæ, quæ res potest perspicere ipsas. Hoc quidem certe genus est maxime utile in arboribus sativis.

4°. Veræ philosophiæ fundamentum; nempe cognitio dogmatica et moralis:

Quod ad dogma attinet, Veritatem apud nos tantum esse per Scripturam et Traditionem sic ostendit[1]:

Inventio autem est finis et requies inquisitionis quæ pervenit ad comprehensionem, quod quidem est cognitio : et ipsa proprie inventio est cognitio, ut quæ sit comprehensio inquisitionis. Signum autem dicunt esse id quod præcedit, aut quod est una, aut quod sequitur. Ejus ergo quæ est de Deo inquisitionis inventio quidem est doctrina quæ est per Filium. Signum autem quod sit Servator noster ille ipse Filius Dei, sunt quæ ejus adventum præcedunt Prophetiæ, quæ ipsum prædicant : et quæ comitabantur ejus ortum sensilem de ipso testimonia : et quæ post ejus assumptionem prædicantur et aperte ostenduntur virtutes ejus. Quod ergo sit apud nos veritas, indicium est, quod ipse docuerit Dei Filius. Si enim in omni quæstione hæc generalia inveniuntur, res et persona, quæ verè est veritas, apud nos solos essè ostenditur. Nam veritatis quidem quæ ostenditur persona est Filius Dei : res vero, virtus fidei, quæ quodcumque ei adversatur, et vel ipsum totum mundum repugnantem superat.

Quæ autem [2] ad veritatem inveniendam adjuvant, ne ipsa quidem sunt rejicienda. Ipsa certe philosophia, quæ annuntiat Providentiam, et beatæ quidem vitæ remunerationem, miseræ autem punitionem, summatim theologiam tractat. Quæ autem accurate et exacte traduntur, et quæ sigillatim habentur, ea utique non servat. Neque enim de Filio Dei, neque de ea quæ est per Providentiam œconomia tractat, ut nos : non enim divinam noverat religionem. Quamobrem hæreses quoque, quæ sunt in Barbara philosophia [3], etiamsi unum Deum dicant, etiamsi Christum celebrent, id in genere dicunt, non ex veritate. Nam et

[1] Pag. 801.

[2] Pag. 802.

[3] Vide D. Guillon, pag. 407.

alium Deum adinveniunt, et Christum non accipiunt, sicut tradunt Prophetiæ. Verumenimvero quæ sunt apud eos falsa dogmata, quamdiu adversantur vitæ quæ agitur ex veritate, sunt contra nos.

Regula autem [1] ecclesiastica est concentus et consensio Legis et Prophetarum, convenienter testamento quod traditur per Domini adventum...Propter multas (autem) causas occultant Scripturæ sententiam. Primum quidem, ut diligenter inquiramus, et semper in intelligenda salutari vigilemus doctrina. Præterea, ne omnibus quidem conveniebat hominibus intelligere, ne fraudi iis esset, si aliter acciperent ea quæ a sancto Spiritu dicta sunt salutariter. Quocirca electis hominibus, et iis qui ex fide cooptati sunt ad cognitionem asservata sancta mysteria Prophetiarum, teguntur parabolis. Scripturarum enim stylus est parabolicus... Jam vero [2] universa quoque œconomia quæ prædicta est a Prophetis de Domino, videtur omnino parabola iis qui veritatem non norunt, quando Filium Dei, qui fecit omnia, carnem suscepisse, et in utero Virginis conceptum esse (quatenus scilicet fuit genita sensilis ejus caruncula), et consequenter quatenus fuit genitus passum esse et resurrexisse, unus quidem dicit, alii vero audiunt : « Judæis quidem scandalum, Græcis autem stultitiam [3], » ut dicit Apostolus. Replicatæ autem Scripturæ et iis *qui aures habent* [4] verum ostendentes, illud ipsum quod passa est caro quam suscepit Dominus, *Dei virtutem et sapientiam* [5] esse annuntiant. Postremo parabolicum Scripturæ genus cum sit, ut ostendimus, antiquissimum, merito apud Prophetas maxime abundavit, ut etiam philosophos qui erant apud Græcos, et eos qui erant apud alios Barbaros sapientes, ostenderet

[1] Pag. 803.
[2] Pag. 804.
[3] 1 Cor. I, 23. — [4] Matth. XI, 15; et alibi. — [5] 1 Cor. I, 24.

sanctus Spiritus ignorasse futurum Domini adventum, et mysticam, quæ ab ipso tradenda fuit, doctrinam. Merito ergo quæ Dominum prædicat Prophetia, ne præter multorum dicens opiniones aliquibus videretur blasphemare, ea quæ significantur figuravit vocibus, quæ possint etiam ducere ad alias mentis conceptiones. Jam vero Prophetæ omnes, qui Domini adventum, et sancta quæ cum ipso erant, prædixerunt mysteria, persecutionem passi sunt, occisi sunt; sicut ipse quoque Dominus qui eis explanavit Scripturas. Ejus quoque discipuli, qui verbum prædicaverant, postquam ipse excessit è vita, usi sunt parabolis... Habet autem [1] alias quoque quasdam proprietates sermo Hebræus, sicut etiam unusquisque ex reliquis, peculiari quodam constans loquendi genere, quod gentis ostendit stylum et temperam... Prophetia autem minime utitur figuris in dictionibus, propter ornatum orationis. Quia autem non omnium est veritas, multis modis occultatur, iisque solis qui sunt initiati ad cognitionem, qui veritatem quærunt propter charitatem, lucem exoriri facit. Dicitur autem Propheticæ species proverbium à Barbara philosophia: dicitur quoque parabola et deinde ænigma. Quinetiam dicitur *sapientia*, et ut ab ea diversum quid *disciplina*, et rursus *sermones prudentiæ*, et *strophæ verborum*, et *vera justitia*, et rursus doctrina *dirigendi judicium*: et *astutia quæ simplicibus* accidit ex disciplina, et *sensus et intelligentia* [2], quæ ei inditur qui est recenter imbutus catechesi. « Qui hos, *inquit*, audivit » Prophetas sapiens, erit sapientior, gubernationem autem » possidebit intelligens, et intelliget parabolam et obscuram » orationem, et sapientum dicta et ænigmata [3]. »

Quinetiam [4] jubetur Esaias propheta, *novo* [5] *libro* accepto

[1] Pag. 805.

[2] Prov. I, I, 2, 3, 4. — [3] Ibid. 5, 6.

[4] Pag. 806.

[5] Isai. VIII, I.

a eo *scribere* quædam : sanctam cognitionem, per Scripturarum expositionem, futuram prædicente Spiritu, quæ illo tempore nondum erat scripta, propterea quod nondum cognosceretur; dictum enim fuerat ab initio iis solis qui intelligunt. Jam vero cum Apostolos docuerit Servator, scriptæ non scripta jam quoque nobis traditur traditio, quæ novis cordibus, secundum novum illum librum, per potentiam Dei inscribitur.

Quoad autem morum regulas, habet Gnosticus fidelem præceptorum Domini cognitionem: hæc autem denario consecrantur numero[1];

Primum quidem præceptum Decalogi[2] ostendit unum solum esse Deum omnipotentem, qui populum transtulit ex Ægypto per solitudinem in terram patriam, ut per divinas quidem operationes comprehenderent, ut poterant, ejus potentiam : ab eorum autem quæ sunt genita abstinerent idololatria, omnem spem habentes in Deo vero. Secundum autem[3] significat non oportere assumere, neque inferre magnam et omni veneratione dignam ejus potentiam, quæ quidem est nomen (hujus enim solummodo discendi multi erant adhuc capaces), neque transferre ejus nuncupationem ad res genitas et inanes, quas quidem fecere homines artifices : in quibus is qui est non ponitur. (In identitate enim ingenita, qui est, est ipse solus.) Tertium autem[4] significat, mundum a Deo esse factum : et dedisse nobis septimum diem ad quiescendum, propter eam quæ est in vita afflictionem, et malorum perpessionem. Deus enim indefessus, nullisque obnoxius est passionibus, et nullius indiget : quiete autem indigemus nos qui carnem

[1] Pag. 809 et seqq.
[2] Exod. xx, 1, 2, et seq. — [3] Ibid. 7. — [4] Id. xx, 8.

gestamus.... Quintum (quartum) deinceps[1] sequitur præceptum de honore patris et matris. Deum autem aperte dicit patrem et Dominum : quocirca eos etiam, qui ipsum agnoverunt, appellat filios et deos. Dominus ergo et pater est, qui est Creator omnium : mater autem non, ut quidam existimant, est substantia ex qua sumus geniti, neque, ut aliqui exposuerunt, Ecclesia, sed divina cognitio et sapientia, ut dicit Salomon, *justorum matrem*[2] appellans Sapientiam, et est propter se eligenda. Et rursus etiam boni et honesti cujuscumque, a Deo per filium cognitio proficiscitur. Dein consequitur præceptum de adulterio. Est autem adulterium, si quis relicta ecclesiastica, et vera cognitione, et de Deo persuasione, accedat ad falsam quæ non convenit opinionem, aut in Deos referens aliquid ex iis quæ sunt facta vel alicujus ex iis quæ non sunt simulacrum aliquod constituens, itaque transiliens cognitionem, vel potius ab ea desiliens. A Gnostico autem aliena est falsa opinio, sicut vera est ei conjuncta et familiaris. Quocirca præclarus quoque Apostolus unam fornicationis speciem vocat idololatriam[3], consequenter Prophetæ qui dicit : « Mœchatus est » cum ligno et lapide[4]. Ligno dixit: Pater meus es tu; et » lapidi : Tu me genuisti[5]. » Deinde de cæde consequitur præceptum. Est autem cædes *firma* ac constans ablatio. Verum ergo de Deo et ejus æternitate sermonem qui vult *auferre*, ut falsum inserat, dicens vel universum nulla regi Providentia, vel mundum esse ingenitum, vel negans aliquid ex iis quæ sunt firma ac stabilia in vera doctrina, is est perniciosissimus. Post hoc autem sequitur de furto præceptum. Quemadmodum ergo qui aliena furatur, cum magnam faciat injuriam, in ea quæ meretur mala merito incidit : ita qui divina opera sibi vindicat per fingendi vel

[1] Pag. 816 et seqq

[2] Prov. I, 8; XXXI, 1. — [3] Coloss. III, 5. — [4] Jer. III, 9. — [5] Id. II, 27.

pingendi artem, et dicit se esse effectorem animantium et plantarum : et similiter qui veram imitantur philosophiam, sunt fures. Sive fuerit quis agricola, sive pater filii, est minister dejectionis seminum : Deus autem præbens omnium augmentum et perfectionem, adducit ea quæ gignuntur ad id quod cujusque naturæ convenit. Plurimi autem, una cum Philosophis, augmenta et mutationes tribuunt astris principaliter, quod in se est, universorum patrem privantes sua indefessa et inexhausta potentia. Elementa autem et astra, hoc est, potestates administrantes, ordinata sunt ad ea exequenda quæ divinæ œconomiæ conveniunt, eaque parent, et aguntur ad ea quæ sunt eis imperata, quo ea duxerit verbum Domini : quandoquidem divina potentia omnia occulte operari solet. Qui ergo dixerit se aliquid excogitasse vel fecisse ex iis quæ pertinent ad creationem, impii et nefarii incœpti dabit pœnas. Decimum autem præceptum est de omnibus cupiditatibus. Quemadmodum ergo qui concupiscit ea quæ non decet, cogitur reddere rationem : sic etiam non permittitur res falsas concupiscere, neque existimare, ex iis quæ sunt genita, animata quidem per se posse, inanima autem omnino non posse salutem dare vel lædere. Et si quis dicat antidotum non posse mederi, et cicutam interimere, ignorat se callido decipi sophismate. Nihil enim ex iis operatur absque eo qui herba et medicamento utitur, sicut nec securis absque eo qui scindit, neque serra absque eo qui secat. Quemadmodum autem per se quidem non operantur, habent autem aliquas qualitates naturales, quæ per artificem applicatæ proprium opus efficiunt : ita per generalem Dei Providentiam ministerio eorum quæ moventur propinquius, propagatur ad singulas res efficax operatio.

5°. Hinc vera philosophia non a Græcis, sed a Christianis discenda[1]: nam

Græci philosophi Deum non cognoscunt quem nominant, quoniam Deum nequaquam colunt ut Deum... Non enim de Deo dicunt aliquid, sed suas affectiones Deo attribuentes exponunt. Agunt enim vitam, quærentes id quod est probabile, non autem id quod verum... Fieri ergo[2] non potest ut simus participes contemplationum Gnosticarum, nisi nos exinaniamus prioribus cogitationibus : simpliciter enim ac in universum dicitur veritas de quolibet quod intelligentia sensuve percipitur. Jam vero facile est distinguere veram picturam a vulgari, et musicam honestam ab impudica. Ergo Philosophi quoque est aliqua veritas separata ab aliis Philosophis, et vera pulchritudo distincta ab adulterina. Non ergo partes veritatis, de quibus prædicatur nomen veritas, sed ipsa veritas est indaganda, non autem sola nomina. Quod enim de Deo dicitur, non est res una, sed innumerabiles.

Quemadmodum autem[3] ei qui habet manus, naturale quiddam est apprehendere ; et ei qui oculos sanos, *lucem videre* : ita ei qui fidem acceperit, proprium est esse participem cognitionis, si jacto *fundamento, aurum, argentum, lapides pretiosos* allaborare, et ei *superædificare*[4] voluerit. Non ergo pollicetur se velle esse participem, sed imperare: neque se, futurum, sed esse regalem et lucidum, et Gnosticum. Neque nomine, sed re ipsa res velle attingere convenit.

[1] Pag. 817.
[2] Pag. 818.
[3] Pag. 819.
[4] I Cor. III, 12.

ARTICULUS III.

CONCLUSIO.

Quamobrem non est absurdum[1], datam quoque esse philosophiam a divina Providentia, quæ præpararet ad eam quæ est per Christum perfectionem, si non erubescat a barbara cognitione discere philosophia profectum ad veritatem. Sed sunt *pili* quidem *numerati*[2], et minimi motus; philosophia autem quomodo non est in numero? Atqui Sampsoni quoque data est vis in pilis[3], ut etiam rejectitias artes circa res quæ ad usum vitæ pertinuerint, quæ jacent et humi manent post excessum animæ, agnosceret non posse absque divina potestate percipi. Jam vero divina Providentia, inquit, desuper ex iis quæ sunt principalia, tanquam ex capite, pervadit ad omnes, « sicut unguentum, *inquit*, quod descendit in barbam Aaron, et in oram vestimenti ejus[4], » hoc est, magni Sacerdotis, « per quem omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil[5]... » Qui ergo[6] dicunt Philosophiam non venire huc a Deo, videntur omnino dicere fieri non posse ut Deus videat omnia singularia, neque eum esse causam bonorum omnium, siquidem unumquodque eorum fit ex singularibus, verum nihil ex iis quæ sunt, omnino consistit, nolente Deo: quod si eo volente, tum est a Deo Philosophia, cum talem esse qualis est ipsam voluerit, propter eos qui non alia ratione abstinerent a malis. Deus enim novit omnia, non solum ea quæ sunt, sed etiam quæ futura sunt, et ut erit unumquodque, et eos qui sunt singulares motus prævidens, *intuetur omnia, et omnia exaudit*, et nudam animam aspiciens intrinsecus, uniuscujusque etiam ex singularibus

[1] Pag. 819 et seqq.
[2] Luc. XII, 7. — [3] Judic. XIII, 5; XVI, 17. — [4] Psalm. CXXXIII, 2. — [5] Joan. I, 3.
[6] Pag. 821 et seqq.

æternam habet intelligentiam, et quod fit in theatris, et in partibus rei uniuscujusque, inspiciendo, circumspiciendo, et simul aspiciendo, hoc evenit in Deo. Is enim simul omnia ac unumquodque etiam sigillatim aspicit uno intuitu, non tamen omnia per principale institutum. Multa enim ex iis quæ sunt in vita, per humanam rationem ortum accipiunt, cum divinitus acceperint suscitabulum. Ecce enim sanitas per medicinam, et bona corporis habitudo per alipticam, et divitiæ per negotiationem oriuntur, et adsunt, per divinam quidem Providentiam, verum humana opera concurrente. A Deo autem est etiam intelligentia. Atque divinæ quidem voluntati maxime *obedit* bonorum virorum liberum eligendi arbitrium: quoniam bonorum quidem et malorum hominum multa sunt commoda communia: fiunt tamen utilia solis bonis et probis, quorum causa Deus hæc fecit. Ad usum enim bonorum virorum enata est vis eorum, quæ data sunt divinitus. *Quin* etiam eorum cogitationes qui sunt virtute præditi, per divinam fiunt inspirationem, cum anima quodammodo sit disposita, et divina voluntas in humanas animas transmittatur, certis Dei ministris, ad talia ministeria opem ferentibus. Nam per gentes et civitates sunt distributæ Angelorum præfecturæ: fortasse autem etiam ex iis sunt deputati singulis. Pastor itaque et singularum ovium curam gerit: iis tamen maxime providendi et visendi tenet eum cura, qui sunt et præclaro ingenio, et populo multum possunt prodesse. Ii autem sunt qui et ad regendum et docendum sunt apti, per quos Providentiæ evidentia aperte ostenditur, quando vel per doctrinam, vel per magistratum et administrationem, vult Deus benefacere hominibus; vult autem semper, et ideo movet eos qui sunt apti ad ea utiliter efficienda quæ pertinent ad pacem et virtutem et beneficentiam. Quidquid autem est virtute præditum et a virtute ori-

tur, et refertur ad virtutem, et aut ad hoc datur ut fiant boni, aut ad hoc ut ii qui sunt boni, utantur iis commodis quæ dedit natura : adjuvat enim et in universis et in singularibus. Quomodo ergo non est absurdum, ut qui Diabolo confusionem tribuunt et injustitiam, eum rei præclaræ et quæ est ex virtute, nempe Philosophiæ, datorem constituant? Tum enim Græcis ad hoc, ut boni viri fierent, Diabolus ipsa divina Providentia magis benignus videretur. Contra autem existimo legis esse proprium et rectæ rationis, reddere quod unicuique convenit, et quod est ejus proprium, et quod ad eum pertinet. Nam ut lyra est solius cythrædi, et tibia solius tibicinis, ita commoda bonorum virorum sunt possessiones : ut ejus, qui est beneficus, natura est benefacere : ut ignis est calefacere, et lucis illuminare. Malum autem non faciet bonus, ut neque lux tenebras, aut ignis frigefaciet : ita contra, vitium non fecerit aliquid quod sit ex virtute : est enim ejus operatio male facere, ut tenebrarum, oculos confundere. Non est ergo vitii opus Philosophia, quæ facit homines virtute præditos : restat itaque ut sit Dei, cujus solum opus est benefacere : et quæcumque a Deo dantur, recte dantur et accipiuntur. Porro autem et si usus Philosophiæ non est malorum, sed datus est Græcorum optimis et præstantissimis, hinc quoque clarum a quo data sit, a Providentia scilicet, quæ unicuique distribuit pro meritis ea quæ conveniunt. Merito ergo Judæis quidem Lex, Græcis autem data est Philosophia usque ad adventum : ex eo autem tempore universalis est vocatio, ad peculiarem populum justitiæ, per eam quæ est ex fide doctrinam, per unum congregante Domino, qui est unus solus Deus amborum, Græcorum scilicet et Barbarorum, vel potius totius humani generis... *Dei autem est terra et ejus plenitudo*[1], bona divinitus venire ad homines docens

[1] 1 Cor. x, 26.

Scriptura dixit; per divinam scilicet virtutem ac potestatem, perveniente distributione ad humanum auxilium. Jam vero sunt tres modi omnis utilitatis, quam alius alteri impertitur: unus quidem per assectationem, ut pædotribe dum effingit puerum: alius autem per assimilationem, ut qui alterum ut profectum faciat prius proficiendo hortatur, et ille quidem adjuvat eum qui discit, hic autem simul prodest ei qui profectum capit. Tertius autem modus est qui fit jussu, quando pædotribes non amplius informans eum qui discit, nec ipse luctam exercens puero ad imitationem proponit, sed tanquam jam satis exercitato nominatim imperat ut luctetur. Gnosticus igitur, cum a *Deo* potestatem juvandi acceperit, alios quidem juvat, effingens assectatione, alios vero adhortans assimilatione, alios vero præceptione docens et erudiens. Certe ipse quoque pari ratione adjutus est a Domino. Sic ergo cognoscitur utilitas quæ a Deo pervenit ad homines, simul adhortantibus Angelis. Etenim divina virtus præbet bona per Angelos, sive videantur, sive non videantur...

Gnosticus noster[1] semper versatur in iis quæ sunt præcipua. Sed si quando est ei otium, et tempus relaxandi animi ab iis quæ sunt præcipua, loco alterius recreationis, Græcam quoque attingit philosophiam, veluti bellarium aliquod ad cœnam illaturus, non ut qui neglexerit præstantiora, sed ut qui acceperit quantum decet, idque propter eas quas dixi causas. Qui autem in Philosophia appetiverunt ea quæ non sunt necessaria, sed supervacanea, et solum contentiosis vacant sophismatibus, discedunt ab iis quæ sunt necessaria et præcipua, rationum plane umbras persequentes. Ac bonum quidem est scire omnia: cui autem imbecillus est animus ad multarum disciplinarum susci-

[1] Pag. 824 et seq.

piendam peritiam, ea sola eliget quæ sunt præcipua et meliora.

Hæc cum ita se habeant [1], oportet Græcos discere per Legem et Prophetas, colere unum Deum qui est vere omnipotens. Deinde illud doceri per Apostolum: *Nobis autem nullum est simulacrum in mundo* [2], quoniam in rebus genitis nihil potest Dei referre imaginem. Præterea doceri, quod nec eorum quos colunt simulacra sunt imagines: neque enim quoad figuram tale est genus animarum, cujusmodi fingunt Græci statuas... Postquam autem simulacra reliquerint, tunc audient Scripturam: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Phariseorum* [3], qui justificantur per abstinentiam a malis, ita ut præterea cum ea quæ est in his perfectione, *proximum* quoque possitis *diligere* et ei benefacere, non eritis *regales* [4]. Augmentum enim ejus quæ est ex lege justitiæ, Gnosticum indicat. Sic cum fuerit aliquis collocatus in capite quod suum regit corpus, cum pervenerit ad summum fidei, ipsam, inquam, cognitionem circa quam sunt omnes sensus, assequetur similiter summam hæreditatem... Cæterum [5], qui ex Græcis gloriantur, quod ab eis comprehensa fuerit veritas, dicant nobis a quonam glorientur se didicisse. A Deo quidem non dixerint: ab hominibus autem confitentur. Et si hoc ita est, aut a seipsis sero didicerunt, sicut certe ex ipsis quoque quidam insolenter gloriantur, aut ab aliis similibus. Sed non sunt fide digni cum de Deo dicunt homines, quatenus homines. Neque enim qui homo est, potest pro dignitate de Deo vera dicere; imbecillus et morti obnoxius, de ingenito, et eo in quem non cadit interitus: et opus de eo qui fecit. Deinde qui non potest de seipso vera dicere, an

[1] Pag. 825 et seq.
[2] 1 Cor. VIII, 4. — [3] Matth. V, 20. — [4] Jac. II, 8.
[5] Pag. 826 et seq.

LIBER SEPTIMUS.

Septimus hic liber totus in Gnostici informatione versatur; unde cum sit Pædagogi velut complementum, integrum prelo subjiciendum non immerito visum est.

I. Jam vero tempus est ut Græcis ostendamus [1], solum esse vere pium ac religiosum, eum qui est Gnosticus, ut cum didicerint Philosophi, qualis sit is qui vere est Christianus, suam damnent inscitiam, ut qui temere et nulla ratione nomen persequantur; nulla autem causa eos impios, et a Deo alienos vocent, qui norunt eum qui vere est Deus. Apud Philosophos autem evidentioribus oportet uti *rationibus*, ut ex sua ipsorum doctrina exercitati jam possent intelligere, etiamsi seipsos nondum dignos præbuerint, qui sint facultatis credendi participes. Dictionum autem Propheticarum mentionem in præsentia non faciemus, tempore opportuno postea usuri Scripturis. Quæ autem ab eis significantur summatim indicabimus, Christianismum describentes, ne interrumpamus orationis continuationem, si una assumamus Scripturas, idque iis qui nondum intelligunt earum dictiones. Postquam autem ostenderimus Scripturæ sensum, tunc eis cum jam crediderint, ex abundanti producentur ipsa Scripturæ testimonia. Quod si ea quæ a nobis

[1] Vide D. Guillon, pag. 408 et seqq.

dicuntur, videantur aliquibus ex vulgo diversa a Scripturis Domini, sciendum est ea illinc et spirare et vivere, cumque ex eis argumentum habeant, profiteri se sententiam solam eorum quæ dicuntur, non vero ipsas dictiones esse adductura. Nimis enim diligens pertractatio quæ non fit in tempore, merito videri possit esse supervacanea: tum vero non considerare omnino id quod est principium, nimiæ fuerit socordiæ et egestatis. Vere autem « beati sunt qui scrutantur testimo» nia Domini: toto corde exquirentes ipsum[1]. » De Domino autem testimonium ferunt Lex et Prophetæ. Est ergo nobis propositum ostendere, solum Gnosticum esse sanctum et pium, riteque eum qui est vere Deus colere, prout ejus decet majestatem: eum autem qui sic Deum colit prout ejus majestatem decet, consequitur ut ipse a Deo ametur, et Deum amet. Quidquid ergo est excellens, existimat esse honorabile pro dignitate: et in rebus quidem sensilibus, esse honorandos magistratus et parentes, et omnem seniorem: in iis autem quæ docentur, antiquissimam philosophiam et vetustissimam prophetiam: in his autem quæ intelligentia percipiuntur, id quod est vetustius generatione, tempore et principio carens principium, et eorum quæ sunt primitias, Filium: a quo discere oportet eam, quæ superius est, causam, nempe Patrem universorum, quæ quidem est vetustissima et omnium beneficentissima, et voce non utique traditur, sed reverentia et silentio cum sancta admiratione est præcipue colenda et veneranda: quæ quidem enuntiatur a Domino, quantum possunt audire ii qui discunt, intelligitur autem ab iis qui a Domino electi sunt ad cognitionem, qui sunt, ut ait Apostolus, *exercitati sensibus*[2]. Dei ergo cultus, quem præstat Gnosticus, consistit in continua animæ suæ cura, et occupatione circa Deum per indesinentem charitatem. Cultus enim qui versatur circa

[1] Psalm. cxix, 2. — [2] Heb. v, 14.

homines, unus quidem est qui reddit meliores : alius vero, qui in ministerio occupatur. Et Medicina quidem corpus, Philosophia vero animam reddit meliorem. Ac parentibus a filiis, magistratibus autem ac principibus ab iis qui parent eorum ditioni per ministerium accedit utilitas. Similiter in Ecclesia, istius cultus quæ facit meliores, presbyteri servant imaginem : ejus autem, quæ servit, diaconi. Ambobus his ministeriis Angeli Deo serviunt in dispensatione rerum terrenarum : et ipse etiam Gnosticus, qui Deo quidem inservit, hominibus autem ostendit eam qua fiant meliores contemplationem, quomodocumque ad erudiendum fuerit constitutus, ad hominum correctionem. Ille enim solus est pius ac religiosus qui pulchre ac citra ullam reprehensionem, in rebus humanis Deo servit. Sicut quippe ea plantarum cultura est optima, per quam nascuntur et comportantur fructus, quæque ex illis per scientiam ac peritiam agriculturæ hominibus utilitatem affert : ita Gnostici religio ac pietas, eorum hominum fructus qui per ipsum crediderunt in se accipiens, cum plures ad agnitionem veniant, eoque salvi fiant, optimum per suam peritiam comportat proventum. Quatenus autem θεοπρέπεια (ita enim vocatur cultus Dei majestati conveniens) est habitus qui id conservat quod Deum decet : θεοπρεπὴς, id est, qui convenienter Dei majestati Deum colit, solus erit Dei amicus. Is autem erit qui novit quid illum deceat et in scientia et in vita, qua sit vivendum ei qui est futurus Deus et jam Deo assimilatur. Ea ergo ratione erit etiam in primis Dei amans. Nam ut qui patrem honorat, amat patrem : ita qui Deum honorat, Deum amat. Qua quidem ratione mihi quoque videntur esse tria effecta Gnosticæ potestatis : *primo*, res nosse : secundo, id efficere quodcumque Logos dictaverit : tertio, ea quæ occulta sunt apud veritatem, *prout Deo dignum est* tradere posse. Is ergo cui persuasum fuerit Deum

esse omnipotentem, et divina mysteria didicerit a Filio ejus unigenito, quemadmodum fuerit is ἄθεος, id est impius? nam ἄθεος quidem est qui non putat esse Deum: δεισιδαίμων autem, hoc est, superstitiosus, qui timet dæmonia: qui omnia in deorum refert numerum, et lignum, et lapidem, et spiritum, et hominem qui vivit e ratione redactum in servitutem.

II. Fides ergo est nosse Deum, quæ est prima post fiduciam doctrinæ Servatoris, nullo modo injusta facere, idque existimare decere Dei agnitionem. Eo respectu in terra quidem res est præstantissima homo, qui est maxima in Deum pietate. In cœlo autem res est præstantissima, Angelus, qui loco propius et jam purius est æternæ et beatæ vitæ particeps. Perfectissima autem et sanctissima, et maxime principalis, et quæ maxime imperat, et est maxime regia, et longe beneficentissima, est natura Filii, quæ est soli omnipotenti propinquissima (5). Hæc est maxima excellentia, quæ omnia ordinat ex voluntate Patris, et optime gubernat universum, indefessa et inexhausta potestate cuncta operans, propterea quod agit arcanas respiciens notiones. Nunquam enim a sua excedit specula Dei Filius, ut qui non dividatur, non dissecetur, non transeat a loco ad locum, sit autem semper ubique, et contineatur nusquam: totus mens, totus lux paterna, totus oculus, qui omnia videt, omnia audit, scit omnia, potestate scrutatur potestates. Ei subjecta est universa militia Angelorum et deorum: Verbo, inquam, paterno quod sanctam suscepit dispensationem, propter eum qui subjecit. Propterea ipsius sunt omnes homines: sed alii quidem per agnitionem, alii vero nondum: et alii quidem ut amici, alii vero ut servi fideles, alii vero ut absolute servi. Hic est magister, qui mysteriis quidem erudit eum qui est Gnosticus: et spe bona eum qui est fidelis: et corrigente disciplina per sentientem operationem, eum qui

est duro corde : hinc est Providentia privatim, publice, et ubique. Dei autem esse Filium, et eum esse quem nos Servatorem et Dominum dicimus, aperte divinæ ostendunt Prophetiæ. Hac ratione qui est omnium Græcorum et Barbarorum Dominus, persuadet iis qui volunt : non enim cogit eum qui ab ipso salutem accipere valet eligendo, et omnia implendo, quæ ab ipso exiguntur ad spem accipiendam. Hic est qui dat Græcis sapientiam per inferiores Angelos. Sunt enim jussu divino et antiquo *per gentes distributi Angeli*[1]. Sed *pars Domini* est opinio credentium. Aut enim omnium hominum curam non gerit Dominus, idque ei accidit, aut quod non possit (quod quidem est nefarium, est enim signum imbecillitatis), aut quod nolit cum possit, quæ non est boni affectio : minime vero socors ob delicias, qui propter nos carnem accepit patibilem. Aut curam gerit universorum, quod quidem est consentaneum, cum sit Dominus universorum. Servator enim est : non horum quidem servator, illorum vero non. Pro ea autem quam habet unusquisque aptitudine, suum divisit beneficium, et Græcis et Barbaris (6), et iis, qui ex his prædestinati quidem fuerant, suo autem tempore sunt vocati, fidelibus et electis. Neque ergo poterit is cuipiam invidere, qui omnes quidem ex æquo vocavit : iis autem qui eximie crediderunt, honores tribuit eximios. Neque ab alio prohibitus unquam fuerit, qui est omnium Dominus, et boni omnipotentisque Patris voluntati maxime servit (7). Sed neque in Dominum qui impatibilis est et sine principio genitus, unquam cadit invidia : sed nec res hominum ita habent, ut eis possit invidere Dominus. Alius autem est qui invidet in quem cadit affectio. Sed nec dici potest Dominum nolle dare salutem humano generi propter ignorationem, quod nesciat quomodo sit gerenda cura uniuscujusque. Ignoratio enim

[1] Deut. XXXII, 8, 9.

Deum non tangit, qui ante mundi constitutionem fuit Patris consiliarius: hæc erat enim sapientia *qua* Deus *delectabatur*[1] omnipotens. Dei enim virtus sive potestas est Filius, utpote ante omnia quæ sunt genita, Logos patris maxime principalis, et ejus sapientia. Qui et proprie etiam dici poterit magister eorum qui per ipsum sunt formati. Sed neque ab aliqua voluptate abstractus, relinquit unquam hominum curam, qui cum suscepisset carnem quæ natura genita fuerat patibilis, ad impatibilitatis habitum eam erudivit. Quomodo autem est Servator et Dominus, si non est omnium Servator et Dominus? Sed est quidem servator eorum qui crediderunt, propterea quod scire voluerint: eorum autem qui non crediderunt est Dominus quousque confiteri valentes, propriam et eis convenientem ab ipso acceperint beneficentiam. Omnis autem Domini operatio, relationem habet ad omnipotentem, et est Filius paterna quædam, ut ita dicam, operatio. Nunquam ergo Servator habet odio homines, qui ex præcellenti in homines charitate, non despexit carnis humanæ imbecillitatem, sed ea indutus, ad communem venit hominum salutem: est enim communis fides eorum qui elegerunt. Sed neque proprium opus unquam negliget, quod soli ex aliis animalibus homini mentis perceptio indita sit in creatione Dei: neque alia melior et convenientior hominum administratio Deo erit, quam quæ est ordinata. Semper ergo convenit ei quod est secundum naturam melius ac præstantius, ut præsit ei quod est deterius, et ut ei qui aliquid valet præclare regere detur ejus administratio. Est autem id quod vere regit et præest, divinus Logos et ejus Providentia, quæ omnia quidem observat, nullius autem ex iis qui ad eam pertinent despicit curationem. Ii autem qui ad ipsum pertinere, et ei esse conjuncti elegerunt, erunt qui per fidem initiantur. Hic omnium bonorum;

[1] Prov. VIII, 30.

voluntate patris omnipotentis, auctor et causa Filius est primus effector motus, potestas quæ sensu non potest comprehendi. Non enim id quod erat, visus est iis qui non poterant capere propter imbecillitatem carnis. Cum autem carnem accepisset sensilem, venit ostensurus hominibus sufficientes esse eorum vires, ut possint obedire mandatis. Cum sit ergo virtus paterna, facile superat ea quæ voluerit, ne minimum quidem relinquens, cujus curam non gerat ejus administratio. Neque enim si id fieret totum ab eo utique recte esset effectum. Maximæ autem, ut arbitror, potestatis est omnium partium, etiam usque ad minimam, accurata examinatio, pervadens ad primum universorum administratorem, qui ex voluntate patris gubernat omnium salutem, aliis ordinatis qui sub aliis præfectis observent, et curam gerant, donec perveniatur ad magnum pontificem. Ab uno enim desuper principio, quod convenienter patris voluntati operatur, dependent prima, secunda, et tertia. Deinde in summo fine ejus quod apparet, beati positi sunt Angeli, atque adeo usque ad nos ipsos, alii sub aliis sunt collocati, qui ex uno et per unum et servantur et servant. Quemadmodum ergo vel minima pars ferri, lapidis magnetis spiritu movetur per multos annulos ferreos extensa: ita etiam qui sunt virtute præditi, divino spiritu attracti, cum prima mansione conjunguntur, deinceps autem alii usque ad postremam: qui autem sunt mali ex imbecillitate, cum pér injustam insatiabilitatem in malum habitum inciderint, cum nec se teneant, neque ab alio teneantur, circumfluunt circumacti perturbationibus, humique decidunt. Lex enim hæc principio data est, ut qui velit eligat virtutem. Quocirca præcepta quoque, quæ et in Lege et ante Legem erant non justis data (*justo enim non est Lex lata*[1]), statuerunt, ut qui elegisset quidem,

[1] 1 Tim. 1, 9.

æternam vitam et beatum præmium acciperet: qui autem rursus vitio esset delectatus concessere ut versaretur cum iis quæ elegerat: et rursus ut anima quæ assidue evadit melior ad acquirendam virtutem, et parandam, augendamque justitiam, meliorem locum accipiat in universo, ut quæ per unumquemque profectum extendatur ad habitum impatibilitatis, donec *profecerit ad virum perfectum*[1], nempe ad cognitionis simul et hæreditatis excellentiam. Salutares hæ conversiones, pro ordine mutationis, dividuntur, et temporibus, et locis, et honoribus, et cognitionibus, et hæreditatibus, et ministeriis, usque ad transcendentem continuamque in æternitate contemplationem Domini. Quod est autem amabile, adducit ad sui contemplationem quemlibet, qui se totum applicavit ad contemplationem per dilectionem cognitionis. Quocirca præcepta dedit et priora et posteriora, ex uno fonte hauriens Dominus, nec eos qui erant ante Legem, sine lege esse sinens: nec eos qui non audiebant Barbaram philosophiam, ferri effrænatos permittens. Nam cum illis quidem præcepta, his vero præbuisset philosophiam, incredulitatem conclusit in ipsius adventum, quo tempore est inexcusabilis quisquis non crediderit. Nam a diverso tum Græco tum Barbaro profectu, ad eam quæ est per fidem deducit perfectionem. Si quis autem ex Græcis, prætermissa quæ præcedit Græcorum philosophia, veram doctrinam protinus invasit, is etsi plane rudis, longo alios superavit intervallo, cum salutis compendium per fidem elegerit ad perfectionem. Quæcumque ergo nihil impediebant quominus esset homini liberum eligendi arbitrium, effecit ut ea ad virtutem opem ferrent, ut aliqua ratione iis etiam qui possunt obscure et exiliter perspicere, is qui revera solus est unus omnipotens, bonus appareat Deus, a sæculo in sæculum dare salutem

[1] Ephes. IV, 13.

per Filium. Is autem nulla ratione est causa mali : ad universi enim salutem, ab eo qui est universorum Dominus, omnia sunt ordinata, et universe et sigillatim. Est ergo officium justitiæ salutaris unumquodque semper ad id quod est melius, quoad fieri potest, deducere : ad salutem enim et permansionem ejus quod est præstantius, convenienter suis moribus ordinantur minora. Statim enim quidquid est virtute præditum, mutatur in melius, habens propriam causam mutationis, electionem cognitionis, quam habebat anima in sua potestate. Castigationes autem necessariæ, bonitate magni qui omnia observat judicis, tum per adjunctos Angelos, tum per varias præjudicationes, *tum per* perfectum omni ex parte judicium, cogunt eos qui plane dedoluerunt, duci pœnitentia.

III. Alia autem taceo, Dominum glorificans. Cæterum dico Gnosticas illas animas, quæ excellentia contemplationis uniuscujusque sancti ordinis vitæ institutum superant, quibus beatæ deorum habitationes sunt distributæ, cum inter sanctas sanctitate eximiæ fuerint reputatæ, et integræ ex integris translatæ, in meliora meliorum locorum loca venerint et non in speculis aut per specula divinam amplectentes contemplationem, quam maxime autem evidenti et plane sincero divinæ visionis sempiternæ sempiterno exceptas convivio, quo satiari non possunt quæ supra modum amant animæ, et inexplebili fruentes lætitia in sæcula nunquam terminanda, permanere, honoratas, ut ita dicam, identitate omnimodæ excellentiæ. Hæc est contemplatio quæ comprehendi potest ab iis qui sunt mundo corde. Hæc est ergo operatio ejus qui est consummatus in cognitione, ut cum Deo habeat consuetudinem per magnum pontificem, pro viribus Domino assimilatus per universam in Deum pietatem, quæ tendit ad hominum salutem per curam exercendæ in nos beneficentiæ : et rursus per sa-

cra ministeria, et per doctrinam, et per bonorum operum effectionem. Jam vero Gnosticus seipsum creat et fabricatur; quinetiam eos qui ipsum audiunt, exornat Deo similis factus : ei nempe qui natura impatibilis est, impatibilitatem exercitatione comparatam, quoad fieri potest, assimilans, idque quia a Domini consuetudine et conversatione minime potest avelli. Mansuetudo autem, ut ego quidem opinor, et benignitas, et eximia in Deum pietas, sunt regulæ assimilationis Gnosticæ. Has ego dico virtutes esse *sacrificium Deo gratum et acceptum, cor a fastu alienum*[1] cum recta scientia, dicente Scriptura, esse *Dei holocaustum*[2], cum quicumque ex hominibus assumptus est ad sanctitatem, illuminatur ad eam quæ discerni non potest unionem. Nam seipsos *redigere in captivitatem*, et seipsos interimere, *veteri qui per cupiditates corrumpitur, homine* interfecto, novoque suscitato a *veteri* mortis *conversatione*[3], et Evangelium jubet et Apostolus, depositis cum peccato perturbationibus animi. Hoc erat quod Lex quoque tacite significabat, jubens peccatorem tolli de medio, et a morte ad vitam traduci, hoc est impatibilitatem, quæ ex fide provenit. Quod cum non intelligerent ii qui Legem docebant, Legem autem accepissent, ac si contentionum daret ansas, dederunt occasionem iis qui eam temere volunt calumniari. Propter quam causam merito nos Deo non sacrificamus, qui nullius indiget, et omnia præbuit hominibus: sed eum glorificamus qui est pro nobis sacrificatus, nos ipsos sacrificantes, ad id quod est nullius indigens, ex eo quod nullius indiget, et ab impatibili ad id quod est impatibile. Deus enim sola nostra salute delectatur. Merito ergo ei non offerimus sacrificium, qui non vincitur a voluptatibus, cum inferius, nec usque ad crassissimas perveniat nubes, longe etiam ab

[1] Philip. IV, 18. — [2] Psal. LI, 17, 19. — [3] Rom. VI, 6, 7. 2 Cor. X, 5. Ephes. IV, 22, 23, 24. Coloss. III, 8, 9, etc.

iis consistat quæ fit per fumum exhalatio, si modo perveniat. Nullius ergo indiget Deus, nec capitur voluptate, nec est aut lucri aut pecuniæ cupidus, cum abundet, et cuilibet quod ortum est et indiget, omnia præbeat. Sed nec sacrificiis, neque donariis, neque rursus gloria et honore Deus invocatur, neque aliis ejusmodi allicitur : sed solis viris bonis et honestis apparet, qui justum nunquam prodiderint vel propter metum intentatum, vel propter promissa magnifica (8). Qui autem non perspexere humanæ animæ libertatem, quæ quod ad vitæ attinet electionem, redigi in servitutem non potest, ea quæ ab imperita fiunt injustitia ægre ferentes, non esse Deum existimant. Similique his opinione, qui in voluptatum intemperantiam, et vehementes dolores, et in repentina infortunia incidentes, aut casibus adversis fracti, dicunt non esse Deum : vel si sit, non omnia intueri. Alii autem sunt quibus est persuasum, eos qui dii existimantur, sacrificiis et donis posse placari, ut faveant eorum libidinibus, neque volunt credere solum esse eum qui est vere Deus, qui est in veræ justæ bonitatis identitate. Pius ergo est Gnosticus. Is quippe primo quidem sui curam gerit, deinde proximorum ; ut fiant quam optimi. Etenim filius bono patri gratificatur, si se ipse bonum præbeat, et patri similem : et pariter principi is qui ejus subjicitur imperio. Nam credere quidem et parere est in nostra potestate. Malorum autem causam si quis putaverit materiæ imbecillitatem, et inconsideratos ignorationis impetus, et rationis expertes propter inscitiam necessitates ; cum has Gnosticus perinde ac feras aliquas bestias per disciplinam longe superaverit divinum imitans institutum, benefacit pro viribus hominibus qui voluerint : et si quando fuerit in magistratu constitutus, non secus ac Moses, præibit ad salutem iis in quos obtinebit imperium, et mansuefaciet id quod est agreste et

infidele : cum honore quidem eorum qui sunt optimi ac præstantissimi, supplicio autem improborum, quatenus conveniens rationi est ad disciplinam. Imago enim valde divina et Deo similis, est viri justi anima, in qua per præceptorum obedientiam ædificatur et collocatur dux mortalium et immortalium omnium, rexque et genitor bonorum, qui vere est Lex et præscriptum, et Verbum æternum : et privatim singulis, et communiter omnibus est unus Servator. Hic est revera unigenitus, et omnium regis et omnipotentis Patris gloriæ figura, quæ Gnostico imprimit perfectam contemplationem ad sui imaginem, ut sit jam tertia divina imago, quæ quoad ejus fieri potest assimilatur causæ secundæ, eique qui est revera vita, per quam veram vitam vivimus : veluti describentes eum qui Gnosticus a nobis dicitur, qui versatur in iis quæ sunt stabilia, nec omnino mutari possunt. Sibi ergo et suis imperans, stabilem possidens comprehensionem divinæ scientiæ, germane ac sincere accedit ad veritatem. Eorum enim quæ intelligentia percipiuntur cognitio et comprehensio, jure dici potest stabilis scientia : cujus ea quidem pars quæ versatur in rebus divinis, hoc habet munus ut consideret quæ sit prima causa, quid vero sit *per quod facta sint omnia, et sine quo factum est nihil*[1] : et quænam sint ea quæ se habent ut penetrantia, quæ autem ut continentia : et quæ sint conjuncta, quæ vero ut disjuncta : et quemnam habeat ordinem unumquodque eorum, et quas vires, et quod ministerium afferat unumquodque. Et rursus in rebus humanis, quid sit ipse homo, et quid sit ei secundum et præter naturam, et quemadmodum rursus agere vel pati oporteat, et quænam sint ejus virtutes, et quænam vitia, et de bonis et malis et mediis : tum quæcumque de fortitudine, de prudentia et temperantia, et de ea quæ est supra omnes omni ex parte per-

[1] Joan. 1, 3.

fecta virtus, justitia, tractari solent. Ac prudentia quidem et justitia utitur ad parandam sapientiam : fortitudine autem, non solum in ferendis casibus, sed etiam in resistendo voluptati et cupiditati, dolorique et iræ: et in summa, cuivis rei quæ nos vel vi vel fraude aliqua allicit. Non enim vitia et honesta sustinere oportet, sed et persuaderi ut ea sustineamus, quæ sunt terribilia. Invenitur autem dolor quoque utilis tum ad medendum, tum ad erudiendum, et castigandum: et per eum corriguntur mores ad utilitatem hominum. Fortitudinis autem species sunt, tolerantia, mentis sublimitas, magnitudo animi, liberalitas, magnificentia. Propter quam causam, nec reprehensione, nec vulgi mala fama afficitur Gnosticus, neque opinionibus subjicitur, neque assentationibus : et in sustinendis laboribus, sive agit aliquid quod oportet, sive casus omnes fortiter superat, revera vir videtur inter alios homines. Et rursus conservans prudentiam, modeste ac temperate vivit in quiete animæ, ea quæ præcipiuntur excipit tanquam quæ sibi conveniant : ea vero quæ sunt turpia, ut aliena aversatur, et veluti mundus et supermundanus, ornate et decore se gerens, et nullo modo delinquens. Maxime quidem dives, ex eo quod nihil concupiscat, ut qui paucis egeat, et omnium bonorum abundet copia, propter boni cognitionem. Ejus enim justitiæ est primum munus, amore complecti eos qui sunt ejusdem generis, et cum eis agere et versari, et in terra et in cœlo. Ea ratione libenter quoque impertit et communicat si possideat: et cum sit comis ac benignus, summo odio habet malos, quodvis maleficium perfecte abhorrens. Oportet ergo discere esse fidelem et sibi et proximo, et parere præceptis. Hic est enim Dei servus, qui sua sponte se subjicit præceptis : qui autem non jam propter præcepta, sed propter ipsam cognitionem est mundus corde, is est Dei amicus. Neque enim nascimur

natura virtute præditi, neque ea postquam sumus nati, ut aliquæ aliæ partes corporis, accedit postea naturaliter: nam sic non esset voluntarium, nec laudabile: sed nec ex eorum quæ quotidie eveniunt usu accedente et consuetudine, sicut sermo, virtus perficitur (vitium enim propemodum hoc modo ingeneratur), sed nec ex arte aliqua, sive ex iis quæ proponunt sibi quæstum, sive ex iis quæ pertinent ad curam corporis, accedit cognitio. Sed nec ex liberalibus disciplinis: bene enim cum eis agitur, si tantum possunt præparare animam et ei ministrare. Nam leges civiles malas actiones forte possunt reprimere: sed ad persuadendum comparati sermones, cum versentur in superficie, stabilem et scientificam mansionem veritatis non efficient. Philosophia autem Græca veluti præpurgat et præparat animam ad fidem accipiendam, super quam veritas ædificat cognitionem. Hic est verus athleta, qui in magno stadio, nempe pulchro hoc mundo, coronatur, veram assecutus victoriam adversus omnes animi perturbationes. Nam et agonotheta est omnipotens Deus, et qui præmia distribuit est unigenitus Dei Filius: spectatores autem sunt Angeli et dii: variumque et ex omni genere pugnæ constans certamen *non est adversus carnem et sanguinem*, sed adversus spiritales potestates quæ per carnes operantur vehementes vitiorum et affectionum motus. Qui hæc magna superaverit prælia, et tentatorem, qui veluti quædam certamina intentat, prostraverit, is potitus est immortalitate: falli enim non potest Dei sententia in justissimo judicio. Ac vocatum quidem est theatrum ad certamen, in stadio autem decertant athletæ; et ex his utique superat qui aliptæ paruerit. Omnibus enim præmia a Deo proposita sunt æqualia, et est ipse alienus a reprehensione: misericordiam autem consequitur is qui potest, et potens est is qui voluerit. Hac ratione mentem quoque ac-

cepimus, ut sciamus quod agimus; et illud, *Nosce teipsum*, hic est scire propter quid orti simus: orti autem sumus ut eligeremus obedire præceptis, si quidem velimus esse salvi. Hæc est Nemesis, propter quam Deum non licet effugere. Est ergo officium hominis, Deo parere, qui variam annuntiavit salutem per præcepta. Grati autem animi conciliatio est confessio: benefactor enim prior incipit benefacere. Qui autem cum iis quas oportet considerationibus alacri animo acceperit mandata et custodierit, is est fidelis. Qui autem pro accepto beneficio pro viribus refert gratias per charitatem, is jam est amicus. Una est autem ab hominibus præcipua gratiæ relatio, ea facere quæ Deo sunt optima. Nam tanquam proprium fœtum, et sibi quodammodo cognatum affectum, magister et servator accipit utilitates et correctiones hominum ac si in suum ipsi honorem et gratiam fierent: e contra damna et offensiones quas accipiunt ii qui ipsi crediderunt, tanquam ingrati animi in se admissa crimina, propriaque probra et dedecora existimat. Quod enim aliud probrum ac dedecus Deum attigerit? Quocirca nec possunt omnino referri gratiæ pro dignitate salutis, si conferantur cum utilitate quæ a Domino proficiscitur. Sicut autem qui vexant possessiones, dominos injuria afficiunt, et qui milites, eorum imperatorem: ita Domini est contemptio, eorum qui sunt illi dedicati, vexatio. Sicut enim sol non solum cœlum, et totum mundum illuminat, super terram et mare resplendens, sed etiam per fenestras et parvum quodlibet foramen, vel in intima penetralia domorum lucem emittit: ita Verbum undiquaque effusum, vel minima respicit ex iis quæ in vita geruntur.

IV. Græci autem sicut humana forma præditos, ita humanis quoque passionibus obnoxios deos existimant. Et quemadmodum eorum formas sibi similes singuli describunt, ut ait Xenophanes: « Æthiopes quidem nigros et

simos, Thraces autem fulvos et cæruleos : » ita etiam animos assimilant iis qui eos effingunt, Barbari quidem agrestes et efferatis moribus : Græci autem mansuetiores, sed in quos tamen cadunt passiones. Quocirca necesse est quidem ut improbi malas de Deo suscipiant cogitationes, probi autem optimas. Quamobrem qui est animo vere regio et Gnosticus, is cum et pie Deum colat, et sit alienus a superstitione, persuasum habet eum solum, qui est solus Deus, esse honorandum, venerandum, magnificum, beneficum, principem et auctorem bonorum omnium, malorum autem non esse causam. Atque de Græcorum quidem falsa religione satis, ut arbitror, ostendimus in libro qui dicitur Protrepticus, abunde adhibitis iis quæ eo faciebant historiis. Non sunt ergo repetenda ea quæ aperte dicta sunt : quatenus autem fuerit ad hæc illustranda necessarium, cum ad hunc locum pervenerimus eatenus satis est pauca ex multis adducere, quibus ostendamus eos esse impios qui Deum pessimis hominibus assimilant. Aut enim eorum sententia Dii læduntur ab hominibus, et tum qui læduntur a nobis apparebit esse hominibus deteriores : aut si non læduntur, quare perinde ac iracunda anicula ad iram incitata indignantur ? quemadmodum dicunt Dianam propter Œneum iratam fuisse Ætolis. Quomodo enim cum Dea esset non cogitavit, non per contemptum, Œneum, sed vel quod esset oblitus, vel quasi sacrificasset neglexisse ? Bene autem ipsa quoque causam suam defendens apud Minervam, propterea quod ei succenseret quod in templo peperisset, dicit :

. . . . Spolia, gaudes, cum vides,
Erepta cæsis, lacera , semidiruta.
Nec execraris ista : sin me hic conspicis
Peperisse, turges;

« quanquam cætera quoque animalia quæ in templis pa-

» riunt, eis nullam faciunt injuriam. » Merito ergo superstitiosi, cum tam proclives ad iram pertimescant, omnia quæ eveniunt, existimant esse signa et causas malorum : si mus aram quæ erat e luto constructa perfoderit, et cum nihil haberet, lecythum corroserit : si gallus qui alitur, vespere cecinerit, hoc alicujus signum esse statuentes. Talem quemdam ludificatur Menander in comœdia quæ inscribitur Δεισιδαίμων, id est, Superstitiosus :

Bonum mihi quid accidat, boni Dei.
Nam dexteri pedis ligans corrigiam
Rupi.

« Merito, o nugator ! erat enim putrida : tu autem es parcus et sordidus, qui nolis novos emere. » Lepidum est illud Antiphontis : nam cum quidam male præsagiret ex eo quod sus porcellos devorasset, isque eam vidisset ob sordes ejus qui ipsam alebat, fame valde attenuatam : « De signo, » *inquit*, lætare, quod cum sic esuriret, filios tuos non co- » mederit. Quid mirum, *inquit Bion*, si mus calathum ar- » roserit, cum non inveniret quod comederet ? Hoc enim » fuisset mirum, si (ut ludens argutabatur Arcesilaüs) » murem calathus comedisset. » Recte certe Diogenes quoque admiranti cuidam quod invenisset pistillum a serpente in gyrum circumdatum : « Ne mireris, *inquit ;* esset enim » illud mirabilius, si vidisses rectum serpentem esse a pis- » tillo circumdatum. » Oportet enim animantia rationis expertia currere, pugnare, parere et mori : quæ cum illis sint secundum naturam, præter naturam a nobis ne accipiantur :

Et volucres multæ veniunt sub lumina solis.

Philemon quoque comicus talia ridet in Comœdia :

Cum conspicantem video, quisnam sternuit,

Aut est locutus forte, vel prodit foras,
Hunc vendo dicto citius, aut muto in foro.
Loquitur sibi ipse sternuitque quilibet.
Res ut futuræ, sponte sic fiunt sua.

Deinde sobrii quidem petunt sanitatem: implentes autem se et comessationibus festis diebus volutantes morbos attrahunt. Multi autem suspensas quoque timent inscriptiones. Lepide admodum Diogenes, cum invenisset scriptum ante domum cujusdam improbi: *Insignis victoria, Hercules hic habitat; nihil mali ingrediatur. Et quomodo ingredietur,* inquit, *dominus ædium?* Ii autem ipsi omne lignum, et omnem lapidem pinguem, ut dicitur, adorantes, lanas flavas, et frusta salis, et faces, et scillam, et sulphur timent, incantati a præstigiatoribus per quasdam immundas expiationes. Deus autem, qui revera est Deus, sanctos solum novit justi mores, sicut impuros, injustos et sceleratos. Videre quidem certe licet ova ab his quæ purgantur si fota fuerint, vivificari: atqui hoc nequaquam fieret, si ejus ipsius, quod purgatur, mala participarent. Eleganter certe comicus quoque Diphilus his ridet præstigiatores:

Prœtidas expurgans nempe, ipsarumque parentem
Prœton Abantiaden, et anum quintam super illis,
Scilla una tædaque una, quot corpora dixi.
Jungitur et sulphur pariter pariterque bitumen,
Oceanique frementis et alti jungitur unda.
At tu, aër, has per nebulas mihi mitte precanti
Anticyram, ut cimicem hunc fieri faciam mihi fucum.

Recte quoque Menander:

. . . . Si verus tibi
Morbus quis esset, pharmaco vero foret
Opus, sed ecce reperisti pharmacum
Inane inani quod tibi fingis malo.
Jam profuturum crede, si te fœminæ

Lustrent in orbem, fontibus lavent tribus,
Jungantque lentem pariter et multum salem.
Bene est piatus, conscius sibi bene.

Jam vero dicit Tragœdia : « Oreste, quis te perdit morbus? » Conscientia ipsa, quoniam sum mihi conscius me perpe» trasse gravia. » Revera enim non est alia puritas quam abstinentia a peccatis. Pulchre ergo dicit etiam Epicharmus: *Mundam si mentem habeas, es mundus toto corpore.* Porro autem animas quoque dicimus oportere prius purgari a malis et improbis dogmatibus per rectam rationem, et tunc sic converti ad memoriam præcipuorum religionis capitum: nam ante mysteriorum quoque traditionem, exhiberi oportere existimant quasdam expiationes iis qui sunt initiandi mysteriis, utpote cum oporteat impia deposita opinione ad veram converti traditionem.

V. Annon enim recte et vere nullo loco circumscribemus eum qui non potest circumscribi, neque in templis manufactis concludimus eum qui omnia continet? Ædificatorum autem et lapicidarum, sordidæque et illiberalis artis quodnam fuerit sanctum opus? Annon sunt iis meliores qui aërem et id quod continet, vel potius totum mundum et universitatem, existimarunt esse digna Dei excellentia? Ridiculum enim fuerit, ut ipsi dicunt Philosophi, hominem, qui est ludus deorum, Deum efficere, et ex ludicra arte Deum fieri : quoniam id quod fit, fit idem et simile ei ex quo fit, ut quod fit ex ebore eburneum, et quod ex auro aureum. Quæ autem a vilibus hominibus conficiuntur simulacra et templa, fiunt ex inerti materia: quare ipsa quoque fuerint inertia, materialia, et profana, et ut artem perfeceris, sordes semper participant et illiberalitatem. Non sunt ergo utique sacra et divina artis opera. Quidnam vero collocari possit, cum nihil sit quod non sit collocatum, quoniam omnia sunt in loco? Quod vero collocatur,

ab aliquo collocatur cum prius collocatum non esset. Si ergo Deus collocatur ab hominibus, fuit aliquando non locatus, et nec omnino quidem erat. Id enim erat non locatum, quod non erat : quandoquidem quidquid non est, non collocatur : quod autem est, collocari non poterit ab eo quod non est; sed nec ab ullo alio : nam ipsum quoque vere est : restat itaque ut a seipso. Et quomodo aliquid seipsum generabit? aut quomodo ipsum quod est, seipsum quoad esse collocabit? Utrum cum prius non esset collocatum, seipsum collocavit? Sed ne sic quidem fuisset, quoniam id quod non est, collocari non potest. Et quod existimatum est esse collocatum, quomodo quod prius habuit, hoc seipsum postea fecerit? cujus autem sunt ea quæ sunt, quomodo hoc aliquo adhuc opus habuerit? Sed et si Deus est homini forma similis, perinde ac homo opus habebit nutrimento et tegumento et domo, et aliis quæ consequenter accidunt. Nam qui eamdem habent formam et easdem affectiones, eodem quoque victu egebunt. Si autem sacrum duo hæc significet, nempe et Deum ipsum, et id quod est constructum in ejus honorem, cur non proprie eam quæ in Dei honorem per agnitionem sancta facta est ecclesiam, Dei sacrum dixerimus, quod est magni pretii, et non illiberali arte constructum, sed neque manu præstigiatoris ornatum, sed voluntate Dei templum effectum? Non enim nunc locum, sed electorum congregationem, appello ecclesiam. Melius est hoc templum ad accipiendam Dei dignitatis magnitudinem. Animal enim quod est magni pretii, ei qui est omni pretio dignus, imo cujus pretio nihil omnino respondet, consecratum est propter insignem sanctitatem. Erit autem is Gnosticus qui magni pretii est, qui est in honore apud Deum, in quo Deus est collocatus, hoc est, in quo consecrata est Dei cognitio. Hic divinam inveniemus effigiem et sanctam imaginem in justa anima, quando ea qui-

dum fuerit beata, at quae est praepurgata, beata autem efficit opera. Hic est et quod nondum collocatur, et quod est collocatum: hoc quidem in iis qui jam facti sunt Gnostici: illud autem in iis qui sunt in promptu ut fiant, etiamsi nondum sint digni Dei scientiam accipere. Nam quidquid est crediturum, jam tanquam fidele et Deo positum in honorem simulacrum, virtute praeditum, Deo est dedicatum.

VI. Quemadmodum ergo Deus loco non circumscribitur, neque animalis figura unquam assimilatur: ita nec in eum similes cadunt affectiones, neque alicujus indiget, sicut quae sunt nativa, ut sacrificium instar alimenti propter famem concupiscat. Ea quaecumque cadunt affectus, in id cadit interitus, et ei qui non nutritur, cibum praebere est stultum. Pure autem comicus quoque ille Pherecrates lepide in comoedia quae inscribitur Fugitivi, facit Deos cum hominibus expostulantes de sacris, « quod cum Diis sacrifica-» rent, primum secernerent id quod eorum dedecori as-» signaretur, cum dicit: Vosne cum femora ad inguen us-» que valde circumlimavistis, et lumbos satis attenuastis, » praeter dorsum spinam tanquam limatam distribuistis no-» bis quasi canibus? Deinde cum vos vestri invicem puderet, » multis modis celatis. » Eubulus autem qui est ipse quoque comicus, hoc modo ipse quoque scribit de sacrificiis:

Diis vero ipsi caudam consecratis et femur,
Tanquam scilicet iis nempe paediconibus.

Et in Semele introductum Bacchum facit disceptantem: « Primum quidem quod mihi sacrificant quidam sanguinem » et vesicam, cordis autem ne superficiem quidem. Ego » enim neque dulci vescor victima, nec femoribus. » Scripsit autem Menander: « Cum summos lumbos, bilem, et » quae comedi non possunt ossa diis imposuerint, ipsi con-» sumunt alia. » Annon enim a nidore sacrificiorum vel bes-

iis est abstinendum? Sin autem revera nidor est munus leorum qui sunt apud Græcos, cur non prius quoque coques in deos referunt, qui æquali dignantur beatitudine, t non ipsum adorant caminum, qui est huic venerabili ni lori propinquior? Quinetiam, Hesiodus dicit Jovem deceptum a Prometheo in divisione carnium accepisse

Arte mala ossa bovis nitida pinguedine tecta.
Hinc fit ut ossa viri sacras adolere per aras
Assueti veteris imitentur originis usum.

ed nequaquam dixerint, quæ ex indigentia oritur cupiditate vexatum nutriri Deum. Eum itaque efficient plantæ milem, ut qui nutriatur absque appetitione; et bestiis quæ itent in cavernis: quas dicunt aut in aëris crassitudine, ut etiam ipsa proprii corporis exhalatione nutriri, et citra ffensionem augeri. Atque si citra ullam egestatem eis Deus utritur, quid est opus nutrimento ei qui non indiget? Sin utem gaudet honorari, cum natura nullius indigeat, non bs re nos Deum precibus honoramus, et hoc sacrificium ptimum et sanctissimum cum justitia emittimus, justissimo Logo eum honorantes, per quem accipimus cognitioem, ea quæ didicimus per eum glorificantes. Est ergo uod est hic terrestre apud nos altare, congregatio eorum ui intenti sunt orationibus, unam quodammodo vocem abens communem et unam mentem. Quæ per odoratum utem accipiuntur nutrimenta, etsi sint diviniora iis quæ er os, tamen arguunt respirationem. Quid ergo de Deo icunt, utrum perspirat sicut genus dæmonum? an inspiit solum, ut aquatilia per branchiorum dilatationem? an ircumspirat, ut insecta per compressionem incisionis pennarum? Sed nulli ex his, si sapiant, Deum assimilaverint. Quæ autem respirant per pulmonis ad thoracem objectam ilatationem, ea attrahunt aërem. Deinde si Deo dederint

viscera et arterias, et venas, et nervos, et partes, inducunt eum nihil differentem. Conspiratio autem proprie dicitur in ecclesia. Est enim ecclesiæ sacrificium, oratio quæ a sanctis exhalatur animis, cum sacrificium simul aperitur et tota mens Deo. Sed antiquissimam quidem aram in Delo sanctam vulgo jactarunt. Ad hanc autem solum dicunt etiam accessisse Pythagoram, cæde et morte minime inquinatam : aram autem vere sanctam esse justam animam, et qui ab ea emittitur suffitum sanctam orationem, nobis dicentibus non credent? Esui autem carnium, ut arbitror, prætextus ut esset aliquis, excogitata sunt hominibus sacrificia : licebat autem alioqui absque tali *cultu simulacrorum*, ei qui vellet, vesci carnibus. Quæ enim ex lege fiunt sacrificia, allegorice nostram significant religionem : ut turtur et columba quæ offeruntur pro peccatis, emundationem partis animæ quæ caret ratione, Deo esse acceptam significant. Si quis autem ex justis esu carnium animam non onerat, satis consentanea utitur ratione : non qua Pythagoras et ejus asseclæ, somniantes animæ transmigrationem. Videtur autem Xenocrates seorsum tractans de nutrimento ex animalibus, et Polemon in opere de *Vita secundum naturam*, aperte dicere, quod noxium sit carnis nutrimentum, quod confectum est et assimilatum animis bestiarum. Ea ratione Judæi quoque maxime abstinent a carne suilla, utpote quod hoc animal sit maxime sceleratum, quoniam maxime omnium fructus effodit et corrumpit. Sin autem dicant hominibus data esse animantia : nos quoque id confitemur, sed non omnino ad comedendum : sed neque omnia, sed quæcumque non laborant. Quocirca non male Plato comicus in comœdia quæ inscribitur *Festis*, dicit :

Ex quadrupedibus autem nullum deinceps oporteret nos
Præter sues : carnes enim [occidere,

Habent suavissimas, et nihil ad nos redit ex sue
Præterquam setæ et lutum et clamor.

Unde etiam dicebat Æsopus, « maxime clamare sues, quia » quando trahuntur intelligunt se ad nihil aliud esse utiles » quam ad sacrificium. » Quocirca Cleanthes quoque dicebat *eos pro sale habere animam, ne carnes putrescerent.* Alii ergo eo vescuntur, ut qui sit inutilis : alii vero, ut qui fructus perimat : et alii eo non vescuntur, quod sit animal proclive ad coitum. Ea ratione neque hircum lex sacrificat, præterquam propter solam malorum ablegationem, quandoquidem voluptas est malitiæ metropolis. Jam vero hircinarum quoque carnium esum dicunt conferre ad morbum comitialem : dicunt autem et maximum augmentum fieri ex carnibus porcinis. Quocirca iis quidem qui corpus exercent est utilis, iis autem qui ipsam conantur augere animam, propter eam quæ ex esu carnium ingeneratur hebetudinem, non utique. Fortasse autem Gnosticus quispiam exercitationis quoque gratia abstinuerit a carnibus, et ne caro nimis luxuriet, et nimio impetu feratur ad rem veneream. « Vinum enim, » *inquit Androcydes*, et carnis ingurgitationes, corpus quidem robustum efficiunt, animam vero debiliorem. » Est ergo impium et a religione alienum hoc nutrimentum ad perfectam intelligentiam. Quocirca Ægyptii quoque in iis quæ eorum ritu fiunt purificationibus, non permittunt Sacerdotibus vesci carnibus : et avicularum carnibus utuntur tanquam levissimis : pisces autem non tangunt, cum propter alias quasdam fabulas, tum maxime quod ejusmodi cibus carnem reddat flaccidam. Jam vero animantia quidem terrestria et volucria, eumdem quem nostræ animæ, aërem inspirantia, nutriuntur, ut quæ cognatam aëri habeant animam. Pisces autem ne hunc quidem dicunt respirare aërem, sed illum qui cum aqua fuit contemperatus statim in primo mundi ortu, sicut etiam cum reliquis elementis, quod etiam

est indicium materialis permansionis. Oportet ergo Deo offerre sacrificia, non sumptuosa ac splendida, sed quæ sunt accepta, et suffitum illum in lege compositum, qui constat ex multis linguis et vocibus in oratione, vel potius qui ex diversis gentibus et sexibus per donum testamentorum construitur *in unitatem fidei*, et in laudibus congregatur, mente quidem pura, justa autem et recta vitæ institutione, ex sanctis operibus et justa oratione. Nam *quis adeo stultus*, ut ait lepor Poëticus, *et tam ignavi est animi*,

> Tam credulus quis est ut autumet deos,
> Tostaque bile, et ossibus tantum meris,
> Quæ forte rodant nec famelici canes,
> Lætarier, sibique munus poscere hoc,

et iis qui hæc faciunt gratiam reddere, quamvis sint piratæ, aut latrones, aut tyranni? Nos autem dicimus ignem sanctificare, non carnes, sed animas peccatrices; ignem dicentes non illum edacem et omnia consumentem et plane sordidum et illiberalem, sed prudentem, qui pervadit animam per ignem transeuntem.

VII. Jubemur autem colere et honorare eumdem, quem et Verbum esse et Servatorem atque ducem habemus persuasum, et per ipsum, Patrem, non selectis diebus, ut aliqui alii, sed continenter per totam vitam hoc agentes, et modis omnibus. Certe genus electum, per præceptum justificatum, *Septies*, inquit, *laudem dixi tibi*[1]. Unde nec in definito loco[2], neque in templo selecto, neque diebus aliquibus festis et præstitutis, sed per totam vitam is qui est Gnosticus, in omni loco, etiamsi per se sit solus, etsi secum habuerit alios qui eamdem fidem amplexi sunt, Deum honorat, hoc est, agit gratias propter rectæ vitæ cognitionem. Si autem alicujus boni viri præsentia, per sui

[1] Psal. cxix, 164.
[2] Vide D. Guillon, pag. 418 et seq.

observantiam et reverentiam, cum quicum versatur semper in melius format et effingit: quomodo is qui cum Deo semper est præsens, per cognitionem et vitam, et gratiarum actionem, non jure se melior semper evadat in omnibus et factis et verbis et affectu? Talis est is cui est persuasum, Deum ubique adesse, non autem certis ac definitis locis esse conclusum: ut cum se absque eo esse aliquando existimaverit, noctu et interdiu intemperantiæ se dedat et libidini. Per totam ergo vitam diem festum agentes, ubique et omni ex parte Deum adesse persuasi, laudantes agros colimus, hymnos canentes navigamus, et in omni alio vitæ instituto ut decet ex arte versamur. Propius autem Deo jungitur Gnosticus, ut qui simul quidem gravitatem et hilaritatem ostendat in omnibus. Gravitatem quidem, propterea quod ad Deum se convertat: hilaritatem autem, propterea quod humana bona reputet quæ dedit nobis Deus. Videtur autem cognitionis excellentiam Propheta sic ostendere: « Benignitatem et disciplinam et cognitionem doce me [1]: » ascendendo amplificans id quod est principale perfectionis. Hic ergo homo est vere regalis, hic sacerdos sanctus Dei: quod quidem nunc quoque servatur apud eos qui sunt prudentissimi ex barbaris, qui sacerdotale genus provehunt ad regnum. Hic ergo nequaquam se tradit confusæ turbæ quæ theatris dominatur. Quæ autem dicuntur et fiunt et videntur voluptatis illicientis gratia, ne in somnis quidem admittit. Neque has ergo quæ visu percipiuntur voluptates, nec eas quæ in aliis fruendis capiuntur varietates: ut sumptuosos suffitus qui odoratum alliciunt, aut condimenta ciborum, et quæ ex variis vinis sentiuntur delicias gustum inescantes: neque odoriferas ex variis floribus contextunas, quæ per sensum animam effœminant: sed honestum rerum omnium usum ad Deum semper referens, et cibi, et potus, et unctio-

[1] Psal. CXIX, 66.

nis, universorum datori offert primitias, gratias agens et per donum et unctionem, et per Verbum ei datum : ad conviviales epulas raro veniens, nisi si quod amicitiam concordiamque profitetur convivium, ut veniat ei persuaserit. Est enim ei persuasum, Deum omnia scire et audire, nec vocem solum, sed etiam cogitationem. Nam auditus quoque qui fit in nobis per meatus corporeos, non per vim corpoream, sed per quemdam sensum animalem et intelligentiam quæ discernit, voces aliquid significantes apprehendit. Non est ergo Deus humana forma præditus, ut audiat, neque ei sensibus est opus, ut placuit Stoicis, « præcipue auditu » et visu ; non posse enim unquam aliter apprehendere : » *sed* et aëris ad patiendum facilitas, et acerrima Angelorum consensio, et vis quæ animæ attingit conscientiam, inexplicabili potestate etiam absque sensili auditione simul cum cogitatione cognoscit omnia. Quod si quis dicat vocem inferius in aëre volvi, nec ad Deum pervenire : at cogitata sanctorum secant non solum aërem, sed totum mundum. Statim autem vis divina, perinde ac lux, totam perspicit animam. Quid vero, non etiam ipsa animi consilia ad Deum perveniunt, et suam quasi emittunt vocem? annon ea *etiam* transmittuntur a conscientia? Quamnam autem vocem expectaverit, qui secundum propositum suum, electum etiam ante nativitatem, et id quod futurum est, tanquam quod sit, cognovit? Annon profundum cujusvis animæ elucescere facit lux potestatis, cum *penetralia*, ut ait Scriptura, *scrutetur lucerna potestatis?* Totus auditus, et totus oculus est, ut his nominibus utar, Deus. Nullam ergo religionem servat, neque in hymnis, neque in sermonibus, sed neque in Scripturis aut dogmatibus, indecens de Deo opinio; verum ad humiles et indecoras deflectit notiones et cogitationes : quo fit ut *multorum laudatio nihil differat a maledicto*, propter veritatis ignorationem. Atque quorum quidem sunt desideria et appeti-

iones, et ut semel dicam, animi impulsiones, pro iis fiunt etiam precationes. Quamobrem nemo potum desiderat, sed bibere potum: sed nec hæreditatem, verum esse hæredem: ita neque cognitionem, sed nosse: neque rectam rempublicam, sed rempublicam gerere. Pro iis ergo rebus preces fiunt, quæ petuntur; et ea petuntur, quæ cupiuntur. Precari autem et appetere fiunt inter se invicem, ad habendum bona et ea, quæ adjuncta sunt, commoda. Is itaque qui cognitione tanquam possessione quadam est præditus, et petit et precatur ea quæ sunt vere bona, nempe bona animæ, ipse quoque cooperans ut perveniat ad habitum bonitatis, ut non amplius habeat bona tanquam aliquas adjunctas disciplinas, ipse autem sit bonus. Quocirca eos maxime decet precari qui Deum norunt ut oportet, et qui congruam habent virtutem, qui sciunt quænam sint vere bona, et quæ sint petenda, et quando, et quomodo singula. Est autem extrema inscitia, ab iis qui non sunt dii tanquam a diis petere; aut quæ non sunt utilia petere, quæ sibi mala sunt sub specie boni flagitantes. Unde merito cum sit unus bonus Deus, ab ipso ex bonis alia quidem nobis dari, alia vero permanere, precamur nos et Angeli, sed non similiter. Non est enim idem, petere ut donum permaneat, atque ab initio ut id accipiamus contendere. Quinetiam aversio et depulsio malorum, est species precationis, sed ea precatione nunquam est utendum ad damnum hominum, nisi justitiæ curam gerens Gnosticus, dispenset hanc petitionem iis qui mali sensum exuerunt. Est ergo, ut audacius dicam, precatio, cum Deo conversatio[1]. Quare licet susurrantes, et nec labra quidem aperientes tacite loquamur, intus clamavimus. Quamlibet enim internam collocutionem Deus exaudit perpetuo. Hinc et caput et manus in cœlum extendimus, et pedes excitamus in ultima acclamatione

[1] Vide D. Guillon, p. 419.

orationis, promptitudine et alacritate spiritus assequentes essentiam quæ apprehenditur intelligentia : et una cum sermone corpus a terra abducere conantes, erigentes animam desiderio meliorum alatam cogimus in sancta progredi, magno animo carnis vinculum despicientes. Scimus enim optime, eum qui est Gnosticus, totum mundum libenter transcendere, velut Judæi Ægyptum, ut aperte ostendat, se Deo quamproximum esse futurum. Quod si nonnulli certas ac definitas horas constituunt precationi, ut verbi causa, tertiam, sextam, nonam : at Gnosticus, per totam orat vitam, dum per preces suas cum Deo studet versari. Reliquit autem, ut semel dicam, omnia quæ non sunt utilia, cum eo jam pervenerit, ut jam hinc acceperit consummationem ejus qui ex charitate agit. Jam vero triplicem horarum divisionem, quæ totidem sunt honoratæ precibus, sciunt qui norunt beatam sanctarum mansionum trinitatem. Hic mihi veniunt in mentem quidam qui diversa sentiunt, nempe qui Prodici hæresim sequuntur, a quibus docetur non esse orandum. Ne ergo de hac impia sua sapientia, tanquam nova hæresi se efferant, sciant eam a Philosophis qui dicuntur Cyrenaici se accepisse. Suo autem tempore adversus impiam falso nominatorum istorum dicetur cognitionem, ne si huic Commentario insereretur, cœptam interrumperet orationem prolixa de iis disputatio, cum id hoc loco ostendimus, eum solum esse vere pium ac religiosum Dei cultorem, qui ex regula ecclesiastica vere est Gnosticus, cui soli id quod petit secundum Dei voluntatem tribuitur, et cum petiit, et cum cogitavit. Quemadmodum enim quidquid vult potest Deus, ita quidquid petierit Gnosticus, id accipit. Omnino enim novit Deus eos qui bonis digni sunt, et qui non. Unde dat ea quæ singulis conveniunt. Quamobrem indignis, etiamsi sæpe petierint, non dabit : dabit vero iis qui sunt digni. Neque

superflua tamen propterea est petitio, etiamsi absque petitione dentur bona. Jam et gratiarum actio, et petitio eorum quæ pertinent ad conversionem proximorum, est opus Gnostici: qua quidem ratione oravit quoque Dominus, gratias quidem agens quod ministerium perfecerat: rogans autem ut ad cognitionem venirent quamplurimi, ut in iis qui salvi fiunt, per salutem ex agnitione Deus glorificetur, et qui est solus bonus et qui solus servator, per Filium ex sæculo in sæculum agnoscatur. Quinetiam fides qua quis credit accepturum esse se quod petit, quædam precatio est, in animo Gnostice reposita. Cæterum, si conversationis cum Deo occasio est precatio, accedendi sane ad Deum nulla est prætermittenda occasio. Ejus certe, qui est Gnosticus, sanctitas connexa cum beata Providentia, per spontaneam confessionem, ostendit perfectum Dei beneficium. Est enim veluti quædam mutuo respondens Providentiæ cura, sanctitas Gnostici, et reciproca amici Dei benevolentia. Neque enim Deus invitus est bonus, quo modo ignis est præditus vi calefaciendi; verum voluntarie bona impertit, etiamsi anticipet petitionem. Neque vero invite salvus erit is qui fit salvus (non est enim inanimus), sed omnino voluntarie et libero animi arbitrio contendet ad salutem. Quocirca præcepta quoque homo accepit, ut qui ex se moveri possit ad utrum velit ex iis quæ sunt eligenda et fugienda. Non facit ergo Deus bona ex necessitate, sed libera voluntate benefacit iis qui ex se convertuntur. Non est enim servilis quæ ad nos venit divinitus, tanquam à deterioribus ad meliores procedens, Providentia. Sed miseratione nostræ imbecillitatis, exercentur continuæ Providentiæ dispensationes, sicut pastoris erga oves, et regis erga eos qui ejus parent imperio, et nostrum erga præfectos nostros, qui eos regunt qui sunt eis commissi, eo ordine qui fuit eis traditus a Deo. Dei ergo sunt servi et cultores, qui liberalissimum et

maxime regalem cultum ac servitutem exhibent, qui fit per piam mentem et cognitionem. Est ergo omnis quoque locus vere sacer, et etiam omne tempus in quo Deum mente concipimus. Quando autem is cujus est bona mens, gratusque animus, petit per orationem, quodammodo ipse ad acceptionem aliquid confert, eo quod ex precatione appareat, eum libenter accipere quod desiderat. Quando enim nostram propensionem acceperit is qui est dator bonorum, ejus conceptionem omnia simul bona consequuntur. Certe per orationem examinantur mores, quomodo se habeant ad officium. Si autem vox et loquela nobis data est ut nos invicem intelligamus, quomodo non ipsam animam *et mentem* Deus exaudit, cum jam certe anima animam, et mens mentem exaudiat? Unde loquaces Deus linguas non expectat, ut hominum interpretes, sed cognoscit omnium, ut semel dicam, mentes; et quod nobis vox significat, hoc Deo nostra loquitur cogitatio, quam etiam ante creationem sciebat esse venturam in mentem. Licet ergo etiam absque voce emittere orationem, modo quis quidquid est intrinsecus spiritale, intendat in vocem quæ mente percipitur, per indivulsam ad Deum conversionem. Quoniam autem diei natalis imago est Oriens, atque illinc quoque lux augetur quæ primum illuxit ex tenebris, iisque qui volutantur in ignoratione exortus est dies cognitionis veritatis, quemadmodum sol oritur, ideo ad ortum matutinum habentur preces. Unde etiam templorum antiquissima respiciebant ad Occidentem, ut qui vultu stant ad simulacra converso, doceantur verti ad Orientem. « Dirigatur oratio mea tanquam incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum[1], » aiunt Psalmi. Sceleratis ergo hominibus oratio, non solum aliis, sed etiam sibimetipsis est perniciosissima : siquidem etiamsi ac quæ fausta

[1] Psal. CXLI, 2.

et prospera dicunt, postquam petierint, acceperint, ipsa hæc lædunt eos qui acceperunt, ut qui sint usus eorum nescii. Orant siquidem ut ea possideant quæ non habent bona, atque quæ videntur bona, non ea quæ sunt, petunt. Gnosticus autem, eorum quæ possidet stabilitatem, ad ea autem quæ eventura sunt aptitudinem, eorum autem quæ est accepturus, petet æternitatem. Quæ autem vere sunt bona quæ versantur in animo, ea ut et sint sibi et permaneant, precatur : unde neque aliquid ex iis quæ absunt desiderat, contentus præsentibus. Neque enim est propriis bonis defectus, cum jam sibi sit sufficiens ex divina gratia et cognitione. Sed cum suis quidem sit contentus, aliis autem non egeat, omnipotentem autem cognoscat voluntatem, et simul habeat et precetur, maxime autem omnipotenti adhærescat potentiæ, dum studet esse spiritalis, per interminatam charitatem, unitur spiritui. Sic magni est et excelsi animi, qui id quod est omnium præstantissimum, quod omnium optimum, possidet per scientiam, et facile quidem applicatur ad contemplationem : eorum autem quæ cadunt in contemplationem, in anima vim habet permanentem, hoc est, perspicacem scientiæ acrimoniam. Hanc autem ut possideat potestatem quam maxima vi contendit : eaque quæ cum mente pugnant in potestate habet sua, et in contemplatione quidem perpetuo residens, et in ea se exercens exercitatione, ut a jucundis abstineat, et in faciendo recte se gerat, magna præterea instructus experientia, tam in doctrina, quam in iis quæ ad vitam pertinent, dicendi libertatem possidet, non quidem vim effrænatæ linguæ, sed vim quæ simplici utitur oratione, nihil eorum quæ convenienti tempore dici possunt, et de quibus maxime dicendum est pro dignitate, celans neque propter gratiam, neque propter timorem. Qui ergo ea quæ ad Deum spectant, ab ipso mystico veritatis accepit choro, sermone quæ

virtutis ostendit magnitudinem, quemadmodum et dignum est, quæque ad eum spectant, demonstrans, cum excelso quodam quem precatio suppeditat animo, utitur, iisque quæ mente sola concipiuntur et spiritu per cognitionem quasi copulatur. Quo fit ut sit semper benignus, mansuetus, aditu facilis, affabilis, patiens, gratus, bona præditus conscientia. Idem est rigidus et austerus, idque non solum ut non corrumpatur, sed etiam ad hoc ut non tentetur. Nunquam enim animum voluptati aut dolori submittit, aut ab eis expugnatur. Judex, si ad id vocet Logos, immobilis fit, animi motibus nihil penitus largiens, immutabiliter qua justum jubet proficisci ingrediens, persuasum habens omnia pulcherrime administrari, quæque virtutem elegerint, semper in melius proficere animas, donec ad ipsum bonum venerint, ut quæ in vestibulis ut ita dicam Patris, magno pontifici propinquæ evaserint. Hic ergo Gnosticus est fidelis, cui est persuasum quæ sunt in mundo optime administrari. Æquo certe is fert animo omnia quæ eveniunt. Merito ergo nihil ex iis quæ ad vitam pertinent, ad usum necessarium requirit: ut cui sit plane persuasum, quod qui omnia novit Deus, id quod est utile suppeditat bonis etiam non petentibus. Sicut enim artifici artificiose, et gentili gentiliter: ita etiam Gnostico Gnostice præbentur singula. Et qui ex gentibus quidem convertitur, fidem: qui autem jam ascendit ad cognitionem, charitatis petet perfectionem. Gnosticus autem, qui ad summum jam pervenit gradum, precatur ut contemplatio augeatur et permaneat: sicut qui est homo vulgaris, ut sit perpetuo sanus. Quinetiam petet ut a virtute nunquam excidat, ipse interea cooperans maxime ut perpetuo maneat ejusmodi ut non possit excidere. Novit enim aliquos quoque ex Angelis, propter socordiam humi esse lapsos, quod nondum perfecte ex illa in utramque partem proclivitate, in simplicem illum atque unicum expediissent se

habitum. Ei vero qui ex hoc loco, ad summum cognitionis gradum, et extremam viri perfecti se exercuit sublimitatem, omnis et locus succurrit et tempus postquam semel sine ullo lapsu vitam transigere elegit, seque in eo constanti ac uniformi mentis stabilitate exercet. Quibus autem gravis aliquis adhuc relinquitur angulus deorsum vergens, una quoque detrahitur id quod per fidem sustollitur. Ei ergo, qui exercitatione Gnostica virtutem quæ non potest amitti comparavit, efficitur naturalis habitus. Et sicut lapidi gravitas, ita hujus scientia evadit hujusmodi ut amitti non possit: nec invito, sed sponte, vi rationis et cognitionis atque Providentiæ, eo deducitur ut non amittatur. Quippe cavendo eo deducitur ut amitti non possit. Cautionem enim ne peccet, bonam autem considerationem, ne rursus amittat virtutem, tenebit. Cognitio autem videtur bonam præbere considerationem, docens discernère ea quæ possunt adjuvare ad hoc ut virtus permaneat. Res est ergo maxima Dei cognitio: quocirca ea quoque ita conservatur virtus ut amitti nequeat. Qui autem Deum novit est sanctus et pius: qui est ergo Gnosticus, eum solum esse pium jam probatum est. Isque gaudet quidem de bonis præsentibus: lætatur autem propter ea quæ sunt promissa, tanquam jam præsentia. Neque enim eum latent tanquam adhuc absentia, propterea quod qualia sint jam ante cognoverit. Cognitione ergo persuasus quale sit unumquodque ex futuris, jam hoc possidet. Quod enim est mancum ac defectivum, metiendum est ex eo quod ad ipsum pertinet. Si ergo possidet sapientiam, et est divinum quædam sapientia: qui est particeps ejus quod non indiget, non erit indigens. Nam in sapientiæ communicatione non se invicem movent et retinent operatio et id quod participat: neque aliquid tum aufertur, aut fit indigens. Apparet ergo non minui operatio per ipsam communicationem. Sic ergo habet omnia bona Gnosticus,

potestate : sed nondum etiam numero, tum enim dimoveri non posset, quod attinet ad divinos qui debentur profectus et administrationes. Hunc quoque Deus adjuvat, propinquiore honorans curatione. Annon enim bonorum virorum gratia, et ut ea possiderent, et illis usui vel potius saluti essent, omnia facta sunt? Non ergo eis auferet ea quæ sunt propter virtutem, propter quos sunt quæ facta sunt. Clarum est enim quod bonam ipsorum naturam et sanctum institutum honorans, iis qui bene vivere constituerunt, vires inspirat ad reliquam salutem : alios quidem solum adhortans, aliis vero qui ex se digni evaserunt opem ferens. Est enim omne bonum ejusmodi ut adnascatur ei *qui est* Gnosticus : siquidem ei est finis scire et facere scienter unumquodque. Quemadmodum autem medicus præbet sanitatem iis qui ei cooperantur ad sanitatem : ita etiam Deus æternam salutem iis qui cum eo cooperantur ad cognitionem et ad bonas actiones. Porro simul cum actione, quandoquidem in nostra sint potestate ea quæ præcepta imperant, perficitur promissio. Ac mihi videtur illud quoque recte dici apud Græcos. Athleta quidam non ignobilis inter veteres, cum longo tempore corpusculum exercuisset ad fortitudinem, petens Olympia, cum Pisani Jovis aspexisset statuam : « Si omnia, *inquit*, ô Jupiter ! mihi recte » parata sunt ad certamen, merito mihi redde victoriam. » Sic enim Gnostico, cum inculpate et cum bona conscientia, quod ad se attinet, omnia impleverit, et ad doctrinam, et ad exercitationem, et ad bonorum operum effectionem, et ad hoc ut Deo sit gratus, id omne, salutem deducit ad perfectionem. Hæc ergo a nobis exiguntur quæ sita sunt in nostra potestate, et eorum quæ ad nos pertinent tam præsentium quam absentium electio, et desiderium, et possessio, et usus, et permansio. Quorcirca vere puram et immaculatam oportet habere animam, eum qui cum Deo con-

versatur, et ut seipsum bonum perfecte efficiat: sin minus, progrediatur saltem ad cognitionem, et eam desideret, a vitii autem operibus omnino sit separatus. Quinetiam decet eum omnes preces et probe facere et cum probis[1]. Est enim lubricum ac periculosum cum peccatis aliorum communicare. Una ergo cum iis qui recentius crediderunt, Gnosticus de iis precabitur de quibus una etiam agere convenit. Universa autem ejus vita, tanquam quidam dies festus est. Atque ei quidem sacrificia, sunt ipsæ preces et laudes, et quæ ante cibum fiunt Scripturarum lectiones: psalmi autem et hymni, dum cibus sumitur, et antequam eatur cubitum, sed et noctu, rursus orationes. Per eas seipsum unit choro divino, ex memoria continua, in semper memoranda ascriptus contemplatione. Quid vero? non aliud quoque sacrificium, nempe dogmatum et pecuniarum in egenos largitionem cognoscit? Maxime. Sed nec ea quæ fit ore utitur verbosa precatione, ut qui quæ petere oporteat, a Domino didicerit. In omni ergo loco orabit, sed non ut aperte populo appareat. Quin vero et inter ambulandum, et in sermone et quiete et lectione, et operibus quæ fiunt ex ratione, omni modo precatur. Quin si in ipsius animæ penetralibus solum cogitaverit, atque *inenarrabilibus gemitibus* Patrem invocaverit: ille prope adest eo adhuc loquente. Cum sint autem tres fines cujusvis actionis, propter id quidem quod est bonum et utile omnia operatur: voluptatis autem causa aliquid agere, his relinquit qui vulgarem vitam sequuntur.

VIII. Longe autem abest ut qui in tali pietate probatus est, sit ad mentiendum propensus et ad jurandum: est enim jusjurandum confessio definitiva cum divina assumptione. Qui est autem semel fidelis, quomodo seipsum infidelem præbuerit, ut etiam opus habeat jurejurando, et

[1] Vide D. Guillon, pag. 410.

non ita vitam instituat, ut ea sit firmum ac definitum jusjurandum, fidemque ostendat confessionis in constanti stabilique vita et sermone? Si autem in judicio ejus qui facit et loquitur, positum est facere injuriam, non in perpessione ejus qui patitur persecutionem, neque mentietur, neque pejerabit, ut qui Deum afficeret injuria, cum eum sciat natura esse hujusmodi ut minime lædi possit. Sed neque propter proximum mentietur, vel aliquid transgredietur, quem didicit diligere, etiamsi non sit familiaris. Propter seipsum autem multo minus aut mentietur, aut pejerabit, siquidem nunquam sua sponte in seipsum injustus invenietur. Sed neque jurat, ut qui in affirmatione quidem, *Ita* [1], in negatione autem, *Non* [2], usurpare constituerit. Jurare enim est jusjurandum, vel tanquam jusjurandum, mente conceptum proferre ad aliquid persuadendum. Sufficit ergo ei vel affirmationi vel negationi addere illud : Vere dico, ut fidem iis faciat, qui responsi ejus non perspiciunt stabilitatem. Oportet enim eum habere, ut ego quidem existimo, apud externos quidem vitam fide dignam, ut ne postuletur quidem ab eo jusjurandum : apud seipsum autem et qui cum eo conversantur, animi æquitatem, quæ est justitia voluntaria. Jam vero recte Gnosticus jurat, proclivis autem ad jurandum non est, verum raro quidem accedit ad jurandum, eo quem diximus modo. Quanquam ut sit verax in jurejurando, fit ex ea quam veritate habet consensione. Hoc ergo fit, quatenus quis se recte gerit vulgo in officiis. Curnam ergo est opus jurejurando ei qui ita vivit ut jam pervenerit ad summum veritatis? Qui igitur ne jurat quidem, multum abest ut sit pejeraturus : qui autem nihil transgreditur ex iis quæ pacta et conventa sunt, is nunquam juraverit : quandoquidem utrum violaverit an perfecerit, facto confirmat : sicut certe mentiri et pejerare, in dicendo

[1] Matth. v, 37. — [2] Jac. v, 12.

et jurando, est præter officium. Qui autem juste vivit, nihil ex iis quæ officium fieri postulat, transiliens, ubi examinatur judicium veritatis, is factis vere jurat. Est ergo ei superfluum linguæ testimonium. Cum ergo sit ei semper persuasum Deum esse ubique, et erubescat non verum dicere, et falsum dicere cognoscat se esse indignum, divina et sua ipsius contentus est conscientia : et ideo non mentitur, neque præter pacta conventa facit aliquid. Unde etiam neque jurat, si fuerit rogatus : neque unquam quod juravit negat, ne falsum dicat, etiamsi moriatur in tormentis.

IX. Gnostici autem dignitatem, maxime auget et amplificat, qui aliorum docendorum suscepit præfecturam, ut qui maximi quod est in terris boni dispensationem et verbo et facto acceperit, per quam tanquam mediator hominem cum Deo conjungit. Sicut autem qui res terrenas colunt ac venerantur, precantur simulacra perinde ac si audiant, stabilia ducentes pacta conventa quæ eis fiunt auctoribus : ita in animatis imaginibus, scilicet hominibus, vera Logi magnificentia a fide digno magistro accipitur : et quod in eos confertur beneficium, refertur ad ipsum Dominum, ad cujus imaginem docens is qui revera est homo, creat et concinnat, ad salutem renovans, hominem catechumenum. Quomodo enim ferrum Martem Græci appellant, et vinum Bacchum, propter quamdam relationem : ita Gnosticus, proximorum utilitatem propriam salutem existimans, merito dicetur Domini imago animata, non quoad formæ proprietatem, sed quoad communionem potestatis, et similitudinem prædicationis. Quidquid habet in mente, id etiam fert in lingua : atque apud eos qui digni sunt audire, ex assensione et sententia simul loquitur et vivit. Vera enim simul sentit et dicit, nisi quando loco medicinæ, ut medicus ad ægrotantes, ad eorum qui laborant salutem, mentietur, aut falsum dicet, ut aiunt Sophistæ. Ecce enim Timotheum

præclarus circumcidit Apostolus, cum interea vociferaretur et scriberet *circumcisionem*[1] manufactam nihil prodesse (9): sed ne repente a lege avellens ad eam quæ est ex fide cordis circumcisionem, adhuc reluctantes eos qui audiebant Hebræos, a Synagoga sese cogeret distrahere, se Judæis accommodans, *factus est Judæus, ut omnes lucrifaceret*[2]. Qui ergo propter proximorum salutem quibus se accommodat, se demittit, is nullius simulationis omnino cogitur esse particeps ob periculum quod imminet justis ab iis qui eis invident. Propter solam autem propinquorum utilitatem, faciet quædam quæ primario non fierent ab eo, si non faceret illorum causa. Is enim seipsum tradit pro Ecclesia, *pro familiaribus* quos ipse in fide genuit, in exemplum iis qui suscepturi sunt summum illud officium, benigni et pii doctoris, ut ostendat verborum veritatem et operetur charitatem in Dominum. Is est ejusmodi ut a timore non redigatur in servitutem, verus in sermone, tolerans in labore, nec in prolato sermone unquam mentiens, et in eo se semper ita gerens ut non peccet; quandoquidem ipsum mendacium, ut quod cum aliquo dolo dictum sit, non est sermo otiosus, sed exercetur ad vitium. Undique ergo *veritati* testimonium fert solus Gnosticus, et facto et oratione: semper enim in omnibus omnino se recte gerit, et in sermone, et in actione, et in ipsa cogitatione. Hæc ergo est, ut summatim dicam, Christiani pietas et religio. Si hæc facit rite, et convenienter rectæ rationi, pie facit et juste. Si hæc autem ita se habent, Gnosticus solus revera erit pius, justus, religiosusque Dei cultor. Non est ergo Christianus atheus, quod fuerat propositum ostendere philosophis, quare nullum malum vel turpe, quod est injustum, ullo modo unquam operabitur. Consequenter ergo nec se gerit impie, sed vel solus pie ac sancte Deum colit, eum, in-

[1] Rom. II, 25. Ephes. II, 11. — [2] I Cor. IX, 19 et seq.

quam, qui vere est Deus, princeps, et rex omnium, et omnipotens, ex vera religione pure et caste colens.

X. Est enim, ut ita dicam, cognitio, quædam hominis, tanquam hominis, perfectio, quæ completur per rerum divinarum scientiam, et moribus, et vita, et sermone, congruens et consentiens sibi et Logo divino. Per hanc enim fides perficitur, utpote cum per eam solummodo fidelis efficiatur perfectus. Est ergo fides aliquod bonum intrinsecus positum, et quæ absque eo quod Deum quærat, Deum esse confitetur, et tanquam qui sit glorificat. Unde oportet ab hac fide eductum et in ea auctum, gratia Dei, quoad fieri potest, ejus accipere cognitionem. Dicimus autem cognitionem differre a sapientia quæ per doctrinam acquiritur : nam quatenus aliquid est cognitio, eatenus idem omnino est etiam sapientia ; quatenus autem est aliquid sapientia, non eatenus est omnino cognitio. In sola enim sermonis prolati cognitione, nomen sapientiæ accipitur. Verumenimvero de Deo non dubitare, sed credere, est fundamentum cognitionis. Est autem utrumque Christus, fundamentum, inquam, et ædificium, per quem est et principium et finis. Et extrema quidem non docentur, nempe principium et finis; fides, inquam, et charitas. Cognitio autem quæ datur ex traditione per Dei gratiam, veluti quoddam depositum committitur iis qui seipsos doctrina dignos exhibuerint, ex qua elucescit charitatis dignitas, ex luce in lucem. Dictum est enim, *habenti dabitur*[1]. Fidei quidem cognitio : cognitioni autem, charitas : charitati autem, hæreditas. Hoc autem fit quando quis pependerit a Domino per fidem, cognitionem, et charitatem, et una cum eo ascenderit, ubi est fidei nostræ et charitatis Deus et custos. Hinc denique traditur cognitio iis qui ad hoc sunt apti et selecti, eo quod majori præparatione opus sit

[1] Luc. XIX, 26.

et præexercitatione, et ad ea audienda quæ dicuntur, et vitam componendam, et ad considerate progrediendum ad id quod est ultra eam quæ est ex lege justitiam. Ea nos deducit ad finem interminatum et perfectum, prius docens eam quæ nobis est futura, Deo convenientem cum diis vivendi rationem, cum ab omni pœna et supplicio fuerimus liberati, quæ sustinemus ex peccatis ad salutarem disciplinam. Post quam redemptionem, præmium et honores dantur consummatis, cum cessaverint quidem a purgatione, cessaverint autem etiam ab alio quocumque ministerio, quantumvis sancto, et inter sanctos : deinde eos qui fuerint mundi corde, in propinquitatem Domini evectos, *manet* perpetuæ contemplationis restitutio, et deorum appellantur nomine, qui in iisdem sedibus sunt collocati, in quibus alii dii qui sunt primi sub Servatore constituti. Est ergo cognitio, velox ad purgationem, et apta ad illam acceptam mutationem in melius. Unde etiam facile traducit ad id quod est animæ cognatum ac divinum et sanctum, et per cujusdam proprii luminis mysticos profectus transmittit hominem, donec in supremum quietis locum restituerit eum qui est mundo corde, docens Deum scienter et per comprehensionem contemplari facie ad faciem. Hæc est enim utique animæ cognoscentis perfectio, ut cum omnem purgationem et ministerium superaverit, sit cum Domino, ubi est proxime ei subjecta. Fides ergo, ut ita dicam, est brevis et compendiosa eorum quæ necessaria sunt cognitio. Cognitio autem est firma ac stabilis demonstratio eorum quæ assumpta sunt per fidem, quæ per doctrinam Domini super fidem ædificatur, quæ transmittit ad infallibilitatem et scientiam, et perfectam comprehensionem. Ac mihi quidem ea videtur esse prima salutaris mutatio, quæ fit a gentibus ad fidem, ut prius dixi : secunda autem, quæ est a fide in cognitionem. Illa vero desinens in charitate, amicum,

id quod cognoscit, ei reddit quod cognoscitur. Et fortasse qui est ejusmodi, jam præoccupavit, ut sit *similis Angelis*. Post supremam igitur quæ est in carne excellentiam, semper prout convenit mutatus in melius, ad paternam aulam, ad vere Dominicam per sanctam hebdomadem contendit mansionem, futurus, ut ita dicam, lumen peculiari modo stans et manens, quod est omni ex parte omnino immutabile, qui est primus modus Dominicæ operationis; ejus quæ dicta est a nobis remunerationis, pro pietate indicium. Ex multis autem quæ sunt testimoniis, unum exemplum adducam, quod sic summatim effertur a propheta David: « Quis » ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto » ejus? Innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, neque juravit in dolo proximo » suo. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo Servatore suo. Hæc est generatio quærentium » Dominum, quærentium faciem Dei Jacob [1]. » Breviter, ut arbitror, nobis Gnosticum significavit Propheta: cursimque et obiter, ut videtur, nobis demonstravit David, Servatorem esse Deum, eum vocans *faciem Dei Jacob*, qui annuntiavit et docuit de spiritu. Quorcirca Apostolus quoque appellavit Filium *characterem gloriæ Patris* [2], qui veritatem de Deo docuerit, et expresserit quod Deus et pater unus est et solus omnipotens, *quem nemo novit nisi Filius, et cui Filius revelaverit* [3]. Unum autem esse Deum, per eos qui *quærunt faciem Dei Jacob*, indicatum est: quem solum esse Deum patrem bonum exprimit Servator noster et Deus. *Generatio autem quærentium* eum est genus electum, quod est vi inquirendi ad cognitionem præditum. Et ideo Apostolus quoque dicit: « Nihil vobis prodero, nisi vobis locutus fuero, aut in revelatione, aut in cognitione, aut in prophetia, aut in doctrina [4]. » Quanquam nonnulla quoque recte fiunt

[1] Psal. XXIV, 3, 4, 5, 6. — [2] Hebr. I, 3. — [3] Matth. XI, 27. — [4] I Cor. XIV, 6.

ab iis qui non sunt Gnostici : sed non ex ratione, sicut fit in fortitudine. Nonnulli enim cum sint natura iracundi, et deinde id absque ratione aluerint, ad multa citra rationem quodam feruntur impetu, faciuntque similia iis qui sunt fortes : adeo ut tanquam illiberales opifices eadem nonnunquam recte gerant, quod attinet ad tolerantiam : sed neque ex eadem causa, ex qua Gnosticus, neque idem sibi proponentes, nec si totum corpus tradant. *Charitatem enim non habent*, ut ait Apostolus, quæ generatur per cognitionem. Quæcumque ergo fit a sciente, ea est recta actio : quæcumque autem ab insciente, mala est, etiamsi pervicacissime persistat, quoniam non agit fortiter ex consideratione : neque dirigit actionem ad aliquid utile ex iis quæ ad virtutem dirigunt, et procedunt a virtute. Eadem autem ratio est etiam in aliis virtutibus : adeo ut etiam in religione obtineat. Non ergo Gnosticus solum quoad sanctitatem eo modo se habet : verum religioni ex scientia profectæ sunt etiam consentanea præcepta de reliqua vitæ institutione. Vitam enim Gnostici, nunc est nobis propositum describere, non autem adducere dogmatum contemplationem, quam convenienti tempore postea exponemus, servato rerum ordine.

XI. Is ergo universa vere et magnifice percepit, ut qui divinam acceperit doctrinam. Facto igitur ab admiratione rerum creatarum initio, atque eo ipso certum indicium, quod ad percipiendam sit idoneus cognitionem, domo secum afferens, fit alacer et promptus domini discipulus. Simul ac autem de Deo audire cœpit ac de Providentia, credidit ex iis quæ est admiratus. Hinc impulsus omnibus modis dat operam disciplinæ, omnia agens quibus possit accipere cognitionem eorum quæ desiderat. Desiderium autem per profectum fidei, consistit contemperatum cum inquisitione : id autem est fieri dignum tali tantaque contempla-

tione. Sic Dei Gnosticus gustabit voluntatem : non aures enim præbet, sed animum, rebus quæ significantur ab iis quæ dicuntur. Cum ergo ipsas rerum essentias et res ipsas acceperit per verba, merito animam quoque deducit ad ea quæ oportet, illud, *Non mœchaberis, Non occides* [1], peculiari modo accipiens, ut dictum est Gnostico, non ut ab aliis concipitur. Pergit ergo se exercens contemplatione scientifica, ut paulatim quoque se exerceat in iis quæ magis universe et magnificentius dicta sunt, recte sciens, quod *qui docet hominem scientiam* [2], ut ait Propheta, est Dominus, per os hominis Dominus operans. Ideo carnem quoque accepit. Merito ergo nunquam jucundum præfert utili, nec si casu aliquo invadat eum meretricioque more forte fortuna provocet formosa mulier : quoniam nec Joseph quidem ab instituto abducere potuit uxor domini. Ab ea autem exui se patiebatur per vim tenente tunicam, ut qui à peccato quidem fuerit nudatus, honestatis autem ornamentum induerit. Nam etsi oculi domini, Ægyptii inquam, Joseph non videbant, at omnipotentis quidem certe inspiciebant. Nam nos vocem quidem audimus, et corpora contemplamur : Deus autem ipsam rem examinat, a qua fertur vox et aspectus. His consequenter, si vel morbus, vel casus aliquis Gnosticum invaserit, atque adeo mors quæ est omnium maxime terribilis, manet animo interritus, sciens quæcumque sunt hujusmodi esse naturæ necessitatem : sed sic quoque Dei virtute ea effici medicamentum salutis, ut quæ per disciplinam eos beneficio afficiant qui difficilius transformantur, et vere bona pro meritis dispertiantur Providentia. Utens igitur rebus creatis, quando et quantum dicet Verbum, eique qui creavit agens gratias, usus earum fit Dominus. Nunquam acceptæ est memor injuriæ, nemini fit infensus, etiamsi sit odio dignus propter ea quæ facit : colit

[1] Exod. xx, 15, 13. — [2] Psal. xciv, 10.

enim creatorem, diligit autem vitæ socium, ejus misertus, et pro eo orans propter ejus ignorantiam. In corpus quoque suum per consensionem afficitur: cui quidem natura patibili est alligatus. Non tamen primario movetur ex perturbatione. In involuntariis certe casibus, a doloribus seipsum deducens ad ea quæ sunt ejus propria, non abducitur ab iis quæ sunt ab eo aliena: sed iis solum cedit et se accommodat quæ sunt ei necessaria, quousque illæsa conservatur anima. Non enim existimatione solum aut externa specie vult esse fidelis, sed cognitione et veritate, hoc est, firmo stabilique facto, et sermone efficaci. Non solum ergo laudat bona et honesta, sed ipse etiam contendit esse bonus et honestus, a bono et fideli servo factus per charitatem amicus, propter perfectionem habitus, quam ex vera disciplina et multa exercitatione pure acquisivit. Cum ergo magna vi contendat ut perveniat ad summum cognitionis, moribus ornatus, habitu compositus, omnia habens commoda ejus qui est vere Gnosticus, pulchrasque respiciens imagines; multos quidem qui perfecte vixerunt, patriarchas, plurimos autem prophetas, et nobis innumerabiles Angelos, et postremo Dominum qui nos docuit, et ostendit fieri posse ut summam illam vitam assequamur: ideo omnia mundi bona quæ sunt in promptu et ad manum, non diligit, ne humi remaneat, sed ea quæ sperantur, vel potius jam sunt cognita, quoad comprehensionem autem sperantur. Hac ergo ratione labores, et tormenta, et afflictiones sustinet, non ut qui sunt fortes apud Philosophos propter spem quod præsentes quidem sunt cessaturi dolores, sint autem rursus jucundorum futuri participes; sed cognitio ei persuasionem ingeneravit firmissimam, se esse recepturum quæ sperat futura. Quocirca non solum quæ hic sunt supplicia, sed etiam jucunda contemnit omnia. Aiunt certe beatum Petrum, cum vidisset uxorem suam duci ad mor-

tem, lætatum quidem esse quod vocaretur, et quod domum reduceretur, eam adhortatus ac consolatus, nomine compellasse, ac dixisse, *Heus tu memento Domini.* Tale erat beatorum illorum matrimonium, et usque ad charissimos perfecta affectio. Ea ratione Apostolus quoque : *Qui uxorem ducit, sit tanquam qui non ducat* [1], inquit, volens matrimonium minime moveri affectione, et nequaquam divelli a charitate in Dominum, quam tenere e vita ad Dominum peregrinanti uxori suasit, qui vere vir erat. Annon ergo eis fides spei post mortem satis erat testata, qui etiam in ipso tormentorum articulo Deo agebant gratias? Firmam et constantem, ut opinor, fidem possidebant, quam fideles quoque consequebantur operationes. Est ergo in quovis casu fortis ac valida Gnostici anima, quæ veluti corpus athletæ, et optima est habitudine, et maximas habet vires. Est enim optimi quidem consilii in iis quæ ad homines pertinent, quid sit justo faciendum decernens : ut quæ principia cœtus, et ut divinitati fierit similis, lenitatem quamdam ac moderationem in voluptatibus corporis doloribusque sibi comparavit : audacter autem insurgit adversus metus, in Deo habens fiduciam. Revera ergo terrestris divinæ virtutis imago est anima Gnostica, perfecta virtute exornata ex his omnibus simul, natura, exercitatione, et quæ simul cum eo crevit, ratione. Hæc pulchritudo animæ fit templum sancti Spiritus, quando dispositionem Evangelio consentientem per totam vitam habuerit. Qui est ejusmodi, insurgit adversus omnem metum, omne periculum, et quidquid est formidabile : non solum mortem, sed etiam paupertatem, et morbum, et ignominiam, et quæcumque sunt hujus generis, ut qui et a voluptate vinci nequeat, et rationis expertibus dominetur cupiditatibus. Bene enim novit quæ sint agenda et quæ non; ut qui strenue noverit quænam sint revera

[1] I Cor. VII, 29.

gravia, et quæ non. Unde scienter ea sustinet quæ oportet, et quæ decere ei dictat ratio; scienter distinguens ea de quibus habenda est fiducia, hoc est, ea quæ sunt bona, ab iis quæ videntur, et terribilia ab iis quæ apparent, morte scilicet, morbo, et paupertate : quæ quidem sunt opinionis potius quam veritatis. Hic est revera vir bonus, qui per habitum vel dispositionem animæ virtute præditæ remotus ab animi perturbationibus universam illam vitam superavit quæ perturbationibus est obnoxia. Hujus omnia a seipso dependent ad finem acquirendum. Nam quæ fortunæ dicuntur incommoda, ea viro bono non sunt formidabilia, quoniam non sunt mala : quæ autem vere sunt gravia, *ea sunt a* Christiano Gnostico aliena, utpote quæ ex diametro pugnant cum bonis, sunt enim mala, nec fieri potest ut eidem eodem tempore simul insint contraria. Qui citra ullam ergo reprehensionem agit actum vitæ, quem ei Deus agendum præbuerit, quæ sunt agenda et quæ sustinenda cognoscit. Annon enim ab ignoratione eorum, quæ sunt gravia aut non gravia, oritur timiditas? Quare, solus Gnosticus fidenti est animo, ut qui norit bona quæ sunt, et futura sunt : cum his autem, ut dixi, una sciat ea quæ non sunt revera *gravia* : sciens quippe solum vitium esse inimicum, et exitium afferre iis qui proficiunt ad cognitionem, armis Domini munitus, adversus id bellum gerit. Non enim si quid ex imprudentia, et diaboli operatione vel potius cooperatione consistit, hoc protinus imprudentia erat aut diabolus. Quoniam nulla operàtio est prudentia : prudentia enim est habitus. Nulla autem operatio est habitus. Non ergo ea quæ per ignorationem consistit, actio jam est ignoratio, sed vitium quidem est propter ignorationem, non tamen ignoratio : neque enim affectus, neque peccata sunt vitia, etsi procedant a vitio. Nemo ergo citra rationem fortis, est Gnosticus. Nam pueros quoque sic dixerit aliquis fortes, qui quæ sunt

formidabilia sustinent, propter eorum quæ sunt gravia ignorationem: ignem quidem certe sic tangunt. Sed et feras quæ in hastas incurrunt, cum sint fortes citra rationem, virtute quis præditas vocaverit? Fortasse autem hi quoque fortes dicent præstigiatores se in gladios rotantes, qui ex quadam experientia propter vilem mercedem malam artem exercent. Qui est autem revera fortis, cum per populi malitiam in manifestum sit periculum adductus, quod occurrit fidenter admittit: hac ratione discretus ab aliis qui dicuntur martyres, quod alii quidem sibi ipsis præbeant occasionem, et se nescio quomodo in ipsa pericula injiciant (si loqui sic fas est), hi vero primo ex recta ratione declinantes, deinde cum Deus vocaverit prompto et alacri animo se tradentes, et confirmant vocationem ex eo quod nihil temere de se constituerint, et virum præbent in vera ac rationali fortitudine probandum. Neque ergo metu majorum minora tolerant ut reliqui: neque timentes ne vituperentur ab iis qui sunt ejusdem loci et sententiæ, in confessione persistunt vocationis, sed propter suam in Deum charitatem libentes parent vocationi, nullum alium sibi scopum proponentes, nisi ut Deo placeant, non autem propter præmia laborum. Nam alii quidem propter gloriæ cupiditatem: alii vero quod vitent aliud gravius supplicium: alii vero propter quasdam lætitias et voluptates post mortem futuras, patiuntur: qui pueri sane in fide sunt; beati quidem, sed qui nondum viri evaserunt in ea quæ est erga Deum charitate, sicut Gnosticus. Sunt enim, sunt quemadmodum in gymnicis certaminibus, ita etiam in Ecclesia, coronæ virorum et puerorum. Charitas autem ipsa propter se est expetenda, non propter aliquid aliud: Gnostico igitur, una cum cognitione augetur perfectio fortitudinis, ex vitæ exercitatione, dum semper meditatur affectuum victoriam. Metu ergo et formidine vacuum, et in Domino confidentem,

reddit suum athletam, inungens ipsum et exercens charitas: quemadmodum ei tribuit justitia ut per totam vitam verum dicat. Est enim justitiæ compendium dicere: *Erit vestrum Ita, Ita, et Non, Non*[1]. Eadem ratio est etiam temperantiæ. Neque enim propter honoris cupiditatem, sicut athletæ propter coronas et gloriam: neque rursus propter pecuniæ cupiditatem, ut nonnulli præ se ferunt temperantiam, gravi vitio ad bonum persequendum impulsi. Sed neque qui propter corporis sui amorem sanitatis gratia, neque qui propter rusticitatem est continens, et non gustat voluptates, ullus vere est temperans. Certe cum semel voluptates gustaverint qui laboribus vitam terunt, continentiæ inflexam duritiem infringunt ad voluptates. Tales autem sunt ii quoque qui lege et metu prohibentur: qui si occasionem nacti fuerint furtim legem transgrediuntur, quæ honesta sunt fugientes. Quæ est autem propter seipsam expetenda temperantia, ut quæ per cognitionem perficiatur et semper maneat, dominum et imperatorem efficit hominem, ut sit temperans is qui est Gnosticus, et nec afficiatur a voluptatibus, nec liquescat doloribus, sicut aiunt adamantem igne minime liquescere. Horum ergo causa, est sanctissima et omnium scientiarum præcipua *charitas*. Per cultum enim ejus quod est optimum et excellentissimum, quod ex uno characterem accipit, amicum simul et filium efficit Gnosticum; *perfectum* revera *virum*, ut qui creverit *in mensuram ætatis*[2]. Quinetiam quæ est circa eamdem rem concordia est consensio: quod autem idem est, unum est. Amicitia autem perficitur per similitudinem, cum communitas sita sit in uno. Gnosticus igitur, cum diligat eum qui vere est unus Deus, et vir est vere perfectus, et Dei amicus, et in filii locum cooptatus: hæc enim sunt nomina nobilitatis et cognitionis, et perfectionis in Dei visione,

[1] Matth. v, 37. Jac. v, 12. — [2] Ephes. iv, 13.

quam summum profectum capit anima Gnostici, munda plane effecta, *facie*, ut sit ille, *ad faciem* [1] Deum omnipotentem in æternum videre dignata. Tota enim effecta spiritalis, cum ad id quod est cognatum processerit in Ecclesia spiritali, manet in Dei requie.

XII. Atque hæc quidem hactenus. Cum autem ita se habeat Gnosticus, et quod ad corpus attinet, et quod ad animam, et quod ad propinquos, seu fuerit servus, seu hostis lege factus, seu alius qualiscumque, æqualis est et similis: nam convenienter legi divinæ non *despicit fratrem* eodem patre et eadem matre natum: eum certe qui affligitur levat consolationibus, adhortationibus, iis quæ sunt ad vitam necessaria succurrens; dans omnibus egentibus, licet non similiter, verum juste et pro meritis. Quinetiam ei qui ipsum persequitur et odio habet, si eo indigeat. Parum curans eos qui dicunt, propter metum ei dedisse: si non fecerit propter metum, sed ut ei opem ferret. Qui enim ut inimicis subveniant non parcunt pecuniæ, et malorum osores sunt, quomodo non erit in suos major eorum charitas? Qui talis est, ex hoc progreditur ad perfecte sciendum, et cuinam maxime, et quantum, et quando, et quomodo sit daturus. Quis autem ejus viri jure fuerit inimicus, qui nullam inimicitiarum causam præbet omnino? Et annon, sicut dicimus de Deo, Deum nulli adversari, nec esse alicujus inimicum (est enim creator omnium, et nihil est ex iis quæ consistunt, quod nolit; dicimus autem ei esse inimicos eos qui non parent, et ex ejus præceptis non ambulant, ut qui ejus testamentum prosequantur odio), idem etiam in Gnostico inveniemus? Ipse enim nulli unquam ullo modo erit inimicus: nisi quod ejus inimici dici poterint, qui in viam ei contrariam convertuntur. Et alioqui is qui est in nobis distribuendi habitus, dicitur justitia: quin-

[1] I Cor. XIII, 12.

etiam habitus discernendi pro meritis aut magis aut minus, in quibus id oportet fieri ex scientia, summæ est species justitiæ. Ac sunt quidem quædam quæ vulgi more recte geruntur ab aliquibus, ut continentia a voluptatibus, quemadmodum inter gentes, ex eo quod non possit consequi quod videt aliquis, et ex eo quod timet homines : sunt autem etiam qui propter majores voluptates abstinent ab iis quæ sunt jucunda in præsentia. Ita ergo etiam in fide, aut propter promissionem, aut propter Dei metum se nonnulli continent. Et est quidem fundamentum cognitionis, talis continentia, et quædam ad id quod est melius deductio, et ad id quod est perfectum impulsus. *Initium enim sapientiæ*, inquit, *est timor Domini*[1]. Qui est autem perfectus, propter charitatem *omnia suffert, omnia sustinet, non ut homini placens, sed Deo*[2]. Quamquam eum quoque laus sequitur per consequentiam, non ad suam utilitatem, sed ad imitationem et usum eorum qui laudant. Dicitur autem alia quoque significatione *continens*, non solum is qui comprimit animi perturbationes, sed etiam is qui bona *continuit*, et firmiter acquisivit scientiæ magnitudinem, ex qua producit eas quæ ex virtute fiunt operationes. Ea facit ut si quis casus evenerit, a proprio habitu nunquam excedat Gnosticus: est enim solida et immutabilis boni quæ scientiam constituit possessio, ut quæ divinarum rerum et humanarum sit scientia. Cognitio ergo nunquam fit ignoratio, neque bonum mutatur in malum. Quocirca et comedit, et bibit, et uxorem ducit, non per se ac principaliter, sed necessitate adductus. Uxorem autem ducere, dico, si Logos dixerit, et ut convenit. Qui enim fuerit perfectus, exempla habet Apostolos : et revera vir esse probatur, non in eo quod vitam elegerit monasticam : verum ille viros vincit, qui in matrimonio, et liberorum pro-

[1] Prov. I, 7. — [2] I Cor. XIII, 7. 2 Thess. II, 4.

creatione, et domus cura, citra voluptatem et dolorem se exercet, et cum in familiæ versetur curatione, indivulsus tamen est a Dei charitate, insurgitque adversus omnem tentationem quæ affertur per filios, uxorem et famulos, et possessiones. Ei autem qui domum non habet, magna ex parte evenit ut non tentetur. Qui ergo sui solummodo curam gerit, vincitur ab eo, qui cum sit inferior quidem in iis qui pertinent ad suam salutem, superior autem in eorum, quæ ad vitam spectant, dispensatione, exiguam revera conservat imaginem, per veritatis curam. Sed nobis quidem, quam fieri potest maxime, prius varie exercenda est anima, ut ad suscipiendam cognitionem sit expedita et facilis. Non videtis quomodo mollitur cera et purgatur æs, ut novum accipiat characterem? Jam vero ut mors est animæ separatio a corpore, ita cognitio est veluti mors rationalis, abducens et separans animam a motibus et perturbationibus, et deducens ad vitam bonarum operationum, ut tunc Deo dicat libere: *Vivo sicut tu vis.* Nam cujus est institutum ut placeat hominibus, is Deo placere non potest: quoniam non quæ conferunt, sed quæ delectant plerique eligunt: qui autem Deo placet, bonis hominibus per consequentiam fit gratus et acceptus. Quomodo ergo cibus et potus et venus ei amplius fuerit delectabilis, cum etiam sermonem qui aliquam affert voluptatem, motumque cogitationis et operationem jucundam, habeat suspectam? *Nemo enim potest duobus dominis servire, Deo et mammonæ*[1] : non pecuniam intelligens sic nude dicit, sed suppeditationem quæ fit a pecunia in varias voluptates. Revera non potest fieri ut qui Deum cognovit magnifice et vere, eis quæ adversantur serviat voluptatibus. Est ergo unus quidem solus ab omni cupiditate alienus ab initio, benignus et clemens Dominus, qui propter nos factus est

[1] Matth. VI, 24. Luc. XVI, 13.

homo. Quicumque autem student assimilari characteri qui ab ipso datus est, ut fiant expertes cupiditatis per exercitationem magna vi contendunt. Qui enim concupivit, et seipsum postea continuit, instar est viduæ, quæ rursus fit virgo per temperantiam. Is enim cognitionis mercedem Servatori et magistro reddidit, quam ipse petiit; nempe abstinentiam a malis, et bonarum actionum operationem, per quas accedit salvus. Sicut ergo qui artes didicerunt, per ea quæ sunt docti alimenta acquirunt: ita Gnosticus, per ea quæ scit, vitam acquirens, fit salvus: qui enim noluerit perturbationem excindere animæ, seipsum occidit. Sed, ut videtur, alimenti quidem defectus est ignorantia animæ: nutrimentum vero, cognitio. Hæ autem sunt Gnosticæ animæ, quas assimilavit Evangelium virginibus sanctificatis quæ Dominum expectant[1]. Nam virgines quidem sunt, ut quæ a malis abstinuerint, expectant autem Dominum propter charitatem: suumque accendunt lumen ad rerum contemplationem, prudentes animæ, dicentes: O Domine! jam tandem desideramus te recipere: secundum ea quæ tu mandasti viximus, nihil prætermittentes eorum quæ præcepisti. Quamobrem promissa quoque petimus. Precamur autem quæ sunt utilia, cum non conveniat a te petere quæ sunt pulcherrima; et accipiemus omnia pro utilibus, etiamsi videantur esse mala quæ offerentur nobis exercitia, quæ quidem nobis tua offert dispensatio ac cura, ad stabilitatem exercendam et constantiam. Atque is quidem qui Gnosticus est, propter insignem sanctitatem, est paratior, non assequi si petat, quam assequi si non petat. Precatio quidem est ei universa vita, et cum Deo conversatio. Quod si mundus sit a peccatis, omnino quod vult assequetur. Justo enim dicit Deus: *Pete et dabo tibi, cogita et faciam*. Si sunt ergo utilia, accipiet protinus: inu-

[1] Matth. xxv, 1, et seq.

tilia autem nunquam petit, et ideo non accipiet; ita, quod vult, erit. Quod si quis dicat nobis, quosdam etiam peccatores impetrare id quod petant: hoc quidem raro fit, propter justam Dei bonitatem. Datur autem eis etiam qui possunt aliis benefacere: unde non fit donatio propter eum qui petiit: sed divina dispensatio, qua providet alterum esse per ipsum salvum futurum, rursus justam facit donationem: iis autem qui sunt digni, ea etiam quæ vere sunt bona dantur licet non petentibus. Quando ergo non necessitate vel metu vel spe fuerit justus aliquis, sed ex libero animi instituto, hæc dicitur via regia, quam ingreditur regale genus: sunt autem lubricæ et præcipites aliæ ab ea declinationes. Si quis ergo metum et honorem abstulerit, nescio an toleraturi jam sint afflictiones præclari isti, et qui tanta in loquendo utuntur libertate philosophi. Cupiditates ergo et alia peccata dicta sunt tribuli et valli. Operatur ergo Gnosticus, in vinea Domini, plantans, putans, irrigans, vere divinus agricola eorum qui sunt plantati in fide. Et qui malum quidem non fecerunt, æquum censent ut otii mercedem accipiant: qui autem bona fecit ex nudo ac puro animi instituto, exigit mercedem ut bonus operarius. Duplum certe accepturus est, tum ob ea quæ non fecit, tum et ea quæ bene fecit. Hujusmodi Gnosticus a nemine tentatur, nisi Deus permiserit, idque propter eorum qui cum eo versantur utilitatem. Confirmat certe alios ad fidem per virilem provocando eos tolerantiam. Et profecto propterea beati Apostoli, ad confirmandas et stabiliendas Ecclesias, ad experientiam et martyrium ducti sunt perfectionis. Cum ergo habeat Gnosticus vocem hanc assidue in auribus sonantem quæ dicit: *Quem ego percussero, tu ejus miserere*, petit ut ii etiam qui eum habent odio, ducantur pœnitentia. Nam quod de maleficis in stadiis sumitur supplicium, est etiam puerorum non contemplari: non potest enim

fieri ut ab iisdem unquam doceatur vel delectetur Gnosticus, qui ex libero animi instituto, ut bonus et honestus se exercuit. Ideoque adversus voluptates, durum semper infractumque habuit animum, et in peccata nunquam incidens, alienorum non castigatur exemplis malorum: multum autem abest ut terrenis voluptatibus et spectaculis delectetur, qui mundanas, etsi sint divinæ, contempsit promissiones. « Non omnis *ergo* qui dicit, Domine, » Domine, ingredietur in regnum Dei, sed qui facit volun» tatem Dei [1]. » Is autem erit operarius Gnosticus, qui mundanas quidem vincit cupiditates, licet sit adhuc in carne. De iis autem quæ cognovit futuris, et quæ adhuc *sub visum* non cadunt, tam certam habet persuasionem, ut ea magis adesse putet, quam quæ sunt præsentia. Hic est idoneus operarius, qui iis quidem quæ novit lætatur: quod autem in hujus vitæ necessitatibus volutetur, animo contrahitur, nondum dignatus efficaci eorum quæ novit participatione. Ac idcirco tanquam aliena utitur hac vita, quatenus requirit id necessitas. Novit ipse jejunii quoque ænigmata horum dierum, quarti, inquam, et sexti. Dicitur autem ille quidem Mercurii, hic vero Veneris. *Hinc* ille jejunat in vita, ct ab avaritia, et a libidine, ex quibus omnia oriuntur vitia. Fornicationis enim sæpe jam tres ex Apostoli sententia superius posuimus differentias, libidinem, avaritiam, idololatriam. Jejunat ergo etiam ex Lege a malis actionibus, et ex Evangelii perfectione a malis cogitationibus. Ei adhibentur etiam tentationes, non ad emundationem, sed ad propinquorum, ut diximus, utilitatem: si laborum facto periculo et dolorum, eos contempserit et ablegarit. Eadem est etiam ratio de voluptate: est enim res maxima, cum quis eam expertus fuerit, deinde abstinere. Quid enim magnum, si quis se contineat ab iis quæ

[1] Matth. VII, 21.

non novit? Is vero exequens præceptum Evangelii, facit illum diem Dominicum, quo malam abjecerit animi sententiam et acceperit eam quæ est ex cognitione, eam quæ est in ipso Domini glorificans resurrectionem. Quinetiam cum scientificæ contemplationis acceperit comprehensionem, se Dominum videre existimat, visum suum deducens ad ea quæ cadunt sub aspectum; etsi videatur videre ea quæ non vult videre: castigans videndi facultatem, cum senserit se voluptate affici ex applicatione visus. Nam hoc solum vult videre et audire quod ad se pertinet. Jam vero fratrum animas considerans, carnis quoque pulchritudinem ipsa aspicit anima, quæ solum id quod est honestum consuevit intueri absque voluptate carnali. Fratres autem sunt qui revera per electam creationem, et morum consensionem, et operum substantiam, eadem faciunt et cogitant et loquuntur opera sancta et honesta, quæ Dominus voluit ipsos, cum sint electi, sentire. Nam fides in hoc consistit, ut eadem eligant: cognitio autem in eo, quod eadem didicerint et sentiant: spes autem in eo, quod eadem faciant. Quod si propter vitæ necessitatem in se nutriendo consumat exiguam temporis particulam, fraudari se debito existimat, dum avellitur per negotium. Hinc fit revera ut ne somnium quidem videat, quod non electo conveniat. Nam totus revera is est hospes, et peregrinus in tota vita, qui in civitate habitans, contemnit ea quæ in civitate sunt et quæ alii mirantur, vivitque in civitate ut solitudine, ut non locus eum cogat, sed vivendi institutum ostendat esse justum. Hujusmodi Gnosticus, ut summatim dicam, Apostolicam compensat absentiam, recte vivens, accurate cognoscens, suos juvans necessarios, montes propinquorum transmovens, et inæqualitates ipsorum animæ abjiciens. Quanquam unusquisque nostrum sua vitis est et operarius. Idem etiam quæ sunt optima agens vult latere homines,

Domino simul et sibi ipsi persuadens se vivere ex præceptis, et hæc præferre propter ea quæ esse credidit. «Ubi »enim, *inquit*, est mens alicujus, illic est etiam ejus thesaurus[1].» Ipse per charitatis perfectionem seipsum diminuit, ne unquam contemnat afflictum fratrem, si se sciverit facilius laturum egestatem quam frater. Existimat certe illius dolorem esse dolorem proprium, et si ex sua præbens inopia propter beneficentiam aliquo afficiatur incommodo, id non ægre fert, sed adhuc magis auget beneficium. Habet enim puram et sinceram fidem, eam quæ est de rebus: per opera et contemplationem laudans Evangelium. Et sane non *laudem ab hominibus* accipit, *sed a Deo*[2], peragens ea quæ docuit Dominus. Idem per spem propriam, avulsus non gustat ea quæ sunt in mundo pulchra, omnia quæ hic sunt magno animo despiciens: sed et miseretur eorum qui post mortem castigati, per supplicium inviti confitentur, bonam semper habens conscientiam, et semper paratus ad exitum, ut *peregrinus et hospes* earum quæ hic sunt hæreditatum, memor tantum propriorum: quæ autem hic sunt omnia aliena existimans: non solum Domini mandata admirans, sed, ut ita dicam, per ipsam cognitionem particeps divinæ voluntatis, vere familiaris Domini *et mandatorum* electus, ut qui sit justus: imperandi autem et regnandi potestate præditus, ut qui sit Gnosticus. Omne præterea aurum, quod est super terram, et sub terra, et regnum quod est a finibus ad fines Oceani despiciens, ut solum Domini cultum teneat. Quocirca et comedens, et bibens, et uxorem ducens, si dicat Logos, quinetiam somnia aspiciens, sancta facit et cogitat; ea ratione semper mundus ad orationem. Quinetiam precatur cum Angelis, ut qui jam sit etiam æqualis Angelis, neque est unquam extra sanctam custodiam, et licet oret solus, ha-

[1] Matth. VI, 21. — [2] Rom. II, 29.

bet chorum Angelorum una assistentem. Sed et novit duplicem, et ejus qui credidit operationem, et ejus quod creditur, pro dignitate excellentiam. Nam justitia quoque est duplex, una quidem propter charitatem, altera vero propter metum. Dictum quidem certe est: timor *Domini castus, permanens in sæculum sæculi*[1]: qui enim convertuntur a timore ad fidem et justitiam, permanent in sæculum. Jam vero abstinentiam a malis operatur is qui timet. Adhortatur autem benefacere charitas super ædificans ipsi voluntarium, ut quis audiat a Domino: *Non vos amplius dico servos, sed amicos*[2]; et cum fiducia accedat ad preces. Genus autem ipsum precationis est gratiarum actio propter præterita, præsentia, et futura, ut quæ sint per fidem jam præsentia: id autem cognitionis præcedit acceptio. Quinetiam petit ut vivat vitam in carne definitam, tanquam Gnosticus, tanquam expers carnis, et consequatur quidem quæ sunt optima, fugiat autem quæ sunt deteriora. Petit autem sublevationem quoque eorum quæ nos peccavimus, et conversionem ad agnitionem, tam acriter sequens eum qui vocat in excessu, quam ille vocat præcedens, per bonam conscientiam ut ita dicam festinans ad agendas gratias, et ut, cum illic fuerit cum Christo, ut qui seipsum dignum præbuerit propter puritatem, per quamdam quasi temperationem habeat Dei virtutem quæ suppeditatur per Christum. Non enim caloris participatione calidus, neque ignis, lucidus, sed vult totus esse lux. Idem accurate novit id quod dictum est: « Nisi odio habueritis patrem et matrem, » et præterea propriam quoque animam, et nisi signum » portaveritis[3]. » Nam et carnales affectiones, quæ voluptatis maximas habent illecebras, odit, magnoque despicit animo omnia quæ ad creationem et nutritionem carnis sunt accommodata. Etiam insurgit adversus animam corpoream, im-

[1] Psal. XIX, 9. — [2] Joan. XV, 14, 15. — [3] Luc. XIV, 26, 27.

perium detrectanti spiritui, experti rationis, frænum injiciens, quoniam *caro concupiscit adversus spiritum*[1]. *Signum* autem *portare* est mortem circumferre, adeo ut vivus adhuc omnibus renuntiet; quoniam non est æqualis charitas ejus qui *seminavit carnem*, et ejus qui animam creavit ad scientiam. Hic cum ad benefaciendi habitum pervenerit, dicto citius beneficio afficit, orans ut fratrum quidem peccatorum sit particeps ad confessionem et cognatorum conversionem, ad propria autem bona amicissimis communicanda paratissimus. Ipsi autem sic ei sunt amici. Augens autem quæ apud ipsum deponuntur semina, ea quam mandavit Dominus agricultura, manet quidem nulli *peccato* affinis, fit autem continens; et spiritu quidem degit cum sui similibus in choris sanctorum, etiamsi adhuc in terris detineatur. Hic toto die et nocte dicens et faciens jussa Domini, supra modum lætatur, non solum cum mane surgit et meridie, sed etiam cum deambulat, et dormit, et vestes induit et exuit, et docet filium, si natus ei fuerit filius, inseparabilis a mandato et a spe: Deo semper agens gratias, sicut animalia glorificantia, quæ allegorice dicuntur per Esaiam: tolerans præterea cujusvis tentationis: *Dominus*, inquit, *dedit, Dominus abstulit*[2]. Talis erat Job quoque, qui propter singularem in Dominum charitatem, omnia sibi externa una cum sanitate auferenda, deposuit: *Erat* enim, inquit, *justus, sanctus, abstinens ab omni improbitate*. Verbum autem *sanctitatis*, omnia quæ ad Deum spectant jura, totamque vitæ rationem comprehendit. Quæ cum sciret, erat Gnosticus. Oportet enim, neque si sint bona, eis esse nimium deditum, cum humana sint; neque rursus si mala, nimium ægre ferre; sed utrisque esse superiorem, hæc quidem conculcando, illa vero ad egenos transmittendo. In accommodando se autem Gnosticus ad-

[1] Galat. v, 17. — [2] Isai. vi, 2, 3. Job. i, 21.

modum est cautus, ne forte non intelligatur, aut accommodatio fiat tandem dispositio.

XIII. Nunquam meminit eorum, qui in se peccarunt; sed eis remittit : quocirca juste etiam orat, ubi dicit, « Dimitte nobis, nam nos quoque dimittimus [1]. » Nam hoc quoque unum est ex iis quæ vult Deus, nihil concupiscere; nullum habere odio : unius enim voluntatis opus omnes homines. Annon autem Gnosticum volens *perfectum* esse Servator noster, *sicut Patrem cælestem* [2], hoc est seipsum, dicens : *Venite, filii, audite a me timorem Domini* [3], non vult hunc amplius opus habere auxilio quod datur per Angelos; sed a seipso cum dignus evaserit accipere, et a seipso habere præsidium per obedientiam? Qui talis est, exigit a Domino, non petit : et si egeant fratres, non petet Gnosticus, pecuniæ copias quas eis impertiatur : sed precabitur illis suppeditari ea quibus indigent. Nam sic dat etiam Gnosticus preces iis qui indigent, et non per preces inscienter simul præbet et simpliciter. Et paupertas quidem sæpe et morbus, talesque tentationes loco admonitionis præbentur in correctionem præteritorum, et ad curam futurorum. Qui est ejusmodi, petet ut hi subleventur; ut qui habeat eximium cognitionis munus non in vanam gloriam : verum ex hoc ipso quod sit Gnosticus, exercet ipse beneficentiam, ut qui factus sit instrumentum Dei bonitatis. Dicunt autem in traditionibus, Matthiam Apostolum subinde dixisse : « Si electi vicinus peccaverit, peccavit electus : nam si se ita gessisset ut jubet Logos, ejus vitam ita esset reveritus vicinus ut non peccasset. » Quid ergo dicemus de Gnostico? *An nescitis*, inquit Apostolus, *quod templum Dei estis* [4]? Divinus ergo est Gnosticus, et jam sanctus, qui Deum fert et ab eo afflatur. Jam vero ostendens Scriptura

[1] Matth. VI, 12. Luc. XI, 4. — [2] Matth. V, 48. — [3] Psal. XXXIV, 11. — [4] I Cor. III, 16.

eum esse alienum a peccato, eos qui offenderunt, vendit alienigenis: « Ne aspiciat autem ad concupiscentiam mu- » lierem alienam, » dicens, aperte dicit peccatum esse alienum, et præter naturam templi Dei. Templum autem, unum quidem est magnum, ut Ecclesia: alterum vero parvum, ut homo qui servat semen Abrahæ. Non concupiscet ergo aliquid aliud, qui habet Deum in se requiescentem. Jam vero relictis omnibus quæ sunt impedimento, et despecta tota quæ eum abstrahit materia, cœlum secat per scientiam: et spiritalibus transmissis essentiis, et omni principatu et potestate, tangit supremos thronos, ad illud solum tendens, propter quod solum cognoscebat. *Serpente*[1] *ergo juncta cum columba*, simul perfecte vivit et cum bona conscientia, spem fidei commiscens ad expectationem futuri. Sentit enim donum quod accepit, ut qui dignus sit habitus qui consequeretur, et translatus sit à servitute, in filiorum adoptionem, consequenter scientiæ: ut qui neque non cognoverit Deum, sed potius sit ab ipso cognitus propter finem, et pro gratiæ dignitate ostendat operationes: opera enim sequuntur cognitionem, non secus ac umbra corpus. Merito ergo nihil eum conturbat ex iis quæ accidunt, neque quidquam veretur ex iis quæ utilitatis causa a divino fiunt consilio: neque erubescit mori, ut qui bonam habeat conscientiam, ut ostendatur potestatibus, ab omnibus, ut ita dicam, animæ maculis emundatus, et qui sciat post excessum ex hac vita fore, ut secum melius agatur. Unde jucundum et utile nunquam dispensationi et divino præfert consilio, per mandata seipsum exercens ut evadat Domino acceptus in omnibus, et apud mundum laudabilis, quandoquidem dependent omnia ab uno Deo omnipotente. *In propria* inquit, *venit* Filius Dei, *et sui eum non receperunt*[2]. Quamobrem etiam in usu rerum mundanarum, non solum

[1] Matth. x, 16.— [2] Joan. I, 11.

agit gratias et admiratur creaturam, sed etiam utens ut oportet, laudatur, quoniam ei finis desinit in contemplationem ex operatione Gnostica, quæ fit convenienter mandatis, profectam. Hinc jam per scientiam colligens viaticum contemplationis, postquam magnifice accepit magnitudinem contemplationis, procedit ad translationis sanctam remunerationem. Audivit enim Psalmum dicentem: « Circumdate Sion, et comprehendite eam, narrate in turribus » ejus [1]. » Significat enim, ut arbitror, eos qui Logon alte susceperunt, futuros altos ut turres, et firmiter staturos in fide et cognitione. Et hæc quidem quam fieri potest brevissime dicta sint Græcis instar seminis, de Gnostico. Sciendum est autem, quod si unam vel alterum ex his fidelis recte gesserit, non tamen geret omnia, neque cum summa illa scientia cum qua Gnosticus.

XIV. Atque illius, ut ita dicam, affectuum vacuitatis, quam Gnostico tribuimus, per quam fidelis hominis perfectio, « per charitatem in virum procedens perfectum ad mensuram pervenit ætatis [2], » Deo assimilata, vere facta æqualis Angelis, succurrunt multa quidem alia, quæ ex Scriptura adduci possunt, testimonia. Satius autem existimamus hanc laudem propter disputationis nimiam prolixitatem, iis relinquere qui volunt laborare, permittentes ut una etiam elaborent dogmata, per allegationem Scripturarum. Unius autem brevissime meminero, ne locum prætermittam non annotatum. Dicit enim divinus Apostolus in priore Epistola ad Corinthios: « Audet aliquis vestrum habens negotium cum alio, judicio contendere apud injustos et non apud sanctos? An nescitis quod sancti mundum judicabunt [3]? » et quæ sequuntur. Cum sit autem locus prolixior, adhibitis Apostoli, quæ maxime ad rem faciunt, verbis, quam poterit brevissime fieri, et quasi in transitu ipsum interpreta-

[1] Psal. XLVIII, 12. — [2] Ephes. IV, 13. — [3] I Cor. VI, 1, 2.

ex quibus nihil est quod sit Gnostici proprium. Quomodo autem *Angelos* qui defecerunt judicabit quispiam, qui ipse defecerit ab illa lenitate, et acceptæ injuriæ oblivione, quam præscribit Evangelium? « Cur non ergo potius, *inquit*, » injuria afficimini? Cur non potius fraudamini? Sed vos in- » juriam facitis et fraudatis[1], » eis scilicet qui per ignorantiam peccant, precantes male : et fraudatis Dei clementia et bonitate, quantum est in vobis, eos quibus male precamini, *et etiam fratres;* eo nomine non eos solos qui sunt in fide, sed etiam futuros proselytas designans. An enim is qui nunc est inimicus sit postea crediturus, nos nondum scimus. Ex quibus aperte colligitur, etsi non sint omnes, at nobis tamen ipsis debere videri fratres. Jam vero omnes quoque homines quod sint unius Dei opus et unam imaginem in una natura induti, etiamsi sint alii aliis magis obscurati, solus agnoscit is qui est scientia præditus, qui etiam per creaturas agnoscit operationem, per quam rursus Dei adorat voluntatem. *An nescitis quod injusti regnum Dei non possidebunt*[2]? injuriam ergo facit qui refert injuriam, seu facto, seu verbo, sive ipsa voluntatis cogitatione, quam post legis pædagogiam circumscribit Evangelium. *Et hoc quidem eratis* : tales scilicet quales adhuc sunt quibus ipsi non ignoscitis. *Sed abluti estis*[3] : non absolute ut reliqui, sed per cognitionem abjecistis animales affectiones, ut pro viribus assimilaremini bonitati divinæ Providentiæ, tum per tolerantiam, tum per acceptæ injuriæ oblivionem. *Super justos et injustos*[4], Sermonis et operum benignitatem, sicut sol, illucentes. Hoc igitur assequetur Gnosticus sive animi magnitudine, sive imitatione ejus quod est melius. Tertia est autem causa, *Remitte et remittetur tibi*, veluti cogente mandato ad salutem per insignem bonitatem. *Sed sanctificati estis*[5] : ei enim qui ad hunc venit habitum,

[1] I Cor. VI, 7, 8.—[2] Ibid. 9.—[3] Ibid. 11.—[4] Matth. V, 45.—[5] I Cor. VI, 11.

sanctum esse contingit, ita ut in nullam animi cadat perturbationem, sed perinde sit ac si carne careat, et sine hac terra sanctus evaserit. Quamobrem *justificati estis*, inquit, *nomine Domini*[4], *facti estis*, ut ita dicam, ab ipso justi sicut ipse: et Spiritui sancto, quoad fieri potuit, commixti et contemperati estis. Annon enim *omnia mihi licent? Sed non in potestatem redigar*[1], inquit, ut aliquid faciam vel cogitem, vel loquar præter Evangelium. *Escæ autem ventri, et venter escis, quas Deus destruet*[2], hoc est, eos qui sic cogitant et vivunt, tanquam nati sint ut comedant, non autem comedunt ut vivant quidem per consequentiam, cognitioni autem attendant principaliter. Et numquid *eos esse* dicit veluti carnes sancti corporis? Corpus autem allegorice dicitur Domini Ecclesia, spiritalis et sanctus chorus, ex quibus ii qui solo vocantur nomine, non autem vivunt ex ratione, sunt carnes. *Hoc autem corpus* spiritale, hoc est sancta Ecclesia, neque cum *fornicatione*, neque ab Evangelio defectione, quæ decent vitam gentilem, ullo modo oportet inire consuetudinem. Fornicatur enim in Ecclesiam, suumque corpus, is qui gentiliter vivit in Ecclesia, sive facto, sive verbo, sive etiam ipsa cogitatione. *Qui huic adhæret meretrici*, hoc est operationi præter testamentum, fit aliud *corpus*, non illud sanctum *in carnem unam*, et vitam gentilem, et spem aliam: *qui autem adhæret Domino* in *spiritu*, corpus spiritale per diversum genus congressionis. Filius hic totus, homo sanctus, impatibilis, Gnosticus, perfectus, formatus doctrina Domini, ut cum facto et verbo et ipso spiritu Domino adhæserit, recipiat illam mansionem quæ debetur ei qui sic vir evasit. Sufficit hoc specimen eis qui habent aures. Non est enim evolvendum mysterium, sed tantum est indicandum, quantum sufficit ad revocandum in memoriam iis qui sunt participes cognitionis, qui

[1] I Cor. VI, 11. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 16, 17.

etiam intelligent quemadmodum dictum sit a Domino : *Estote ut pater vester perfecti*[1], *perfecte* peccata remittentes, et acceptæ injuriæ obliviscentes, et viventes in habitu impatibilitatis. Sicut enim perfectum dicimus medicum, et perfectum philosophum : ita, ut opinor, perfectum Gnosticum. Sed nihil ex his, etsi sit maximum, assumitur ad Dei similitudinem : non enim, ut Stoici, valde impie hominis et Dei eamdem esse dicimus virtutem. Annon ergo debemus esse perfecti, ut vult Pater ? Nequaquam enim fieri potest ut sit aliquis perfectus ut est Deus : vult autem Pater nos ita viventes ut obediamus Evangelio, perfectos fieri citra reprehensionem. Si ergo cum hoc ita sit dictum ut aliquid subintelligi debeat, id quod deest subaudierimus, ut sententia suppleatur iis qui possunt quod deficit intelligere : et voluntatem Dei cognoscemus, et pro dignitate mandati simul pie et magnifice vivemus.

XV. Quoniam autem restat nunc ut respondeamus iis quæ a Græcis et Judæis nobis objiciuntur : in nonnullis autem dubitationibus similiter atque prædictis nos reprehendunt quæ aliam sequuntur doctrinam hæreses : operæ faciemus pretium, si prius expurgatis iis quæ in medio sunt, parati ad solvendas dubitationes, progrediamur ad sequens Stroma. Primum ergo hoc adversus nos adducunt, dicentes non oportere credere propter dissensionem hæresium : distrahit enim nos ac defatigat etiam ipsa veritas, dum alii alia constituunt dogmata. Quibus respondemus, quod et apud vos Judæos, et apud eos qui inter Græcos fuere in maxima existimatione Philosophos, fuere plurimæ hæreses : neque tamen ideo dubitandum esse dicitis quin sit philosophandum, aut Judaïcæ hærendum disciplinæ, propter eam quæ est inter se vestrarum dissensionem sectarum. Præterea autem fore ut in veritate seminentur hæreses, velut in fru-

[1] Matth. v, 48.

vult disciplinam, audiat Par-
nem:

> Æthereamque scies natura[illegible]
> Signa, et sacrati clarissima
> Quæ res obscura est valde:
> Et lunæ disces errantia sig[illegible]
> Naturamque scies, cœlum e[illegible]
> Unde sit, atque illud major [illegible]
> Vinxit, ut astrorum fines te[illegible]

[illegible] qui, etsi fuerit [illegible] Memento. Menestrate, q[illegible] [illegible] terminatam, an[illegible] [illegible] videris infinitat[illegible] [illegible] fuerunt: » quando ce[illegible] [illegible] felicem visionem [illegible] [illegible] cum Jove [illegible] [illegible] si fas est [illegible] [illegible] ipsi quidem [illegible] [illegible] quæ in pes[illegible] [illegible] autem et quieta vi[illegible] [illegible] puri, puri et [illegible] [illegible] Dei [illegible]

cognitionis sumpsere
jori studio et cura pers
quæ sola circa eum q
autem consequitur dulc
or inveniendi subeund
uino deficiendum. Neq
quidem verus et matu
maxime similis, prop
ab utroque. Simul aut
va contemplatione, et
eo quod apparet. Et q
regia, et multæ etia
ecipitium, aliquæ vero
are profundum, non
ter dissensionem, se
periculo : ita cum ali
ndum, sed diligentia
ognitio. Nam cum ol
tur herbæ. Num pro
hortorum? Cum erg
citant, et dant occas
etiam veritatis inve
irca merito etiam con
bus oportet parere, n
et indecorum, et præt
onsentaneo, et decoro
Quibus quidem est ute
scendæ ejus quæ vere e
ic prætextus : volentibu
is autem qui causas ad
ondemnatio indeprecab
nt esse demonstratione
præter eos qui sensus

lunt. Si sit autem demonstratio, necesse est descendere ad quæstiones, et per ipsas Scripturas discere demonstrative, quomodo lapsæ sunt hæreses; et contra, quomodo in sola veritate et antiqua Ecclesia sit perfectissima cognitio, et ea quæ est revera optima hæresis. Ex iis autem qui declinant a veritate, alii quidem seipsos solos, alii vero propinquos quoque conantur fallere. Atque ii quidem qui appellantur δοξόσοφοι, hoc est, opinione sua sapientes, qui se veritatem invenisse existimant, nullam habentes veram demonstrationem, ii seipsos decipiunt, acquiescendum existimantes: quorum non parvus est numerus, qui et quæstiones declinant ne confutentur, et doctrinam vitant ne condemnentur. Qui autem eos qui accedunt decipiunt, sunt valde astuti, qui etiamsi satis assequantur se nihil scire, probabilibus tamen argumentis obscurant veritatem. Alia est autem, ut opinor, natura probabilium argumentorum, et alia verorum. Et quod necesse sit nomen hæreseon ita usurpari ut veritati opponatur, et ab ea distinguatur, cognoscimus: a qua cum quædam ad hominum perniciem avulserint Sophistæ, humanis et a se inventis ea infodientes artibus, gloriantur se præesse diatribæ seu scholæ potius quam Ecclesiæ.

XVI. Sed qui in rebus pulcherrimis laborem impendere sunt parati, non desistent prius quærere veritatem, quam ex ipsis Scripturis acceperint demonstrationem. Ac sunt quidem communes hominibus facultates judicandi, sicut sensus: alia autem, eorum qui consultarunt, et exercuerunt ea quæ vera sunt: nempe quæ vera et falsa, per mentem et ratiocinationem artificiose distinguunt. Maximum est autem deposita sui opinione, consistere in medio accuratæ scientiæ et temerariæ sapientiæ opinionis, et nosse quod qui æternam sperat quietem, cognoscit etiam ejus introitum esse laboriosum et *arctum*. Et qui semel admisit Evange-

lium, ne ille salutare, inquit, qua hora cognoverit, *ad ea quæ sunt retro convertatur sicut uxor Loth*[1], neque ad priorem vitam quæ dat operam rebus sensilibus, sed neque recurrat ad hæreses. In consuetudinem enim nescio quomodo suam pertrahunt, cum eum qui revera est non noverint Deum. *Qui enim diligit patrem vel matrem plus quam me*, qui sum vere pater et magister veritatis, qui regenero et recreo, foveoque et alo electam animam, *non est me dignus*[2], ut sit, inquit, Dei filius, et Dei discipulus, et simul etiam amicus et cognatus: « Nemo enim ad ea quæ sunt » retro respiciens, et manum suam mittens ad aratrum, est » aptus regno Dei[3]. » Sed, ut videtur, multis in hodiernum diem videtur Maria esse puerpera propter ortum filii, cum non sit puerpera. Quidam enim dicunt, eam postquam peperisset, inspectam ab obstetrice, inventam fuisse virginem. Tales autem sunt nobis Scripturæ Dominicæ, veritatem parientes, et manentes virgines cum occultatione mysteriorum veritatis. *Peperit et non peperit*[4], inquit Scriptura, ut quæ ex se, non ex conjunctione conceperit. Quamobrem Gnosticis quidem conceperunt Scripturæ. Quod quia non intellexere hæreses, quasi quæ non conceperunt eas ablegant. Cum autem omnes homines idem habeant judicium, alii quidem quod Logos dictat sequentes faciunt argumenta: alii autem cum seipsos dediderint voluptatibus, Scripturam torquent ad suas cupiditates. Opus est autem, ut opinor, amatori veritatis robore animi. Necesse enim labi in maximis, eos qui res maximas aggrediuntur, nisi regulam veritatis ab ipsa veritate acceptam tenuerint. Qui autem eo devenerunt, ut a recta via exciderint, merito etiam falluntur in plurimis singularibus, propterea quod non habeant verorum et falsorum judicium plane exercitatum, in iis quæ oportet eligendis. Si enim haberent, parerent Scripturis

[1] Luc. XVII, 31, 32. — [2] Matth. X, 37. — [3] Luc. IX, 62. — [4] Ex apocryph.

eum esse alienum a peccato, eos qui offenderunt, vendit alienigenis : « Ne aspiciat autem ad concupiscentiam mu» lierem alienam, » dicens, aperte dicit peccatum esse alienum, et præter naturam templi Dei. Templum autem, unum quidem est magnum, ut Ecclesia : alterum vero parvum, ut homo qui servat semen Abrahæ. Non concupiscet ergo aliquid aliud, qui habet Deum in se requiescentem. Jam vero relictis omnibus quæ sunt impedimento, et despecta tota quæ eum abstrahit materia, cœlum secat per scientiam : et spiritalibus transmissis essentiis, et omni principatu et potestate, tangit supremos thronos, ad illud solum tendens, propter quod solum cognoscebat. *Serpente* [1] *ergo juncta* cum *columba*, simul perfecte vivit et cum bona conscientia, spem fidei commiscens ad expectationem futuri. Sentit enim donum quod accepit, ut qui dignus sit habitus qui consequeretur, et translatus sit à servitute, in filiorum adoptionem, consequenter scientiæ : ut qui neque non cognoverit Deum, sed potius sit ab ipso cognitus propter finem, et pro gratiæ dignitate ostendat operationes : opera enim sequuntur cognitionem, non secus ac umbra corpus. Merito ergo nihil eum conturbat ex iis quæ accidunt, neque quidquam veretur ex iis quæ utilitatis causa a divino fiunt consilio : neque erubescit mori, ut qui bonam habeat conscientiam, ut ostendatur potestatibus, ab omnibus, ut ita dicam, animæ maculis emundatus, et qui sciat post excessum ex hac vita fore, ut secum melius agatur. Unde jucundum et utile nunquam dispensationi et divino præfert consilio, per mandata seipsum exercens ut evadat Domino acceptus in omnibus, et apud mundum laudabilis, quandoquidem dependent omnia ab uno Deo omnipotente. *In propria* inquit, *venit* Filius Dei, *et sui eum non receperunt* [2]. Quamobrem etiam in usu rerum mundanarum, non solum

[1] Matth. x, 16. — [2] Joan. I, 11.

agit gratias et admiratur creaturam, sed etiam utens ut oportet, laudatur, quoniam ei finis desinit in contemplationem ex operatione Gnostica, quæ fit convenienter mandatis, profectam. Hinc jam per scientiam colligens viaticum contemplationis, postquam magnifice accepit magnitudinem contemplationis, procedit ad translationis sanctam remunerationem. Audivit enim Psalmum dicentem: « Circumdate Sion, et comprehendite eam, narrate in turribus » ejus [1]. » Significat enim, ut arbitror, eos qui Logon alte susceperunt, futuros altos ut turres, et firmiter staturos in fide et cognitione. Et hæc quidem quam fieri potest brevissime dicta sint Græcis instar seminis, de Gnostico. Sciendum est autem, quod si unum vel alterum ex his fidelis recte gesserit, non tamen geret omnia, neque cum summa illa scientia cum qua Gnosticus.

XIV. Atque illius, ut ita dicam, affectuum vacuitatis, quam Gnostico tribuimus, per quam fidelis hominis perfectio, « per charitatem in virum procedens perfectum ad mensuram pervenit ætatis [2], » Deo assimilata, vere facta æqualis Angelis, succurrunt multa quidem alia, quæ ex Scriptura adduci possunt, testimonia. Satius autem existimamus hanc laudem propter disputationis nimiam prolixitatem, iis relinquere qui volunt laborare, permittentes ut una etiam elaborent dogmata, per allegationem Scripturarum. Unius autem brevissime meminero, ne locum prætermittam non annotatum. Dicit enim divinus Apostolus in priore Epistola ad Corinthios: « Audet aliquis vestrum habens negotium » cum alio, judicio contendere apud injustos et non apud » sanctos? An nescitis quod sancti mundum judicabunt [3]? » et quæ sequuntur. Cum sit autem locus prolixior, adhibitis Apostoli, quæ maxime ad rem faciunt, verbis, quam poterit brevissime fieri, et quasi in transitu ipsum interpreta-

[1] Psal. XLVIII, 12. — [2] Ephes. IV, 13. — [3] I Cor. VI, 1, 2.

divinis. Quemadmodum ergo si quis fiat bestia ex homine, similiter atque ii qui fuerant infecti venenis Circes : ita homo Dei esse, et Domino fidelis esse desiit, qui adversus Ecclesiasticam recalcitravit traditionem, et in humanarum hæreseon desiluit opiniones. Qui autem ex hoc errore reversus obediit Scripturis, et vitam suam permisit veritati, Deus quodammodo ex homine efficitur. Principium enim doctrinæ habemus Dominum, qui et per Prophetas, et per Evangelium, et per beatos Apostolos, *multifariam multisque modis*[1] a principio ad finem deducit cognitionis. Principium autem si quis alio opus habere existimaverit, non utique vere poterit manere principium. Qui est *ergo ex* seipso fidelis, ei merito fides habetur in Dominica Scriptura et voce, quæ per Dominum operatur ad hominum beneficium. Ipsa autem tanquam criterio utimur ad res inveniendas. Quidquid autem judicatur, non creditur priusquam fuerit judicatum, quare nec est principium id quod opus habet judicio. Merito ergo cum fide comprehenderimus principium indemonstrabile, ex abundanti etiam ab ipso principio de principio demonstrationes sumentes, voce Domini erudimur ad agnitionem veritatis. Neque enim hominibus simpliciter enuntiantibus fidem habeamus, quibus licet etiam enuntiare contrarium. Si autem non satis est simpliciter quod videtur dicere, sed insuper oportet probare quod dictum est, tum non expectamus testimonium hominum, sed voce Domini probamus quod quæritur, quæ est magis fide digna quam quævis demonstratio : vel potius quæ est sola demonstratio, per quam scientiam, qui solum gustavere Scripturas, sunt fideles. Qui autem etiam ulterius processerunt, sunt perfecti indices veritatis; ii scilicet qui sunt Gnostici : quandoquidem etiam in iis quæ ad vitam pertinent, eos qui sunt rudes, superant artifices, et super

[1] Hebr. I, I.

communes notiones exprimunt id quod est melius. Sic ergo nos quoque ex ipsis de ipsis Scripturis perfecte demonstrantes, ex fide persuademus demonstrative. Quod si Propheticis quoque Scripturis uti ausi fuerint qui sectantur hæreses, primum quidem non omnibus, deinde non perfectis, neque ut dictat corpus et contextura Prophetiæ: verum eligentes ea quæ dicta sunt ambiguo, traducunt ad proprias opiniones, paucas voces sparsim carpentes, neque id considerantes quod ex ipsis significatur, sed ipsa nuda dictione utentes. Nam in omnibus fere quæ adducunt locis, ipsos sola intueri videbis nomina, ut qui mutent significata, neque quemadmodum dicuntur cognoscant, neque iis quas afferunt allegationibus, ita, ut earum natura postulat, utantur. Veritas autem non invenitur in translatione significationum (sic enim omnem veram everterent doctrinam), sed in eo quod quis consideret quid Domino et omnipotenti Deo perfecte conveniat, et eum deceat, et in eo ut confirmet unumquodque ex iis quæ demonstrantur per Scripturas, ex ipsis rursus similibus Scripturis. Neque ergo volunt converti ad veritatem, ut quos pudeat sui in seipsos amoris deponere prærogativam: neque sciunt qua ratione possint suas stabilire opiniones, Scripturis vim afferentes. Cum autem ad falsa in vulgus proferendum dogmata processerint, cum omnibus fere Scripturis evidenter pugnantes, et semper a nobis qui contra eos dicimus confutati, quod reliquum est, nunc adhuc quoque pergunt se opponere, partim quidem ex Propheticis aliqua non admittendo, partim autem nos, quasi simus alterius naturæ, et quæ sunt illorum propria non possimus intelligere, calumniando. Nonnunquam autem etiam cum convincuntur, sua negant dogmata, aperte confiteri erubescentes quæ se seorsum sic docere gloriantur. Id enim in omnibus hæresibus videre licet, si ipsorum dogmatum quis persequatur nequitias.

Nam postquam a nobis eversi fuerint, ostendentibus ipsos aperte adversari Scripturis, duorum alterum ab iis qui tuentur aliquod dogma fieri videbimus: aut enim suorum dogmatum consequentiam, aut ipsam prophetiam, vel potius suam ipsorum spem despiciunt. Semper enim id potius sumunt, quod eis visum fuerit esse evidentius, quam quod dictum est a Domino per Prophetas, et ab Evangelio, quodque Apostolorum testimonio comprobatum est et confirmatum. Cum viderent ergo sibi imminere periculum, non de uno dogmate, sed de conservanda hæresi; non veritatem invenire (nam cum ea quæ sunt in medio posita et in promptu apud nos legerunt, tanquam vilia ea contempserunt), sed quod est commune in fide superare contendentes, excesserunt a veritate. Nam cum Ecclesiasticæ cognitionis non didicerint mysteria, neque veritatis perceperint majestatem, ut qui in perscrutando rerum profunde fuerint socordes, et superficie tenus legerint, Scripturas valere jusserunt. Inani ergo sapientiæ opinione elati, perpetuo litigant, aperte ostendentes se magis curare ut videantur philosophi, quam ut philosophentur. Jam vero cum non necessariis rerum nitantur principiis, et humanis moti opinionibus, nihil non ut ad finem suum perveniant moliantur, contendunt magis quia se convinci vident, adversus eos, qui veram tractant philosophiam, et quidvis potius tolerant, et omnem, ut aiunt, rudentem movent, etiamsi futuri sint impii, propterea quod non credant Scripturis, quam a sectæ sibi grato honore traducantur, et a vulgo jactata in eorum Ecclesiis prima sede, propter quam, illum quoque convivialem, in illa quæ falso nomine appellatur Agape, primum accubitum amplectuntur. Quæ est autem apud nos agnitio veritatis, ut ex iis quæ jam fidem obtinuerunt fides habeatur, efficit; quæ quidem est essentia, ut ita dicam, demonstrationis. Sed omnis, ut videtur,

hæresis ab initio habet aures quæ non audiunt id quod est utile, sed solum patent iis quæ dicuntur ad volup tatem. Nam curatus utique esset eorum aliquis, si tantum voluisset parere veritati. Est autem triplex ratio curandi nimiam de se opinionem, sicut etiam quemvis affectum; cognitio causæ, et quomodo ea possit auferri, et tertium, animæ exercitatio, et assuefactio ut possit sequi ea quæ recte judicata fuerint. Quemadmodum enim oculus turbatus, ita etiam anima conturbata iis dogmatibus quæ sunt præter naturam, non potest veritatis lucem perfecte videre; sed ea quæ sunt ante pedes perperam videt. Dicunt itaque anguillas quoque excæcatas capi in aqua turbida. Et sicut improbi excludunt pædagogum, ita etiam hi arcent Prophetias a sua Ecclesia, suspectas eas habentes propter reprehensionem et admonitionem. Scilicet quam plurima consarciunt mendacia et figmenta, ut jure videantur non admittere Scripturas. Hac ergo ratione non sunt pii, ut qui divinis præceptis non acquiescant, hoc est, sancto Spiritui. Quemadmodum amygdalæ dicuntur inanes, non in quibus nihil inest, sed in quibus id quod inest est inutile: ita etiam hæreticos dicimus qui sunt inanes Dei consiliorum et Christi traditionum, qui non aliter amari sunt ac agrestis amygdala, et sunt principes auctoresque dogmatum, nisi si quæ propter veri evidentiam deponere et occultare non potuerunt. Quemadmodum ergo in bello non est ordo deserendus quem dedit imperator militi: ita nec deserendus est ordo quem dedit nobis Logos, quem accepimus principem ac ducem cognitionis et vitæ. Vulgus autem ne hoc quidem examinavit, an sit sequendus aliquis, et quisnam hic, et quemadmodum. Quale enim est Verbum, talem quoque vitam esse convenit fideli, ut possit sequi Deum qui ab initio omnia recta via dirigit. Postquam autem transgressus fuerit Verbum quispiam, et per id,

Deum, si propterea imbecillior fuit quod aliqua repentina se obtulerit species, efficiendum est ut sint in promptu species rationales : sin autem more qui prius invaluit victus, vulgaris, ut ait Scriptura, factus fuerit, curandum est ut mos illi penitus aboleatur, et ut ei resistat, exercenda est anima. Si autem pugnantia quoque aliqua dogmata videtur attrahere, ea sunt subducenda, et eundum est ad eos qui quieta dogmata efficiunt, et divinis Scripturis eos incantant qui sunt rudes et imperiti, et strepitum pertimescunt, per testamentorum consequentiam eis veritatem explanantes. Sed, ut videtur, magis declinamus ad ea quæ sunt opinabilia, etiamsi sint contraria, quam ad veritatem : est enim illa austera gravisque. Atque cum sint quidem tres animæ affectiones, ignoratio, opinio, scientia : qui in ignoratione quidem versantur, sunt gentes : qui autem in scientia, vera Ecclesia : qui vero in opinione, ii qui sectantur hæreses. Nihilo ergo apertius videmus affirmantes eos qui sciunt de iis quæ sciunt, quam hos de iis quæ opinantur, quod attinet ad affirmandum absque demonstratione. Se itaque invicem despiciunt et irrident, fitque ut idem sensus ab aliis quidem in maximo honore habeatur, ab aliis autem damnetur amentiæ. Atqui didicimus aliud quidem esse voluptatem, quæ est attribuenda gentibus : aliud autem contentionem quæ in hæresibus præponitur : aliud gaudium, quod, ut proprium, est Ecclesiæ assignandum : aliud autem lætitiam, quæ danda est vero Gnostico. Quemadmodum autem si quis Ischomacho se dederit instituendum, eum faciet agricolam : et si Lampidi, nautam : et Charidemo, imperatorem : et Simoni, equitandi gnarum : et Perdici, cauponem : et Crobulo opsoniorum conditorem : et Archilao, saltatorem : et Homero, poëtam : et Pyrrhoni, contentiosum : et Demostheni, oratorem : et Chrysippo, dialecticum : et Aristoteli, physicum : et Platoni, philosophum : ita qui

paret Domino, et per eum datam sequitur Prophetiam, perfecte efficitur ad magistri imaginem; Deus in carne versatur. Hanc ergo altitudinem minime assequuntur, qui non sequuntur Deum eos ducentem : ducit autem per Scripturas divinitus inspiratas. Et cum sint innumerabilia quæ fiunt ab hominibus, sunt utique duo cujusvis peccati principia, ignoratio et imbecillitas : est autem utrumque in nostra potestate, cum nec velimus discere, nec cupiditatem continere. Ex his autem, unum efficit ut non recte judicent, alterum vero, ut non possint exequi quæ recte sunt judicata. Neque enim si quis fuerit deceptus in sententia, recte agere poterit, etiamsi sit satis potens ut agat ea quæ fuerint cognita : neque qui potest id quod oportet judicare, se ab omni reprehensione alienum præbebit, si ad res gerendas sit impotens. Consequenter ergo duæ quoque genere disciplinæ traduntur utrique peccato utiles : illi quidem, cognitio, et ex Scripturarum testimonio evidens demonstratio : huic vero, quæ est secundum Logon exercitatio, quæ per fidem et timorem instituitur. Crescunt autem ambo simul in perfectam charitatem. Gnostici enim est hic quidem, ut arbitror, duplex finis : in aliquibus quidem, contemplatio ex scientia : in aliis vero, actio. Ac fieri quidem potuerit, ut hi hæretici, si quæ in his traduntur commentariis didicerint, corrigantur, et convertantur ad Deum omnipotentem : sin autem tanquam surdi serpentes (quod nove quidem dicitur, est autem antiquissimum) non exaudiant canticum, a Deo certe castigentur, paternas admonitiones quæ ante judicium fiunt patienter sustinentes, donec pudore affecti ducantur pœnitentia : non autem per immanem inobedientiam seipsos injiciant in perfectum judicium. Sunt enim quædam partiales disciplinæ, quas vocant castigationes, in quas multi ex nostris qui in delicto fuerunt, ex populo Dominico dilabentes incidunt. Verum

sicut a magistro vel patre pueri, ita nos castigamur a Providentia. Deus autem non punit (est enim punitio, mali redditio), castigat autem et communiter et privatim ad utilitatem eorum qui puniuntur. Hæc quidem adduxi, partim quod vellem adhortari studiosos ne facile prolabantur in hæreses; partim autem ut ab hac quæ consistit in superficie sive inscitia, sive stultitia, sive mala habitudine, sive quocumque alio nomine eam vocare oporteat, desistant, efficere cupiens; partim quoque, ut a pristina sententia deducerem, adducerem autem ad veritatem eos qui non sunt omnino immedicabiles, usus sum his sermonibus. Sunt enim qui ne quidem in animum inducunt audire eos qui hortantur ad veritatem; quinetiam nugari aggrediuntur, verba in veritatem maledica effundentes; sibi rerum maximarum vindicantes agnitionem, cum nec didicerint, nec quæsierint, nec laborarint, nec invenerint consequentiam: quorum misereatur potius aliquis quam odio habeat, propter talem eorum perversitatem. Si quis est autem medicabilis, qui tanquam ignem vel ferrum ferre possit libertatem veritatis, secantem et urentem falsas opiniones, præbeat aures animæ. Hoc autem fiet, si non otium et socordiam amplectentes extrudant veritatem, aut gloriam desiderantes, res novas moliantur. Sunt enim socordes, qui, cum liceat ex ipsis Scripturis, divinis Scripturis convenientes colligere demonstrationes, id omnino non faciunt, sed quod eorum voluptatibus suffragatur eligunt. Gloriæ autem tenentur desiderio, qui ea quæ conveniunt sermonibus divinitus inspiratis, tradita a beatis Apostolis et magistris, voluntarie eludunt, per alias argumentationes, humanis doctrinis resistentes divinæ traditioni, ut hæresin constituant. Nam inter eos viros qui tanti erant in Ecclesiastica cognitione, quid restabat dicendum a Marcione, verbi gratia, aut Prodico, et similibus, qui non sunt ingressi recta via?

Neque enim eos qui præcesserunt superare potuerunt sapientia, ut aliquid adinvenirent iis quæ ab illis vere dicta sunt : sed bene cum eis actum esset, si discere potuissent ea quæ prius sunt tradita. Solus ergo Gnosticus, cum in ipsis consenuerit Scripturis, Apostolicam et Ecclesiasticam servans dogmatum rectitudinem, rectissime vivit secundum Evangelium, et demonstrationes ita ut quærit invenit : ut qui emittatur a Domino, a Lege et a Prophetis. Nam vita, ut opinor, Gnostici, nihil est aliud quam facta et verba quæ sequuntur traditionem Domini. Verum « non est omnium » cognitio [1]. Nolo *enim* vos ignorare, fratres, *inquit Apos-* » *tolus*, quod omnes sub nube erant, et spiritualis cibi et » potus erant participes [2], » aperte confirmans, non omnes qui Verbum audiunt, facto et verbo cepisse magnitudinem cognitionis. Unde etiam subjunxit : « Sed non in eis omni- » bus est complacitum [3]. » Cuinam? Ei qui dixit : « Quid » mihi dicitis, Domine, et non facitis voluntatem patris » mei? » hoc est doctrinam Servatoris; quæ nobis cibus spiritalis, et potus qui nescit sitim, aqua vitæ Gnosticæ. Atqui, inquiunt, dicitur *inflare cognitio* [4]. Quibus respondemus : Fortasse quidem quæ videtur cognitio *inflare* dicitur, si quis existimet dictionem idem sibi velle quod tumefacere et insolentem reddere : sin autem, quod potius dicendum est, magnifice et vere sentire significat vox Apostoli, solutum quidem est id de quo dubitatur. Sequentes autem Scripturas, confirmemus quod dictum est. *Sapientia*, inquit Salomon, *inflavit suos filios* [5]. Non enim quibusdam doctrinæ particulis, fastum et arrogantiam ingeneravit Dominus, sed in veritate habere fiduciam, et esse magnificum in cognitione quæ traditur per Scripturas, efficit contemptorem eorum quæ trahunt ad peccatum : quod significat dictio *Inflavit*. Quæ docet

[1] I Cor. VIII, 7. — [2] Id. X, 1, 3, 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Id. VIII, 1. — [5] Eccl. IV, 12.

magnificentiam sapientiæ, quæ implantatur iis qui sunt per doctrinam filii. Jam vero inquit Apostolus : *Et cognoscam non sermonem eorum qui sunt inflati, sed virtutem*[1], an magnifice (quod quidem est vere : veritate autem nihil est majus) Scripturas intelligatis. In hoc enim est *virtus inflatorum filiorum sapientiæ*[2]; quasi dicat : Sciam an de vestra cognitione jure vos magnifice sentiatis. *Notus enim est*, ut ait David, *in Judæa Deus*, hoc est, iis qui per cognitionem sunt Israëlitæ : Judæa enim exponitur confessio. Merito ergo dictum est ab Apostolo : « Illud, Non mœchaberis, » Non furaberis, Non concupisces, et si quod est aliud » mandatum, hoc dicto in compendium redigitur, nempe, » Diliges proximum tuum sicut teipsum[3]. » Non oportet enim unquam, sicut faciunt qui hæreses sequuntur, adulterare veritatem, neque furari regulam Ecclesiæ, propriæ cupiditati et gloriæ inserviendo in fraudem propinquorum, quos omnino ut ament veritatem atque amplectantur docere oportet. Aperte ergo dictum est : *Annuntiate inter gentes studia ejus*[4], ut non judicentur, sed convertantur qui prius audierint. Quicumque autem *linguis suis dolose agunt*[5], scriptis pœnis puniuntur.

XVII. Qui impios ergo attingunt sermones, aliisque tradunt, neque verbis divinis recte, sed perverse utuntur, neque ipsi in regnum cœlorum ingrediuntur, neque eos, quos deceperunt, sinunt assequi veritatem. Sed nec ipsi introitus clavem habentes, sed falsam quamdam, et, ut dicit consuetudo, ἀντικλεῖδα, id est, aversam clavem, per quam, non relaxato velo, ut nos ingredimur per Domini traditionem, sed exciso ostio, et muro Ecclesiæ clam perfosso, veritatem transgredientes, efficiuntur principes ac duces mysteriorum animæ impiorum. Quod enim Catho-

[1] I Cor. IV, 19. — [2] Psal. LXXVI, 1. — [3] Rom. XIII, 9. — [4] Psal. IX, 11. — [5] Ibid. XIV, 3, seq ; XVIII.

lica Ecclesia posteriora sua fecerint conciliabula, non est opus multis probare. Nam Domini quæ fuit in adventu doctrina, cum cœpisset ab Augusto, medio tempore Tiberii consummatur: Apostolorum autem ejus doctrina, usque ad Pauli ministerium, Neronis tempore consummatur. Inferius autem circa tempora Adriani imperatoris fuerunt, qui hæreses excogitarunt, et pervenerunt usque ad ætatem Antonini natu majoris, sicut Basilides, etiamsi Glauciam sibi ascribat magistrum, ut ipsi gloriantur, qui fuit Petri interpres. Similiter autem Valentinum quoque dicunt audivisse Theodadem: iis autem fuit Pauli familiaris. Marcion enim cum natus esset eadem qua ipsa ætate, versabatur ut senex cum junioribus: post quem, Simon Petrum audiit paululum prædicantem. Quæ cum ita habeant, clarum est ex antiquissima et verissima Ecclesia has recentiores, et quæ his sunt adhuc inferiores, tempore fuisse innovatas, adulterinæ notæ hæreses. Ex iis quæ dicta sunt manifestum esse existimo, unam esse veram Ecclesiam, eam quæ vere est antiqua, in cujus catalogum referuntur ii qui sunt justi ex proposito. Nam cum unus sit Deus et unus Dominus, propterea id etiam quod est summe venerabile, et ex eo quod sit unicum laudatur, ut quod sit imitatio principii quod est unum. In unius ergo naturæ sortem cooptatur Ecclesia quæ est una, quam conantur hæreses in multas discindere. Et essentia ergo et opinione et principio et excellentia, solam esse dicimus, antiquam et Catholicam Ecclesiam, in unitatem unius fidei quæ est ex propriis testamentis, vel potius ex testamento quod est unum diversis temporibus, in quibus Dei voluntate per unum Dominum congregat eos qui sunt jam ordinati, quos prædestinavit Deus, cum eos justos futuros cognovisset ante mundi constitutionem. Cæterum Ecclesiæ quoque eminentia, sicut principium constructionis, est ex

unitate, omnia alia superans, et nihil habens sibi simile vel æquale. Atque de iis quidem dicetur postea. Ex hæresibus autem, aliæ quidem appellantur ex nomine, ut quæ appellatæ sunt à Valentino et Marcione et Basilide, etiamsi glorientur se Matthiæ opinionem adducere : fuit enim una omnium Apostolorum sicut doctrina, ita etiam traditio : aliæ autem ex loco, ut Peratici : aliæ autem ex gente, ut Phrygum hæresis : aliæ autem ex operatione, ut Encratitarum : aliæ autem ex propriis dogmatibus, ut Docitarum et Hæmatitarum : aliæ autem ex positionibus, et iis quæ ipsæ honorarunt, ut qui appellantur Caianistæ et Ophiani : aliæ vero ex iis quæ nefarie ausæ sunt et perpetrarunt, *ut qui ex* Simonianis vocantur Entychitæ.

XVIII. Nos autem ubi iis qui in Ecclesia spectandi tenentur desiderio, ex lege de sacrificiis, tum de Judæis vulgaribus, tum de hæresibus quæ mystice discernuntur, tanquam immundæ, ex divina mundorum et immundorum animalium distinctione, parvum quoddam foramen ostenderimus, finiemus orationem. Quæ enim sunt fissis ungulis et ruminant, hostias esse mundas et Deo acceptas tradit Scriptura, utpote quod justi per fidem iter ingrediantur ad Patrem et Filium [1]. Hæc est enim stabilitas eorum quorum fissæ sunt ungulæ, qui Dei eloquia diu noctuque meditantur et ruminant in animæ disciplinarum receptaculo : quam etiam Gnosticam exercitationem, mundi animalis ruminationem dicit Lex allegorice. Quæ autem neque utrumque, neque ex iis habent alterum, secernit ut immunda. Ac quæ ruminant quidem, bifidam autem non habent ungulam, vulgus Judæorum tacite significant, qui eloquia quidem Dei habent in ore, fidem autem et basin non habent, quæ transmittit ad Patrem per Filium, et innititur veritati : unde etiam ejusmodi genus animantium labile est, ut quorum

[1] Levit. 1, 11. Deut. xiv, 3, seq.

SANCTUS HIPPOLYTUS,

EPISCOPUS ET MARTYR.

DEMONSTRATIO DE CHRISTO ET ANTICHRISTO,

DEMONSTRATIO ADVERSUS JUDÆOS,

FRAGMENTA CONTRA BERONEM ET HELICEN,

FRAGMENTUM CONTRA HÆRESIN NOËTI,

HOMILIA IN THEOPHANIA.

SANCTUS HIPPOLYTUS,

EPISCOPUS ET MARTYR.

DEMONSTRATIO DE CHRISTO ET ANTICHRISTO,

DEMONSTRATIO ADVERSUS JUDÆOS,

FRAGMENTA CONTRA BERONEM ET HELICEN,

FRAGMENTUM CONTRA HÆRESIN NOËTI,

HOMILIA IN THEOPHANIA.

» [illegible] computationem temporum circum-
» scribit (Euseb. Hist. VI, 22); » 4° Homiliæ, quarum una tantum integra legitur; 5° plurimorum in Scripturam sacram Commentariorum fragmenta; 6° fragmentum libri contra *Platonem*, vel *de causa universi*; 7° *de charismatibus apostolica traditio*, quæ adhuc superstes in octavo Constitutionum Apostolicarum libro legi, sed immerito, creditur; 8° Chronicon auctori, sed falso, attributum. Hinc abstinendum nobis est, tum a duobus illis posterioribus libris, qui ad Hippolytum non pertinent, referendis, tum a Commentariis, quæ pauca et sæpius incerta supersunt; tum a Cyclo paschali, qui multis patet difficultatibus; tum a fragmento libri contra Platonem, qui nonnulla erroris labe afficitur. Cætera infra suis locis reperientur.

Hippolyti ingenium sublimitate pollet, et mansuetudine delectat: argumenta solida, probatæ cogitationes, simplex et obvium dicendi genus. Unde non immerito a Theodoreto, *spiritualium fontium fluenta ministrare* (Dialog. III); a Chrysostomo inter *choreum episcoporum et doctorum qui tanquam luminaria in mundo resplenduerunt, suavissimus et benevolentissimus consedere* (Orat. XLI); ab Anastasio autem *sanctissimus et magnus doctor, veritatisque testis fidelis, concorditer cum aliis omnibus sanctis Catholicæ Dei ac Apostolicæ Ecclesiæ, fidei integritatem confiteri prædicatur*. (In collect. Sirmondi, tom. 3, pag. 290.) Hinc ab Hieronymo *vir disertissimus* (Epist. XXVIII, ad Lucian.) a Martyrologioque Romano *eruditione clarissimus* celebratus est. (Martyr. Rom. 22. August.)

Hunc autem sic laudat Photius : « Lectus est Hip-
» polyti libellus, qui Irenæi discipulus fuit. Est hoc

» volumen adversus hæreses duas et triginta, faciens » initium a Dositheanis, et in Noëto et Noëtianis de» sinens. Harum ait confutationem se suscepisse ex » Sermonibus Irenæi, quorum compendium hoc se » libro complexum refert. Dictio perspicua et con» cinna, nec abundans, licet Atticismi rationes non » adeo curat. Habet et tum alia minus accurata, tum » quod Paulum Epistolæ ad Hebræos auctorem esse » negat. Dicitur et Homilias ad populum habuisse » Origenis imitatione, cujus et familiaris maxime et » studiorum amator extitit, ita ut et ad sacras Litte» ras commentariis illustrandas eum provocaverit, » et septem ipsi tachygraphos totidemque calligra» phos constituerit, et sumptuum etiam qui ad hos » requirerentur fuerit elargitor. » (Bibl. cod. CXXXI.)

Sancti Hippolyti opera sæpius separatim prodierunt, nempe 1° *Cyclus paschalis* græce in libro Scaligeri de Correctione temporum, Parisiis 1583, Leydæ 1598, Genevæ 1629; idem græce a Grutero in Collectione inscriptionum, Heidelbergæ 1600, et iterum Amstelodami 1707. Latine autem versus a P. Boucher excusus est Antuerpiæ 1634, in Cyclis paschalibus; denique a D. Blanchini insertus est dissertationi de Cyclo Julii Cæsaris. 2° Liber *de Antichristo* græce, Parisiis 1661, curante Marquardo Gudio, latine autem a Combefisio in Bibliothecæ Patrum Auctuario, Parisiis 1672. 3° Fragmentum libri *contra Noëtum* græce et latine, studio Gerardi Vossii, cum Gregorio Thaumaturgo, Moguntiæ 1604; iterumque in Bibliothecis Patrum, Coloniæ 1618, Lugduni 1677; et in Auctuario Morelli, Parisiis 1639. 4° *Demonstratio adversus Judæos*, ex versione Murriani, in Apparatu sacro Possevini, Venetiis 1603 et Coloniæ 1608; et rursus a Carolo Imbonato, Romæ 1694. 5° Fragmenta *adversus Beronem et Helicen*, ex versione Turriani, curante H. Canisio, Ingolst. 1604; et deinde in Bibliothecis Patrum. Pater Sirmundus, addito textu græco cum

versione Anastasii presbyteri, eadem excudi curavit, Parisiis 1620. Hæc insuper reperies cum Actis sancti Maximi, a patre Combefisio collectis, Parisiis 1675, et pariter in P. Sirmundi operum collectione, Parisiis 1696. Unica autem elaborata est a Fabricio completa S. Hippolyti operum editio, quæ lucem vidit Hamburgæ duobus voluminibus in-fol. quorum prius anno 1716, posterius vero anno 1718 emissum est in publicum.

SANCTI HIPPOLYTI

DEMONSTRATIO

DE CHRISTO ET ANTICHRISTO,

(FRANCISCO COMBEFISIO INTERPRETE.)

I. Quod ita desiderio fatigabas, Frater mi charissime Theophile, ut a me tibi proposita capita diligenter perdisceres; operæ pretium putavi, velut ex sacro fonte, ex sacris ipsis affatim Scripturis hauriendo, ob oculos quasi præsentia ea ponere de quibus vertitur quæstio : ut nedum humanis hæc auribus consignando læteris, sed et res ipsas virtute lustrando, per omnia Deum laudare possis. Hoc enim præsenti quam agimus vita, tutum a nobis tibi esto vitæ præsidium, quo paratis inferens rationibus ac sermonibus, velut terra munda, in cordis tui latifundio semines. Sed et his, adversantes salutari doctrinæ ac contradicentes in sententiam coges. At vide ne ad incredulas ac maledicas hæc linguas traducas (nec enim hoc leve periculum est), sed ut viris religiosis ac fidelibus qui sancte ac juste Dei timore vivere velint, impertias. Non enim frustra beatus Apostolus monendo Timotheum ait : « O Timothee, depositum custodi, » devitans profanas vocum vanitates, et oppositiones falsi » nominis scientiæ, quam quidam profitentes, circa fidem » erraverunt[1]. » Et rursus : « Tu autem, fili mi, confortare » in gratia quæ est in Christo Jesu : et quæ audisti a me per

[1] 1 Tim. VI, 20.

» multas exhortationes, hæc commenda fidelibus hominibus » qui idonei erunt ut et alios doceant[1]. » Cum igitur beatus Apostolus hæc caute ac metu traderet quæ ab omnibus facile cognosci possunt, videns scilicet spiritu non esse omnium fidem[2]; quanto res nobis majoris periculi fiet, si temere nullaque ratione profanis hominibus atque indignis tradiderimus divina eloquia?

II. Nam quia beati Prophetæ oculi nobis fuerunt, ipsi per fidem Verbi mysteria præviderunt, quæ et aliis postmodum ætatibus ministrarunt, nedum quæ præterita essent loquentes, sed et præsentia atque futura nuntiantes, ne solum Propheta temporaneus esse monstraretur, sed et cunctis ætatibus futura prædiceret, ut propheta esse existimaretur. Hi namque Patres spiritu prophetiæ aptati, digneque ab ipso Verbo honorati, quo nimirum velut organa in seipsis semper unitum Verbum tanquam plectrum haberent; cujus nutu atque afflatu, quæ Deus vellet hæc Prophetæ annuntiabant. Non enim ex sua facultate loquebantur (verum dico), nec quæ ex animo essent hæc prædicabant[3]: sed primum quidem Verbi numine rite sapientia imbuti, exinde per visa, quæ essent futura probe prædocebantur; ac demum certa jam rerum fide, ea dicebant ac prædicabant quæ illis divino Numine duntaxat manifesta forent, reliquis vero abscondita. Nam qua ratione Propheta propheta vocaretur, nisi quæ sunt futura spiritu prævideret? Nam si Propheta de casu aliquo loqueretur, ea loquendo non esset propheta, quæ ob oculos cunctis posita essent: sed qui futura narret, is merito propheta existimatus est. Unde convenienter Prophetæ a principio *Videntes*[4] vocabantur. Unde et nos eorum probe docti vaticinia, non ex nostro sensu loquimur. Non enim alii aliis, quæ pridem prædicta sunt verba, novis mutare tentamus, quorum scripturas in

[1] 2 Tim. II, 1. — [2] 2 Thess. III, 2. — [3] 2 Pet. I, 21. — [4] 1 Reg. IX, 9.

lucem edentes, his qui recte credere valeant legimus quod hinc utriusque commodum veniat, nempe ei qui loquitur, quod memoria tenendo recte exponat quæ prædicta sunt; auditori vero, quod his quæ dicuntur adhibeat animum. Quod igitur communis utrisque labor propositus est, loquenti nimirum, ut omni tutus periculo eloquatur; auditori vero, ut fide audiens suscipiat ea quæ dicuntur, obsecro ut orando Deum mihi præsto sis.

III. Quonam modo olim beatis Prophetis Dei Verbum manifestaverit, ipse rursus Dei servus, qui olim Verbum erat, scire quæris[1]? Nimirum quia Verbum suam misericordiam, et quod minime acceptor est personarum, per omnes sanctos ostendit, illuminans illos atque componens, velut peritus medicus, ad ea quæ ad nostram conducant salutem, quippe cum non nesciat humanam infirmitatem. Ac quidem ignorantes studet edocere : errantes vero ad veram suam viam convertit. Atque his quidem qui fide quærunt, facile invenitur; his autem qui mundis oculis et casto corde ostium pulsare desiderant, confestim aperit. Nullum enim suorum servorum rejicit, quasi divinorum mysteriorum indignum. Non divitem paupere pluris facit, neque pauperem pro ejus tenuitate spernit. Non Barbaro exprobrat, nec eunuchum quasi non virum ablegat. Non odit fœminam ob primæ originis inobedientiam, nec virum ob transgressionis reatum deturpat : sed omnes vult omnesque salvare desiderat. Omnes Dei filios præstare vult, sanctosque omnes in unum hominem perfectum vocat. Nam et unus Dei Filius est, cujus etiam nos munere per Spiritum sanctum adepti regenerationem, in unum perfectum ac cœlestem hominem omnes occurrere optamus.

IV. Quod enim Dei Verbum cum esset carnis expers, sanctam carnem ex sancta Virgine induit, tanquam sponsus

[1] Isai. XLI, 1. Matth. XII, 18.

sibi ipsam in Crucis patibulo vestem contexens; quo nimirum mortale corpus nostrum suæ admiscendo virtuti, et quod obnoxium corruptioni, et quod ab omni immune est correctione, quod infirmum et quod forte est, homini qui perierat salutem præstaret. Est igitur textorius malus, quæ in Cruce peracta Domini passio est. Stamen in eo, sancti Spiritus virtus : trama, sancta caro Spiritu contexta : licium, quæ per Christi charitatem gratia utraque astringit et in unum nectit : radii, Verbum : textores denique artifices, Patriarchæ et Prophetæ, pulchrum Christi contexentes poderem ac perfectam tunicam : per quas Verbum pervadens, radiorum more, illarum opera contexit, ea quæ Patri libent.

V. Verum, quoniam jam tempus urget ad ea quæ nobis argumento proposita sunt, cum sufficiant quæ in exordio ad Dei gloriam peroravimus, æquum sit ut aggredientes ipsas Scripturas, ex illis videamus quis et qualis Antichristi adventus; qua ætate ac tempore revelabitur iniquus ille[1]; undenam et ex qua tribu, quodve illi nomen quod per numerum in Scriptura significatur; quomodo populum in errorem inducet, congregans eos a finibus terræ; quam item sanctis tribulationem inferet et persecutionem, et quomodo ipse se ut Deum clarificabit; quis ejus interitus; quomodo revelanda de cœlis Domini apparitio, ac quæ universi orbis conflagratio; quis sanctorum gloriosum ac cœleste regnum cum Christo regnantium, ac quod iniquorum per ignem supplicium.

VI. Nam cum Dominus noster Jesus Christus ac Deus, regia celsitate atque gloriæ claritate, ut leo prædicatus sit[2] : eodem modo et Antichristum pariter leonem Scripturæ vocitarunt, pro ejus tyrannide violentiaque. Seductor enim per omnia similis videri vult Dei Filio. Leo quidem Chris-

[1] 2 Thess. II, 8. — [2] Apoc. V, 5. 1 Pet. V, 8.

tus, et leo Antichristus : rex Christus, ac rex Antichristus [1]. Exhibitus est Salvator ut agnus [2]; ipse quoque pariter ut agnus apparebit, cum interius sit lupus. Venit Salvator in circumcisione in mundum, veniet et ille similiter. Misit Dominus Apostolos in omnes gentes; mittet et ipse perinde pseudoapostolos. Congregavit Salvator oves quæ dispersæ erant [3]; ipse quoque pariter populum congregabit qui dispersus est. Dedit Dominus fidelibus suis signaculum; ipse quoque similiter dabit. Apparuit Salvator hominis habitu; ipse quoque in hominis habitu veniet. Excitavit Salvator, ac sanctam carnem suam ut templum fecit [4]; ipse itidem templum lapidibus constructum Jerosolymis excitabit. Ac quidem ejus seducendi artificia sequentibus declarabimus; nunc ad subjectum argumentum vertamur.

VII. Dicit itaque beatus Jacob in benedictionibus, prænuntians quæ ad Dominum ac Salvatorem nostrum spectant, ita loquens : « Juda, laudent te fratres tui. Manus » tuæ in dorso inimicorum : adorabunt te filii patris tui. » Catulus leonis, Juda : ex germine, fili mi, ascendisti. Re» cumbens dormisti ut leo, et ut catulus leonis : quis sus» citabit eum? Non deficiet princeps ex Juda et dux ex fe» moribus ejus, donec veniat cui repositum est : et ipse » erit expectatio Gentium. Alligans ad vitem asinam suam, » et ad helicem pullum asinæ suæ. Lavabit in vino stolam » suam, et in sanguine uvæ pallium suum. Hilares oculi » ejus a vino, et dentes ejus lacte candidiores [5]. »

VIII. Hæc cum pluribus ac circuitu eloqui noverim, ipsum modo textum apponere libuit. Quia tamen ipsa divina verba suadent loqui, ne id quidem omittam. Plane enim divina sunt et illustria, ac sane animo conducere possunt. Catulum leonis vocavit Propheta, qui ex Juda et Davide

[1] Joan. XVIII, 37. — [2] Id. I, 29. — [3] Id. XI, 52. — [4] Id. II, 19. — [5] Gen. XLIX, 8.

secundum carnem factus est, non quidem ex Davidis factum semine, sed qui de Spiritu sancto concipiatur et ex sancto germine e terra procedat. Quod ita Esaias effert : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos ex ipsa ascendet[1]. » Quod Esaiæ flos dictum est, id Jacob appellavit germen. Primum namque germinavit, deinde floruit in mundo. Dicendo autem, « Recumbens dormisti ut leo, et ut catulus » leonis, » triduanam Christi dormitionem significavit, uti etiam Esaias ait : « Quomodo facta est meretrix fidelis Sion, » plena judicii? ex qua dormivit justitia; nunc autem homicidæ[2]. » Item etiam David : « Ego dormivi et soporatus » sum : exurrexi quia Dominus auxiliabitur mihi[3] : » Ut ea sententia, et dormisse eum et suscitatum esse ostendat. Jacob autem dicit, *Quis suscitabit eum?* Id ipsum est quod David, uti et Paulus, ait : « Et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis[4]. »

IX. Dicendo autem, « Non deficiet princeps ex Juda, et » dux ex femoribus ejus, donec veniet cui repositum est : » Et ipse erit expectatio Gentium; » ostendit impletum esse vaticinium. Ipse enim est nostra expectatio. Expectamus enim eum, et venientem e cœlo virtute per fidem cernimus.

X. *Alligans ad vitem asinam suam :* hoc est, populum suum ex circumcisione, ad vocationem suam. Nam ipse vitis erat[5]. *Et ad helicem pullum asinæ suæ;* populum ex Gentibus, quasi novum pullum adducens, quasi qui circumcisionem et præputium vocet in unam fidem.

XI. *Lavabit in vino stolam suam :* juxta paternam per Spiritum sanctum, quæ in Jordane descendit, vocem. *Et in sanguine uvæ pallium suum.* Cujus, rogo, sanguinis uvæ, nisi carnis suæ, quæ botri instar in lignum missa est? Ex cujus latere duo scaturierunt fontes, sanguinis et aquæ

[1] Isai. XI, 1. — [2] Id. I, 21. — [3] Psal. III, 6. — [4] Gal. I, 1. — [5] Joan. XV, 1.

quibus Gentes lotæ emundantur, quas pallii in morem censetur habere.

XII. *Hilares oculi ejus a vino.* Quinam Christi oculi, nisi beati Prophetæ? qui nimirum, quæ illi eventuræ erant passiones spiritu prævidentes ac prædicantes, gaudebant, spiritualibus oculis eum virtute cernentes, ipsius Verbi numine ejusque gratia perfecti.

XIII. Dicendo autem, *Et dentes ejus lacte candidiores,* mandata significavit ex sancto ore Christi procedentia, lactis instar munda.

XIV. Hunc igitur leonem et catulum leonis prænuntiaverunt Scripturæ. Similiter et de Christo dictum est. Ait enim Moyses ita : *Catulus leonis Dan, et prosiliet a Basan*[1]. Verum ne quis errore decipiatur, existimans hanc sententiam ad Salvatorem spectare, animum advertat. *Dan,* inquit, *catulus leonis.* Illa voce tribum Dan declaravit, ex qua Antichristus nasciturus est. Quemadmodum enim Christus ex tribu Juda nascitur, ita ex tribu Dan nascetur Antichristus (10). Quod vero ita se res habeat, ait Jacob : « Fiat Dan serpens, » sedens in terra, mordens calcaneum equi[2]. » Quisnam igitur serpens, nisi Antichristus seductor ille, qui dictus in Genesi est, qui seduxit Evam, et Adamum supplantavit[3]. Quia tamen necesse est pluribus testimoniis hæc dicta comprobare, non gravabor.

XV. Quod enim ex tribu Dan nasciturus sit ac surrecturus Tyrannus et Rex, Judex dirus, filius Diaboli, ait Propheta : « Dan judicabit populum suum tanquam et una » tribus in Israël[4]. » Sed dicet aliquis, dictum id esse de Sampsone, qui, ortus ex tribu Dan, judicavit populum viginti annis. Nempe, partim res in Sampsone particulariter contigit, partim universaliter in Antichristo fiet. Nam et Jeremias sic ait : « E Dan audiemus vocem celeritatis equo-

[1] Deut. XXXIII, 21. — [2] Gen. XLIX, 17. — [3] Id. III, 1. — [4] Id. XLIX, 16.

» rum ejus : a voce hinnitus equitatus equorum ejus commota est universa terra [1]. » Ait vero et alius Propheta : « Congregabit omnem virtutem suam a solis ortu usque ad » occasum. Quos vocaverit, et quos non vocaverit, cum illo » ibunt. Candescere mare faciet præ multitudine velorum » navium, et nigrescere campum, præ multitudine scutorum. Ac, si quis ei in prælio occurrerit, gladio corruet [2]. » Quod enim hæc non de ullo alio dicta sint, quam de Tyranno illo, tum impudente, tum Dei adversario, in sequentibus ostendemus.

XVI. Sed et Esaias sic ait : « Et erit cum consummaverit » Dominus omnia faciens in monte Sion et Jerusalem, inducet super Mentem magnam, super Principem Assyriorum, et super altitudinem gloriæ oculorum ejus. Dixit » enim : In fortitudine faciam, et sapientia intellectus auferam terminos gentium, et fortitudinem eorum deprædabor : et concutiam civitates habitatas, et orbem totum » comprehendam manu mea quasi nidum, et quasi ova derelicta tollam : et non est qui effugiat aut contradicat mihi, » et qui aperiat os et garriat. Numquid glorificabitur securis » sine eo qui cædit in ipsa ? aut exaltabitur serra sine eo qui » illam trahit ? Similiter si quis sustulerit virgam aut lignum, exaltabitur lignum. Et non sic. Sed mittet Adonai » Dominus Sabaoth in honorem tuum ignominiam : et in » gloriam tuam ignis ardens exardescet. Et erit lumen Israel » in igne : et sanctificabit eum in flamma, et comedet sicut » fœnum, sylvam [3]. »

XVII. Item alio quoque loco : « Quomodo cessavit exactor ? quave ratione cessavit sollicitator ? contrivit Deus jugum principum peccatorum, percutiens gentem furore et » plaga insanabili, percutiens gentem plaga insanabili quæ » non pepercit. Requievit confidenter : omnis terra clamat

[1] Jer. VIII, 16.—[2] Forte ex Apocrypho, ut infra.—[3] Isai. X, 12, et seqq.

» cum lætitia. Ligna Libani lætata sunt super te, et cedrus » Libani. Ex quo tu obdormiisti, non ascendit qui nos cædat. » Infernus subter exacerbatus est, occurrens tibi. Consur- » rexerunt omnes gigantes judices terræ; principes ex soliis » suis. Omnes reges gentium, omnes simul respondebunt, et » dicent: Et tu captus es sicut et nos: inter nos reputatus es. » Descendit in terram gloria tua : multa lætitia tua : subter » te sternent saniem, et operimentum tuum vermis. Quo- » modo cecidit de cœlo Lucifer, qui mane oriebatur? Con- » tritus est ad terram, qui mittebat ad omnes gentes. Tu au- » tem dixeras in mente tua : In cœlum conscendam; supra » stellas cœli ponam thronum meum; sedebo in montibus » excelsis qui sunt ad Aquilonem ascendam; super nubes; » ero similis Altissimo. Nunc autem in infernum descendes, » et ad fundamenta terræ. Qui viderint te, mirabuntur su- » per te, et dicent : Hic homo qui irritabat terram, qui con- » cutiebat reges, qui desolavit totum orbem ejusque urbes » destruxit, vinctos carcere non solvit. Omnes reges terræ » dormierunt in honore, homo in domo sua : tu vero pro- » jectus eris in montibus velut cadaver abominabile, cum » multis mortuis confossis gladio, descendentibus in infer- » num. Quemadmodum vestimentum in sanguine consper- » sum non est mundum, sic neque tu eris mundus. Quo- » niam terram meam perdidisti, et populum meum in- » terfecisti, non manebis in æternum longævus. Semen » nequam, præpara filios tuos ut jugulentur pro peccatis » patris tui, ne consurgant, et terram meam hæreditate ac- » cipiant[1]. »

XVIII. Ezechiel quoque similiter loquitur in hunc modum : « Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod exaltatum » est cor tuum, et dixisti, Deus ego sum, habitationem Dei » habitavi in corde maris (tu autem homo, et non Deus);

[1] Isai. xiv, 4 et seqq.

» dedisti cor tuum quasi cor Dei. Numquid sapientior es tu » Daniele? Sapientes non erudierunt te disciplina sua? Numquid in eruditione tua aut in prudentia fecisti tibi fortitudinem, et aurum et argentum in thesauris tuis? Numquid » in multa eruditione tua et in negotiatione tua multiplicasti » fortitudinem tuam? Elatum est cor tuum in fortitudine » tua. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Quia dedisti cor » tuum quasi cor Dei, ecce ego adduco super te alienos » pestilentes, et evaginabunt gladios suos super te, et super pulchritudinem doctrinæ tuæ, et sternent pulchritudinem tuam in perditionem : et descendere facient te, et » morieris morte vulneratorum in corde maris. Numquid » loquens dicturus es, Deus sum ego in conspectu interficientium te? Tu autem homo es, et non Deus, in manu » vulnerantium te. Mortibus incircumcisorum interibis in » manibus alienorum : quia ego locutus sum, dicit Dominus[1]. »

XIX. Hisce ita ostensis verbis, videamus subtilius quid dicat Daniel in Visionibus. Hic enim futura deinceps regna distinguens, ostendit extremis temporibus etiam Antichristi futurum adventum, et mundi universi consummationem. Ait itaque dum solvit Nabuchodonosoris visum : « Tu rex » videbas, et ecce simulacrum magnum stans ante faciem » tuam : cujus caput ex auro optimo; brachia ejus et humeri, argentea; venter et femora, ærea; et tibiæ ferreæ; » pedes pars quidem ferrea, et pars testea. Videbas igitur » donec abscissus est lapis de monte sine manibus : et percussit simulacrum super pedes ferreos et testeos, et comminuit eos in finem. Tunc penitus comminuta sunt testa, » ferrum, æs, argentum, aurum, et facta sunt quasi pulvis » de area æstiva : et sustulit ea copiosus ventus, et locus » non est inventus eis. Et lapis qui percussit simulacrum,

[1] Ezech. XXVIII, 2.

» factus est in montem magnum, et implevit universam
» terram[1]. »

XX. Ad hæc igitur nectentes ipsas Danielis visiones, unam utrisque expositionem adhibebimus, monstrantes quam sibi consentiant, veræque existant. Nam sic ait :
« Ego Daniel aspiciebam : et ecce quatuor venti cœli irrue-
» bant in mare magnum : et quatuor bestiæ grandes ascen-
» debant de mari diversæ inter se. Prima quasi leæna, et
» alæ ejus sicut aquilæ. Aspiciebam donec evulsæ sunt alæ
» ejus : et sublata est de terra : et super pedes hominis
» stetit, et cor hominis datum est ei. Et secunda bestia si-
» milis urso, et in parte una stetit; et tres costæ in ore ejus
» inter dentes ejus : et sic dicebant ei, Surge, comede car-
» nes multas. Aspiciebam, et ecce bestia quasi pardus : et
» huic alæ quatuor volucris super eam, et quatuor capita
» bestiæ. Post hanc aspiciebam, et ecce bestia quarta ter-
» ribilis ac stupenda, et fortis nimis : dentes ejus ferrei, et
» ungues ejus æenei, comedens et comminuens; et reliqua
» pedibus suis conculcabat : et ipsa diversa nimis præ om-
» nibus bestiis quæ ante eam : et ejus cornua decem. Con-
» siderabam cornua ejus : et ecce cornu aliud parvum as-
» cendit in medio eorum : et tria cornua ex superioribus
» evulsa sunt e facie ejus. Et ecce oculi, quasi oculi homi-
» nis in cornu illo, et os loquens grandia[2].

XXI. » Aspiciebam donec throni positi sunt : et Antiquus
» dierum sedit. Et vestimentum ejus candidum quasi nix :
» et capillus capitis ejus quasi lana munda. Thronus ejus
» flamma ignis : et rotæ ejus ignis ardens. Fluvius igneus
» trahebat ante conspectum ejus. Mille millia ministrabant
» ei, et decies centena millia assistebant ei. Judicium sedit,
» et libri aperti sunt. Aspiciebam tunc a voce sermonum
» grandium, quos cornu illud loquebatur, quoadusque in-

[1] Dan. II, 13. — [2] Id. VII, 2 et seqq.

» terfecta est bestia et periit; et corpus ejus datum est in » combustionem ignis. Et cæterarum bestiarum translatus » est principatus[1].

XXII. » Aspiciebam in visione noctis : et ecce cum nu» bibus cœli quasi Filius hominis : et usque ad Antiquum die» rum pervenit : et oblatus est ei : et datum est ei imperium » et honor et regnum; et omnes populi, tribus et linguæ ser» vient ei. Potestas ejus, potestas æterna, quæ non pertrans» ibit, et regnum ejus non interibit[2]. »

XXIII. Quia igitur quæ sic arcano sensu dicta sunt, nonnullis videntur captu difficilia, eorum nihil abscondemus, ut intelligant qui sana mente præditi sunt. Leænam enim dicendo ascendentem e mari, Babyloniorum regnum in mundo significavit, quod hujus simulacri erat caput aureum. Quod autem dicit, *Alæ ejus quasi aquilæ*, quia exaltatus est rex Nabuchodonosor et adversus Deum elatus. Tum ait, *Evulsæ sunt alæ ejus;* quia ejus ablata gloria est: fuit enim ejectus e regno suo. Dicendo autem, *Cor hominis datum est ei, et super pedes hominis stetit,* quia ductus pœnitentia est, ipse seipsum agnocens, quod homo esset, et dedit gloriam Deo.

XXIV. Post leænam ergo, secundum animal videt urso simile, quod sunt Persæ. Post Babylonios enim Persæ rerum potiti sunt. Dicendo autem, *Tres costæ* (sive ordines) *in ore ejus,* tres gentes significavit, Persas, Medos et Babylonios: idque ostendit argentum adjunctum auro in simulacro. Sequitur tertia bestia, pardus, nempe Græci. Post Persas enim Alexander Macedo rerum potitus est, debellato Dario, qui in simulacro, æris specie ostensus est. Dicendo autem, *quatuor alas volucris,* apertissime docuit quomodo Alexandri imperium divisum fuit. Dicendo enim *quatuor capita,* quatuor qui ex illo surrexerunt reges memoravit. Alexander

[1] Dan. VII, 9 et seqq. — [2] Ibid. 13 et seqq.

enim moriens, imperium solidum in quatuor partes divisit.

XXV. Deinde ait : « Bestia quarta terribilis ac stupenda : » dentes ejus ferrei, et ungues ejus ænei. » Quinam isti nisi Romani ? quod est ferrum, quod nunc stat manetque Imperium. Crura enim ejus ferrea. Post hæc enim, quid aliud superat, charissime, præter vestigia pedum simulacri, et in quibus pars quædam ferrea, pars vero testea est, commixtis inter se speciebus ? Per ungues pedum arcano sensu reges ex illo ortum habituros designavit, uti Daniel ait : « Cogita» bam bestiam, et ecce decem cornua retro eam, inter quæ » surget minusculus stolo alius, et tria quæ ante ipsum » erant cornua evellet. » Quo non aliud quam Antichristus monstratus est, qui et ipse Judæorum regnum suscitaturus est. Tria cornua per eum evulsa, tres reges vocat, Ægypti, Libyæ et Æthiopiæ, quos interficiet in belli acie. Hic nimirum omnium gravi imperio potitus, qui sævus tyrannus sit, tribulationem ac persecutionem in homines movebit, adversus quos efferetur. Ait enim Daniel : « Attentiusque con» siderabam cornu ; et ecce cornu illud faciebat bellum cum » sanctis, et prævalebat adversus eos, donec interfecta est » bestia et interiit, et corpus ejus datum est in combustio» nem ignis [1]. »

XXVI. Brevi post veniet de cœlis lapis qui percussit simulacrum et illud contrivit, atque regna transtulit, et sanctis Altissimi regnum dedit [2]. Hic est qui factus est in montem magnum et implevit universam terram, de quo Daniel ait : « Aspiciebam in visione noctis : et ecce cum » nubibus cœli quasi Filius hominis veniens : et usque ad » Antiquum dierum pervenit, et oblatus est ei. Et datum est » ei imperium et honor et regnum ; et omnes populi, tribus » et linguæ servient illi. Potestas ejus, potestas æterna, quæ » non pertransibit : et regnum ejus non interibit [3]. » Omnem

[1] Dan. VII, 22 et 11. — [2] Id. II, 34 et 45. — [3] Id. VII, 13.

potestatem ostendit quæ a Patre data Filio est [1], qui cœlestium, terrestrium et infernorum [2] rex, omniumque judex creatus est; cœlestium quidem, quod Verbum Patris ante sæcula extiterit: terrestrium vero, quod homo inter homines natus est, ut a se ipse Adamum reformaret; infernorum autem, quod inter mortuos reputatus, sanctorum animabus prædicans morte victor mortis extitit [3].

XXVII. Cum hæc itaque futura sint, decemque digiti simulacri et statuæ seu imaginis, in democratias cesserint; decem vero capita quartæ bestiæ in decem regna divisa sint; videamus clarius quæ argumento proposita sunt, eaque quasi ob oculos posita sic coram consideremus.

XXVIII. Aureum caput simulacri, leæna, Babylonii erant: humeri et brachia argentea, ursus, Persæ et Medi: venter femurque æneum, pardus, qui ab Alexandro Græci rerum potiti sunt: crura ferrea, stupenda bestia ac terribilis, Romani, qui nunc rerum potiuntur: vestigia pedum, testa ferrumque, ac decem cornua, quæ futura sunt regna et imperia: cornu aliud parvum succrescens, qui inter illa numeratur, Antichristus: lapis percutiens conterensque simulacrum, qui terram adimplevit, et judicium mundo infert, Christus.

XXIX. Hæc tibi, charissime, timore communico, propensa tamen voluntate, ob excellentem charitatem Christi. Nam si decessores nostri beati Prophetæ, qui hæc explorata haberent, noluerunt palam prædicare, ne hominum animos turbarent, sed arcana ratione parabolarum tecta involucris, et perplexis obscurisque sermonibus enarrarunt, dicentes: *Præsto sit animus sapientia præditus* [4]; quanto nobis potius non vacabit periculo, qui ab illis occulte dicta atque obtecta in apertum dicamus? Videamus igitur quæ in extremis eventura sunt super immunda hac Meretrice; qualisque ac quan-

[1] Matth. XXVIII, 18. — [2] Phil. II, 10. — [3] 1 Pet. III, 19. — [4] Apoc. XVII, 9.

tus cruciatus, Dei indignatione ante diem judicii prærogata in antecessum pœnarum parte, illi superventurus.

XXX. Ades igitur, o beate Esaia. Exurge, dic palam quæ vaticinatus es de civitate magna Babylone. Nam etiam de Jerusalem locutus es, sicque factum est. Tu enim aperte dixisti : « Terra vestra deserta; civitates vestræ igne succensæ. Regionem vestram alieni devorant in conspectu » vestro, et desolata est, subversa a populis alienis. Derelinquetur filia Sion quasi tabernaculum in vinea, et sicut » pomorum custodia in cucumerario; sicut civitates expugnatæ[1]. » Quid igitur? Num hæc jam non extiterunt? nonne impleta sunt quæ a te dicta sunt? Nonne eorum terra Judæa desolata est ? nonne succensum sanctuarium? nonne eorum eversi muri ? nonne civitates destructæ? nonne regionem alieni devorant ? non ejus ditionis Romani potiuntur? Nam quo odio in te exarserant, serra disciderunt, ac Christum in crucem egerunt. In mundo mortuus es, sed vivis in Christo.

XXXI. Quem vestrum magis diligam, tene, an Jeremiam? Sed et Jeremias lapidatur. Magis vero Jeremias, sed et Daniel testatur. Daniel, præ omnibus in tuas laudes effundor. Quin Joannes quoque nihil falsi loquitur. Quantis vos labiis linguisque glorificabo, quinimo quod in vobis Verbum loquitur! Mortui estis cum Christo, sed vivetis cum Christo. Audite et lætamini; ecce enim quæ locuti estis, per tempus impleta sunt. Vidistis enim ea primum, sicque deinde cunctis ætatibus prædicastis; cunctis ætatibus ministrastis Dei oracula. Vocati estis Prophetæ, ut salutem omnibus possetis præstare. Tunc enim vere propheta est, cum, prænuntiatis quæ futura sunt, ea postea evenisse ostenderit. Boni Magistri discipuli fuistis. Hæc vobis merito quasi viventibus

[1] Isai. I. 7.

acclamo. Habetis enim vobis jam in cœlis repositam vitæ ac incorruptionis coronam [1].

XXXII. Dic quæso, beate Daniel. Certam mihi facito fidem, obsecro. Vaticinaris de leæna Babylone [2]; ibi enim captivus versabaris. Narrasti quæ erant futura de urso: adhuc enim vitæ superstes eras, eaque facta vidisti. Deinde pardum mihi loqueris; undenam vero ut hæc sciveris? jam enim defunctus eras. Quis hæc loqui docuit, nisi qui ex utero matris te formavit [3]? Deus, ais. Dixisti enim, nec falsum locutus es [4]. Surrexit pardus: venit hœdus caprarum: percussit arietem; contrivit cornua ejus; conculcavit eum pedibus; illius potitus est: exaltatus est in ruina ejus; surrexerunt sub illo quatuor cornua. Lætare, beate Daniel: non es deceptus: cuncta hæc evenere.

XXXIII. Post hæc mihi rursus enarra quartam bestiam, tremendam illam atque stupendam: « Dentes ejus ferrei, » et ungues ejus æneі, comedens et comminuens, ac residua » pedibus suis conculcabat. » Jam nunc ferrum dominatur: jam edomat et comminuit omnia: jam invitos omnes sub jugum mittit. Hæc nos jam videmus: jam a te docti Deum glorificamus.

XXXIV. Quoniam vero propositum nobis fuerat ut de Meretrice loqueremur, adesto, beate Esaia: videamus quid dicas de Babylone: « Descende, sede in terra, filia Chal- » dæorum: non amplius adjicietur tibi ut voceris mollis » et delicata. Tolle molam; mole farinam: revela operimen- » tum tuum, rade canos, discooperi tibias, transi flumina: » revelabitur turpitudo tua: apparebunt opprobria tua; ul- » tionem ex te sumam: nequaquam ultra te hominibus » tradam. Qui eruit te Dominus Sabaoth, nomen ei Sanc- » tus Israël. Sede compuncta; ingredere in tenebras, fi-

[1] 2 Tim. IV, 8. — [2] Dan. VII, 4. — [3] Jer. I, 5. — [4] Dan. VII, 6.

» lia Chaldæorum : nequaquam ultra vocaberis fortitudo » regni.

XXXV. » Iratus sum super populum meum : contaminavi » hæreditatem meam : ego dedi eos in manu tua ; tu vero » non dedisti eis misericordiam : tu vero super seniores ag» gravasti jugum, et dixisti : In æternum ero domina. Non » cogitasti hæc in corde tuo, neo novissimorum recordata es. » Nunc autem audi hæc, delicata, quæ sedes, quæ confidis, » quæ dicis in corde tuo : Ego sum, et non est altera ; et non » sedebo vidua, neque sciam orbitatem. Nunc autem venient » super te hæc duo in una die, quod vidua sis ac orba libe» ris. Venient repente in beneficio tuo, in fortitudine incan» tationum tuarum valde, spe fornicationis tuæ. Tu enim » dixisti : Ego sum, et non est altera. Et erit fornicatio tua » tibi confusio, quod dixisti in corde tuo, Ego sum. Et ve» niet super te perditio, et nescies ; et fovea, et incides in » eam. Et veniet super te miseria, et non poteris munda » fieri. Et veniet super te repente interitus, et non intelli» ges. Sta nunc in incantationibus tuis, et in multis vene» ficiis tuis, quæ discebas a juventute tua ; si poteris adju» vari. Laborasti in consiliis tuis : stent et salvam te facient » astrologi cœli : qui contemplantur stellas, annuntient tibi » quid futurum sit super te. Ecce omnes tanquam stipula » ignis sic comburentur, et non eruent animam suam de » flamma. Quandoquidem habes carbones ignis, sede super » eos ; si inde juvaberis. Laborasti in mutatione tua a ju» ventute. Homo in semetipso erravit : tibi autem non erit » salus [1]. » Hæc quidem tibi Esaias vaticinatur : videamus num et Joannes similia locutus sit.

XXXVI. Hic enim cum in Patmo insula versaretur, videt Apocalypsim qua detecta horrenda mysteria ; eaque narrans, etiam alios affatim docet. Dic, quæso, beate Joan-

[1] Isai. XLVII, 1 et seqq.

nes, apostole et Domini discipule, quidnam audisti et vidisti de Babylone. Expergiscere et loquere : nam et hæc te in exilium relegavit : « Et venit unus de septem Angelis qui ha- » bebant septem phialas, et locutus est mihi, dicens : Veni, » ostendam tibi damnationem Meretricis magnæ, quæ sedet » super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ, » et inebriati sunt qui inhabitant terram, de vino prostitu- » tionis ejus. Et abstulit me in spiritu in desertum. Et vidi » mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam » nominibus blasphemiæ, habentem capita septem et cor- » nua decem. Et mulier erat amicta purpura *et coccino, et* » inaurata auro et lapide pretioso et margaritis, habens po- » culum aureum in manu sua plenum abominationibus, im- » munditias fornicationis terræ. In fronte et ejus nomen » scriptum, mysterium : Babylon magna, mater scortatio- » num et abominationum terræ.

XXXVII. » Et vidi mulierem ebriam de sanguine sancto- » rum, et de sanguine martyrum Jesu. Et miratus sum vi- » dens illam, admiratione magna. Et dixit mihi Angelus : » Cur miraris ? Ego dicam tibi sacramentum mulieris, et » bestiæ quæ illam portat, quæ habet capita septem et cor- » nua decem. Bestia quam vidisti erat, et non est. Futu- » rumque est ut ascendat de abysso, et in interitum eat. » Et mirabuntur inhabitantes terram (quorum non scrip- » tum est nomen in libro vitæ a constitutione mundi) » videntes bestiam quæ erat, et non est, et quæ ventura » est.

XXXVIII. » Hic sensus qui habet sapientiam. Septem » capita, septem montes sunt, super quos Mulier sedet ; et » reges septem sunt : quinque ceciderunt : unus autem est, » alter nondum venit ; et cum venerit, oportet illum breve » tempus manere. Et bestia quæ erat et non est, et ipse » octavus est, et de septem est, et in interitum vadit. Et de-

» cem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum » nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges una » hora accipient cum bestia. Hi unam voluntatem habent, » et virtutem et potestatem suam bestiæ tradent. Hi cum » Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos : quoniam Domi- » nus dominorum est, et Rex regum ; et qui cum illo vocati, » electi et fideles sunt.

XXXIX. » Et dixit mihi : Aquæ quas vidisti, ubi Mere- » trix sedet, populi sunt et turbæ et gentes et linguæ. Et » decem cornua quæ et vidisti bestiæ, hi odient Meretri- » cem, et desolatam eam facient et nudam, et carnes ejus » comedent, et ipsam igni concremabunt. Deus enim dedit » in cor eorum ut faciant quod illi placuerit, et faciant unam » voluntatem, et dent regnum suum bestiæ, donec consum- » mentur verba Dei. Et mulier quam vidisti, est civitas » magna, quæ habet regnum super reges terræ [1].

XL. » Post hæc vidi alterum Angelum descendentem » de cœlo, habentem potestatem magnam : et terra illumi- » nata est a claritate ejus. Et clamavit in fortitudine voce » magna, dicens : Cecidit, cecidit Babylon magna, et facta » est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus im- » mundi, et custodia omnis volucris immundæ et exosæ : » quia de vino iræ scortationis ejus biberunt omnes gentes. » Et reges terræ cum illa fornicati sunt, et mercatores terræ » de virtute deliciarum ejus divites facti sunt. Et audivi » aliam vocem de cœlo dicentem : Exite de illa populus » meus, ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis » ejus ne accipiatis. Quoniam adhæserunt peccata ejus us- » que ad cœlum, et recordatus est Dominus iniquitatum » ejus.

XLI. » Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis : et dupli- » cate duplicia secundum opera ejus. In poculo quo mis-

[1] Apoc. XVII, 1 et seqq.

» cuit, miscete illi duplum. Quantum glorificavit se et in
» deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum; quia
» in corde suo dicit : Sedeo regina, et vidua non sum, et
» luctum non videbo. Ideo in una die venient plagæ ejus,
» mors et luctus et fames, et igni comburetur; quia fortis
» est Deus, qui judicavit eam. Et lugebunt et plangent su-
» per eam reges terræ qui cum illa fornicati sunt et in de-
» liciis vixerunt, cum viderint fumum incendii ejus; longe
» stantes propter metum tormentorum ejus, dicentes : Væ,
» væ, civitas illa magna, Babylon, civitas illa fortis, quo-
» niam una hora venit judicium tuum. Et negotiatores terræ
» flebunt et lugebunt super eam, quoniam merces eorum
» nemo emet amplius : merces auri et argenti et lapidis pre-
» tiosi, et margaritæ et byssi et purpuræ et serici et coc-
» cini (et omne lignum thyinum, et omnia vasa eboris, et
» omne vas ex ligno pretiosissimo et æramento et ferro et
» marmore, et cinamomum, et amomum et odoramentum
» et unguentum et thus, et vinum et oleum et similam et tri-
» ticum, et pecora et oves et hœdos), et equorum et rheda-
» rum et mancipiorum, et animas hominum. Et poma desi-
» derii animæ tuæ recesserunt a te, et omnia pinguia et clara
» perierunt a te, et amplius illa jam non invenies. Mercato-
» res horum, qui divites facti erant, a longe stabunt, prop-
» ter metum tormentorum ejus, flentes et lugentes, atque
» dicentes : Væ, væ, civitas illa magna, quæ amicta erat
» bysso et purpura et coccino, et deaurata erat auro et la-
» pide pretioso et margaritis, quod una hora destitutæ sunt
» tantæ divitiæ. Et omnis gubernator, et omnis in navibus
» versantium turba et nautæ, et qui mare exercent omnes,
» a longe steterunt et clamaverunt videntes fumum incendii
» ejus, dicentes : Quæ similis civitati huic magnæ? Et mise-
» runt pulverem super capita sua, et clamaverunt flentes et
» lugentes, dicentes, Væ, væ, civitas illa magna, in qua di-

» vites facti sunt omnes qui habebant naves in mari, de pin-
» guedine ejus.

XLII. » Lætare super eam, Cœlum, et Angeli et Apostoli » et Prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium vestrum de » illa. Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi mola- » rem magnum, et misit in mare, dicens : Sic impetu mitte- » tur Babylon civitas illa magna, et ultra jam non invenietur. » Et vox citharœdorum et musicorum et tibia canentium et » tuba non audietur in te amplius : et omnis artifex omnis » artis non invenietur in te amplius : et vox molæ non au- » dietur in te amplius : et lux lucernæ non lucebit in te am- » plius : ex vox sponsi et sponsæ non audietur adhuc in te, » quia mercatores tui erant principes terræ; quia in venefi- » ciis tuis erraverunt omnes gentes : et in ea sanguis Pro- » phetarum et sanctorum inventus est, et omnium qui inter- » fecti sunt in terra[1]. »

XLIII. Apertissime in his testimoniis sigillatim declaratum est de tormentorum judicio quæ extremis temporibus, per tyrannorum qui tunc erunt injuriam illam, incessura sunt : operæ pretium vero est, ut et tempus diligenti examine exponamus, quando scilicet futurum sit ut hæc eveniant, et cornu illud parvum inter eos emergat. Nempe quando crura ferrea quæ etiamnum rerum potiuntur, ad vestigia pedum digitosque evaserint, juxta simulacri seu imaginis et statuæ manifestationem, bestiæque formidabilis speciem, uti in superioribus designatum est; quando futurum est ut ferrum et testa in unum misceantur. Ostendet vero nobis Daniel hæc ita proposita. Ait enim : « Et disponet testamentum multis hebdomada una. Et erit, in dimidio hebdomadæ auferetur sacrificium meum et libatio[2]. » Unam ergo annorum hebdomadam extremam significavit, quæ in fine totius mundi futura sit (11); cujus hebdomadæ dimidium sument duo

[1] Apoc. XVIII, 1 et seqq. — [2] Dan. IX, 27.

Prophetæ, Enoch et Elias (12). Hi enim prædicabunt dies mille ducentos sexaginta, amicti saccis; qui nimirum populo cunctisque Gentibus pœnitentiam indicant[1].

XLIV. Quemadmodum enim duplex nobis Domini ac Salvatoris adventus Scripturarum testimonio proditus est: unus quidem ac primus in carne, nulla honorum pompa ac claritate, ut despicabilis foret, ut olim vaticinatus fuerat Esaias, dicens: « Vidimus eum, et non habebat speciem » neque decorem: sed species ejus contempta et deficiens » supra omnes homines. Homo in plaga positus, et sciens » ferre infirmitatem: quia aversa est facies *ejus, despecta,* » nulliusque rationis habita[2]. » Alter vero ejus *adventus in* majestate futurus prædicatus est, quando de cœlis veniet Angelorum stipante militia, et in paterna claritate[3]; quemodo ait Propheta: « Videbimus Regem in decore et majes» tate[4]. Et aspiciebam cum nubibus cœli tanquam Filium » hominis venientem, et usque ad Antiquum dierum pervenit, » et oblatus est ei, et datum est ei imperium et honor et gloria » et regnum. Omnes tribus et linguæ servient ei. Regnum » ejus regnum æternum, quod non interibit[5]. » Sic et duo præcursores monstrati sunt. Primus fuit Joannes, *Zachariæ* filius, qui in omnibus præcursor ac præco Salvatoris exstitit; cœlesteque Lumen, quod mundo illuxerat, annuntians, ex matris utero præcursoris partes implevit, primus ab Elizabeth conceptus ut et his qui ex matris vulva parvuli erant novam ex Spiritu sancto et Virgine, qua donandi essent, nativitatem ostenderet.

XLV. Hic, audita matris salutatione, exiliit gaudens in utero, in Virginis pariter utero conceptum Deum Verbum intuens[6]. Deinde prædicaturus in desertum venit, annuntians populo baptismum pœnitentiæ; nempe Gentilibus in mundi

[1] Apoc. XI, 3. — [2] Isai. LIII, 2. — [3] Luc. IX, 26. — [4] Isai. XXXIII, 17. — [5] Dan. VII, 13. — [6] Luc. I, 41.

deserto viventibus salutem prænuntians Tum in Jordane ipsum coram Salvatorem ostendit, dicens: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*[1]. Hic iis etiam qui erant in inferno prior evangelizavit, sublatus Herodis gladio, illic factus præcursor; nempe ibi quoque indicaturus expectandum Salvatoris descensum, qui sanctorum animas de manu mortis esset liberaturus.

XLVI. Quod enimvero Salvator cunctorum hominum resurrectionis principium auctorque futurus erat, par erat ut unus ipse a mortuis suscitaretur, per quem judicium in omnem mundum intrare deberet, ut qui digne functi certamine essent, digne quoque ab eo coronarentur; præclaro scilicet agonis positore, et qui primus stadium confecisset: qui in cœlum receptus, in Dei ac Patris dextera sedet, ac rursus in mundi consummatione Judex manifestandus est; necesse est ut ejus præcursores ante manifestentur, quemadmodum per Malachiam et Angelum dicit: «Mittam vobis » Eliam Thesbitem, antequam veniat dies Domini magnus et » manifestus[2]. Et reducet corda patrum ad filios, et inobe» dientes ad prudentiam justorum : ne forte veniam, et per» cutiam terram penitus[3]. » Hi itaque venientes prædicabunt futuram Christi e cœlis apparitionem; facientque signa et prodigia, ut vel sic inflectant atque convertant hominum animas ad pœnitentiam, ob nimiam improbitatem ac impietatem qua laborant.

XLVII. Ait enim Joannes : « Et dabo duobus testibus, et » prophetabunt dies mille ducentos sexaginta, amicti sac» cis[4]. » Dimidium istud hebdomadæ de qua Daniel locutus est : « Isti sunt duæ olivæ et duo candelabra in conspectu » Dei terræ stantia. Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet » de ore eorum, et devorabit inimicos eorum. Et si quis vo» luerit eos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potes-

[1] Joan. I, 19. — [2] Malach. IV, 5. — [3] Luc. I, 17. — [4] Apoc. XI, 3.

» tatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum : et potestatem habent super aquas, vertendi eas in sanguinem, et ut terram percutiant omni plaga, quotiescumque voluerint[1]. » Ubi autem cursum suum perfecerint, suumque testimonium, quidnam dicit Propheta? « Bestia » quæ ascendit de abysso faciet adversus eos bellum, et vincet illos, et occidet illos[2]; » quod nimirum noluerunt dare gloriam Antichristo. Hoc enim est cornu illud parvum succrescens. Is namque jam elatus corde, seipsum exaltare incipiet et ut deum glorificare, persequens sanctos ac Christum blasphemans, quemadmodum ait Daniel : « *Et considerabam cornu, et ecce oculi tanquam hominis in cornu, et* » os loquens grandia. Et aperuit os suum in blasphemiam » adversus Deum. Et cornu illud faciebat bellum adversus » sanctos, et prævaluit adversus eos, quoadusque interfecta » est bestia, et periit, et corpus ejus traditum est in combustionem ignis[3]. »

XLVIII. Sed quia necesse est subtilius de eo disputare, et quomodo Spiritus sanctus ex numero etiam ejus nomen significaverit, quæ ad ipsum attinent clarius edisseremus. Sic enim ait Joannes : « Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra : et habebat cornua duo similia agni : et loquebatur sicut draco, et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus : et faciebat terram et » habitantes in ea adorare primam bestiam, cujus curata » est plaga mortis ejus. Et faciebat signa magna, ut etiam » ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu » hominum. Et seducit habitantes in terra, propter signa » quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ quæ habet » plagam gladii, et vixit. Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ, ut et loquatur imago bestiæ; et fa-

[1] Dan. IX, 27. Apoc, XI, 4. — [2] Ibid. 7. — [3] Dan. VII, 8.

» tiat, ut quicumque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur. Et faciet omnes, pusillos et magnos, divites et pauperes, liberos et servos, ut det eis characterem ejus in manu eorum dextera, aut in fronte eorum : et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem; nomen scilicet bestiæ, sive numerum nominis ejus. Hic sapientia est. Qui habet intellectum computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est, et numerus ejus sexcenti sexaginta sex [1]. »

XLIX. Bestiam igitur ascendentem de terra, futurum vocat Antichristi regnum. Duo autem cornua, ipsum, ac qui illi comes pseudoprophetam. Quod autem ejus cornua Agni similia dicit, hoc significat, fore ut ille similem Dei Filio præferat, seque regem exhibeat. Quod sicut draco loquitur, hoc est quod seductor est et non verax. Quod autem « potestatem prioris bestiæ faciebat, facitque ut terra et qui in ea habitant adorent primam bestiam, cujus plaga mortis curata est ; » hoc significat, ex Augusti legum rationibus, per quem Romanum conditum imperium est, ipsum quoque imperaturum esse legesque sanciturum; qua solertia confirmet omnia, majoremque sibi claritatem asciscat. Hæc enim quarta bestia est, cujus capiti illatum vulnus, et rursus curatum est; quod scilicet prope conciderit imperium hoc, sive etiam in contemptum abierit, et in decem diademata resolutum sit : tunc vero Antichristus, sagacis homo ingenii ac versutus, velut ipsum curaturus ac renovaturus sit. Hoc enim est quod dictum est a Propheta, « Daturum *scilicet* eum spiritum flatumque imagini, ac locuturam esse bestiæ imaginem. » Vigebit enim et invalescet rursus, ob sancitas ab eo leges : facietque ut omnes qui non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur. Hic fides ac patientia sanctorum clarescet. Ait enim : « Et faciet ut om-

[1] Apoc. XIII, 11 et seqq.

» nos, pusilli et majores, divites et pauperes, liberi et servi, » bestiæ characterem in manu sua dextera aut in fronte » accipiant, ut nemo possit emere aut vendere, nisi qui » bestiæ signaculum habeat; ejus scilicet nomen, seu nu» merum nominis illius. » Cum enim dolis consutus sit, et adversus Dei servos superbia elatus, eos extirpare velit exque mundo fugare; ob negatam illi gloriam jubebit omnes ubique rogos ponere ac thuribula, ne quis sanctorum emere possit aut vendere, quin prius immolaverit. Hoc enim illud signaculum est, quod datur in manu dextera. Quod vero in fronte dicit, hoc est, ut omnes *coronati sint*, igneumque, non vitæ, sed mortis, secum inferant sertum. Sic namque etiam adversus Judæos molitus est Antiochus Illustris, Syriæ rex, Alexandri Macedonis nepos. Nam et ille per hæc tempora corde elatus, decretum tulit, *aris pro foribus positis* [1], cunctos immolaturos, atque hedera coronatos, « Baccho circuituros : qui nolint parere, hos » cruciatibus atque tormentis examinatos, neci tradendos » esse. » Verum is quoque, condigna a Domino, justoque judice ac omnium inspectore Deo recepit præmia; exesus enim vermibus, vita exemptus est. Ac si quis hæc sigillatim legere velit, singulaque lustrare, in libris Machabæorum perscripta inveniet.

L. Nunc vero ad propositum quod attinet dicemus. Hæc enim ipse quoque molietur, modis omnibus sanctos affligere volens. Ait enim Propheta et Apostolus : « Hic intel» lectus est. Qui habet sapientiam, computet numerum bes» tiæ. Numerus enim hominis est; et numerus ejus sexcenti » sexaginta sex [2]. » Sane ad ejus nomen quod attinet, non in nobis tanta sapientiæ vis, ut enarrare possimus quemadmodum de illo intellexit didicitque beatus Joannes, ac vel solum conjectura tradere. Illo enim apparente, doce-

[1] 1 Machab. I, et II, 9. — [2] Apoc. XIII, 18.

bit vir beatus de quo quærimus. Cæterum quantum hæsitantes animoque dubii capimus, dicimus. Multa nomina inveniemus pari numero atque computo comprehensa, ut, verbi gratia, est nomen *Titan*, quod nomen antiquum ac illustre est; vel *Evanthas*; nam hoc quoque pari comprehenditur computo, aliaque non pauca quæ licet invenire. Quia tamen jam diximus, prioris bestiæ plagam curatam esse, ac loqui imaginem fecisse, quod est robur illi viresque tribuisse; palamque omnibus est, qui etiamnum rerum potiantur Latinos esse. Si igitur ut unius hominis nomen transferatur, *Latinus* efficietur. Quare nec prædicandum, quasi hoc sit illius nomen; nec rursus nesciendum, posse eum aliter nuncupari : sed cum Dei mysterium in corde habeamus, cum timore fide servanda quæ a beatis Prophetis prædicta sunt, ut cum illa fient, prospiciendo solerter non decipiamur : supervenientia enim tempora, etiam hunc de quo hæc dicta sunt, manifestabunt.

LI. Sed ne his duntaxat sententiis dictisque illos inducamus qui divinorum eloquiorum cultu delectantur, aliis pluribus demonstrationibus ostendemus. Ait enim Daniel : « Et isti salvabuntur de manu ejus, Ammon et Moab, et » principium filiorum Ammon [1]. » Ammon et Moab filii Lot ex filiabus progeniti [2], quorum etiamnum genus perseverat. Ait enim Isaias : « Et volabunt in navibus alienigenarum : » male simul prædabuntur, et eos qui a solis ortu : et in » Moab primum manus injicient. Filii autem Ammon pri » mi obedient [3]. »

LII. Hic igitur illis temporibus emergens occurret : triumque cornuum ex decem pugnæ acie potitus, illisque radicitus evulsis, Ægypto scilicet, Libya et Æthiopia, acceptis eorum spoliis ac manubiis, reliquis etiam cornibus, quæ nec ipsa immunia existant oblæsisque finibus, se illi

[1] Dan. II, 41. — [2] Gen. XIX, 32. — [3] Isai. XI, 14.

subjicientibus, exaltari animo incipiet, et adversus Deum efferri, qui totius orbis terrarum potiatur. Ejus prima aggressio erit adversus Tyrum et Berytum, ac circum vicinam regionem. His enim urbibus primum expugnatis, aliis terrorem injiciet, quemadmodum Esaias ait : « Erubesce Sidon, dixit mare. Fortitudo vero maris dixit : Non parturivi, neque peperi, nec educavi juvenes, nec exaltavi virgines. Quando autem auditum fuerit Ægypto, capiet eos dolor pro Tyro [1]. »

LIII. His ita futuris, dilectissime, ac tribus cornibus ab eo excisis, post hæc se ut deum exhibere incipiet, *quemadmodum* prædixit Ezechiel : « Pro eo quod *exaltatum est cor* tuum, et dixisti, Deus sum ego [2]. » Similiter quoque Esaias : « Tu autem dixisti in corde tuo, Ascendam in cælum, supra stellas cœli ponam solium meum : ero similis Altissimo. Nunc autem in infernum descendes, ad fundamenta terræ [3]. » Simili quoque ratione Ezechiel : « Dicens loqueris interficientibus te, Deus sum ego. Tu vero homo, et non deus [4]. »

LIV. Cum his locis, Antichristi cum tribus probata sit, tum ejus exhibitio ac interitus ; nomen quoque obscure designatum sit ac sub ænigmate ; videamus et quid acturus sit. Ipse enim congregabit ad se omnem populum ex omni regione qua dispersi sunt, velut suos ipsius filios asciscens propriosque adhibens, restituturum se regionem pollicitus, regnumque illorum ac populum suscitaturum, ut ab eis tanquam Deus adoretur, sicut ait Propheta : « Congregabit omne regnum suum a solis ortu usque ad occasum. Quos vocaverit, et quos non vocaverit, cum eo venient [5]. » Jeremias quoque sic de illo loquitur sub avis metaphora : « Perdix clamavit : congregavit quæ non peperit; faciens divi-

[1] Isai. XXIII, 4. — [2] Ezech. XXVIII, 6. — [3] Is. XIV, 14. — [4] Ezech. XXVIII, 9. — [5] Ex Apocrypho ut supra cap. XV.

» tias suas non cum judicio. In dimidio dierum derelinquent » eum; et erit in novissimis diebus suis insipiens[1]. »

LV. Nihil ergo officiet, præsentis argumenti gratia, quominus etiam animalis artem astumque enarremus, ac ostendamus, non frustra Prophetam hæc locutum esse, ejus animalis usum similitudine. Nam cum perdix superbum animal sit, ubi prope alterius perdicis nidum, in quo sint pulli, viderit, quorum parens ad pastum avolarit, æmula alieni voce, ad se pullos vocat. Pulli vero suum ipsum parentem eum existimantes, ad illum accurrunt. Gloriaturque ille ac sibi placet in alienis pullis, quasi in suis. Reverso autem vero parente suaque ipsius voce inclamante, ea pulli agnita, relictoque seductore, ad verum se parentem conferunt. Eodem similiter tropo usus Propheta, translata in Antichristum fabula. Is namque ad se ipse humanum vocabit genus, eos sibi addicere studens : nempe abs se omnes liberatum iri pollicitus, qui sibi ipse salutem præstare non potest.

LVI. Is igitur congregatis ad se qui ubique gentium de populo existent increduli, illorum rogatu ac suasione veniet, ut sanctos, eorum inimicos ac adversarios, ulciscatur, quemadmodum ait Apostolus et Evangelista : « Judex erat in civitate, qui Deum non timebat, nec hominem reverebatur. » Vidua autem quædam erat in illa civitate quæ interpellabat » eum, dicens : Vindica me de adversario meo. At ille nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se : Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor, tamen quia » molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam[2]. »

LVII. Judicem iniquitatis, qui nec Deum timeat, neque hominem revereatur, citra ullam dubitationem Antichristum vocat, ut qui filius diaboli sit et vas Satanæ. Regnum enim adeptus, adversus Deum efferri incipiet, qui nec vere Deum timeat, neque Filium Dei, omnium vere judicem, re-

[1] Jer. XVII, 11. — [2] Luc. XVIII, 2.

vereatur. Dicendo autem esse viduam in civitate, ipsam Jerusalem designat, quæ plane vidua est, a perfecto ac cœlesti sponso Deo derelicta. Hæc illum vindicem suum ac servatorem vocat, non intelligens quod dictum est a Jeremia propheta : « Pro eo quod non crediderunt veritati, tunc loquetur populo huic et Jerusalem spiritus erroris[1]. » Sed et Esaias similiter : « Eo quod noluerit populus iste bibere » aquam Siloë, quæ vadit cum silentio, sed vult habere Rasim et filium Romeliæ regem super vos : propterea ecce » Dominus adducet super vos aquam fluminis, fortem et multam, regem Assyriorum[2]. » Regis symbolo *Antichristum* significat, quemadmodum etiam alius Propheta dicit : « Et » erit hæc a me pax, quando Assyrius supervenerit in terram » vestram, et quando ascenderit super montes vestros[3]. »

LVIII. Quin et Moyses similiter, cum præsciret fore ut populus verum mundi Salvatorem repelleret ac abjiceret, errori vero consentiret, terrenum diligens regem, ac cœlestem spernens : « Nonne hæc, *inquit*, condita sunt apud me, » et signata in thesauris meis ? In die ultionis retribuam, et in » tempore cum labetur pes eorum[4]. » Per omnia itaque lapsi sunt et erraverunt, qui in nullo veritati concordes exstiterunt : nec Legi, quod eam transgressi sunt ; nec in Prophetis, quod Prophetas quoque occiderunt ; nec in Evangeliorum voce, quod et Salvatorem ipsum crucifixerunt ; nec Apostolis credentes, quod et illos persecuti sunt : ubique veritati insidias nectentes ejusque proditores, Dei magis odio ducti quam ejus ullo amore devoti, qui et ipsi tunc ubi erunt nacti occasionem, mortalem hominem sui ultorem fore rogabunt, adversus Dei servos animis incitati. Quibus ille fastu tumens, libellos in omnes partes adversus sanctos destinare incipiet, ut qui eum colere et quasi Deum venerari noluerint, omnes ubique interficiantur; quemadmodum ait Esaias:

[1] Jerem. IV, 11. — [2] Isai. VIII, 6. — [3] Mich. V, 5. — [4] Deut. XXXII, 34.

« Væ terræ navium alæ, trans flumina Æthiopiæ. Qui mittit » in mare obsides, et epistolas biblinas super aquam. Ibunt » enim nuntii leves ad gentem erectam suspensique animi, » et peregrinum populum sævumque in eos; gentem inspe» ratam et conculcatam [1]. »

LIX. Verum nos, qui in Filium Dei speramus, ab infidelibus, a quibus conculcamur, persecutionem patimur. Alæ enim navium, Ecclesiæ sunt : mare vero, mundus, in quo Ecclesia, velut pelagi salo, fluctibus jactatur, nec tamen naufragio perit; quippe cum solertem gubernatorem Christum secum habeat. Fert vero etiam in medio erectum adversus mortem tropæum, quæ videlicet crucem Domini secum portet. Est enim ejus prora Oriens; puppis vero, Occidens : cavitas mediaque capacitas, Meridies; clavi; duo Testamenta; circumextenti funes, Christi charitas quæ Ecclesiam astringit. Linum quod secum fert, lavacrum est regenerationis quæ fideles renovat, unde sunt illa præclara. Venti loco adest Spiritus ille e cœlis, quo fideles consignantur Deo. Habet pariter illi comites et ferreas anchoras, sancta nimirum Christi mandata, quæ ferri robur ipsum præferant. Quin et nautas a dextris atque sinistris habet, sanctorum Angelorum more assistentes, quorum ope continetur atque munitur Ecclesia. In ea, scala quæ in altum ad antennam subvehit, imago est salutaris Christi passionis, fideles trahens ut in cœlos conscendant. Signa super antennam in altum sublata, Prophetarum, Martyrum et Apostolorum in Christi regno quiescentium stipatus ordo.

LX. De persecutionis vero ærumna, quam adversarius Ecclesiæ inducet, etiam Joannes loquitur : « Et vidi signum » magnum et mirabile, mulierem amictam sole, et luna sub » pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duode» cim. Et in utero habens clamat parturiens, et cruciabatur

[1] Isai. XVIII, 1.

[illegible] quae erat pari- [illegible] devoraret : et peperit [illegible] gentes. Et rap- [illegible] ejus. Et mulier fugit [illegible] a Deo, ut ibi [illegible] [1]. Et tunc vi- [illegible] peperit mascu- [illegible] magnae, ut vo- [illegible] et tempora, et [illegible] Et misit serpens ex [illegible] flumen, ut eam fa- [illegible] et aperuit [illegible] serpens ex ore [illegible] et abiit ut faceret [illegible] qui custodiunt man- [illegible] Jesu [2]. »

[illegible] Ecclesiam si- [illegible] quod sole micantis [illegible] ejus, coelesti [illegible] Quod autem ait, [illegible] duodecim [illegible] est Ecclesia. « Et [illegible] ut pariat ; » [illegible] Verbum gignere, quod [illegible] patitur. « Et peperit [illegible] qui erat recturus omnes gen- [illegible] Christum, Dei masculum [illegible] et homo praedicetur, sem- [illegible] gentes. Porro dicendo, « Raptus est [illegible] et ad thronum ejus, » coelestem re- [illegible] significat, qui ex illa semper nasci- [illegible] pronuntiavit, dicens : « Dixit Dominus

[illegible]

» Domino meo, Sede a dextris meis : donec ponam inimicos » tuos, scabellum pedum tuorum[1]. » « Et vidit, *inquit*, dra- » co, et persecutus est mulierem quæ pepererat masculum. » Et datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in » desertum, ubi alitur per tempus et tempora et dimidium » temporis, a facie serpentis. » Hi sunt dies mille ducenti sexaginta (dimidium scilicet hebdomadæ) quibus Tyrannus rerum potietur[2], persequens Ecclesiam fugientem de civitate in civitatem, et in solitudine in montibus latitantem, nullo alio tutam præsidio, quam duarum alarum aquilæ magnæ; fidei scilicet Jesu Christi, qui extensis in cruce sanctis manibus suis, duas extendit alas, dexteram atque sinistram, vocans ad se omnes fideles, ac velut gallina eos protegens. Nam et ait per Malachiam : « Vobis qui timetis » nomen meum, orietur Sol justitiæ; et sanitas in pennis » ejus[3]. »

LXII. Ait vero etiam Dominus : « Cum videritis abomi- » nationem desolationis stantem in loco sancto, qui legit, » intelligat. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes : et » qui in tecto, non descendat tollere vestem suam : et qui » in agro, non revertatur ut tollat aliquid de domo sua. Væ » autem prægnantibus et lactantibus in diebus illis ! Erit » enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio » mundi. Et nisi breviati fuissent dies illi, non salva fieret » omnis caro[4]. » Daniel autem ait : « Et dabunt abominatio- » nem desolationis dies mille ducentos nonaginta. Beatus qui » expectavit, et pervenit ad dies mille ducentos nonaginta » quinque[5]. »

LXIII. Beatus item Paulus Apostolus scribens ad Thessalonicenses, ait : « Rogamus autem vos, Fratres, per ad- » ventum Domini nostri Jesu Christi, et nostri aggrega-

[1] Ps. cix, 1. — [2] Apoc. xi, 3. Dan. ix, 27. — [3] Malach. iv, 2. — [4] Matth. xxiv, 15. Marc. xiii, 14. Luc. xxi, 20. — [5] Dan. xii, 11, et xiii, 21.

» dete paratum vobis regnum a constitutione mundi[1]. » Ad improbos vero quid dicit? « Ite, maledicti, in ignem æter-» num, qui paratus est diabolo et angelis ejus : » quem paravit Pater meus. Joannes vero dicit : « Foris canes et ve-» nefici, et scortatores et homicidæ, et idolis servientes, et » omnis qui facit et amat mendacium[2], » quia pars vestra est in gehenna ignis. Similiter autem et Esaias ait : « Et egre-» dientur, et videbunt cadavera, ut eorum qui prævaricati » sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum » non extinguetur, et erunt in visionem omni carni[3]. »

LXVI. Paulus autem Apostolus de resurrectione justorum ad Thessalonicenses scribens, ait : « Nolumus vos igno-» rare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæ-» teri, qui spem non habent. Si enim credimus quod Jesus » mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt » per Jesum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in » verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus, in » adventum Domini non præveniemus eos qui dormierunt. » Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce et tuba Dei » descendet de cœlo, et mortui in Christo resurgent pri-» mum. Deinde nos qui vivimus, qui residui sumus, simul » cum eis rapiemur in occursum Domini in aëra ; et sic sem-» per cum Domino erimus[4]. »

LXVII. Hæc tibi paucis exposui, o Theophile, ex divinis Scripturis hausta, ut servando fide quæ scripta sunt, prospiciensque futura, inoffensum te Deo ac hominibus serves, expectans beatam spem, et illustrationem Dei et Salvatoris nostri[5], in qua suscitatis sanctis nostris, cum eis lætabitur glorificans Patrem. Ipsi gloria in sempiterna secula sæculorum. Amen.

[1] Matth. xxv, 34. — [2] Apoc. xxv, 15, et xxi, 8. — [3] Is. lxvi, 24. — [4] 1 Thes. iv, 12. — [5] Tit. ii, 13.

SANCTI HIPPOLYTI

DEMONSTRATIO

ADVERSUS JUDÆOS.

(EX VERSIONE FRANCISCI TURRIANI.)

Inclina aurem tuam, Judæe, et audi verba mea, et attende. Sæpe gloriaris tu quod Jesum Nazarenum mortis condemnasti, et quod acetum et fel ei ad bibendum porrexisti; et hoc gloriosum putas. Accede igitur, et consideremus communiter, utrumne injuste gloriaris, o Israël, et illud parum aceti et fellis has horribiles minas tibi intulit; utrumne propter illud in istis infinitis calamitatibus es. Procedat igitur in medium, qui per Spiritum sanctum loquitur, et verax est, David filius Jesse. Hic, cum quædam prophetice de vero Christo caneret, et Deum nostrum per Spiritum sanctum canendo celebraret, omnia quæ a Judæis in passione ejus facta sunt clare denuntiavit, ubi Christus, qui se humiliavit et formam servi Adam induit, tanquam ex persona nostra, invocat Deum patrem, qui in cœlis est, et ait Psal. 68 : « Quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam : in limo profundi [1], » id est, in corruptionem inferni propter obedientiam in paradiso abjectam; « et non » est substantia, » id est, auxilium. « Defecerunt oculi mei, » dum spero in Deo meo, quando veniet, et salvum me fa-

[1] Psal. LXIX, 1.

» ciet : » et quæ sequuntur. Postea dicit tanquam ex persona sua Christus : « Quæ non rapui, tunc solvebam, » id est; qui non peccavi, pro peccato Adæ sustinui mortem. « Quoniam » tu Deus scis insipientiam meam, et delicta mea a te non » sunt abscondita; » id est : non enim, inquit, deliqui, quamobrem « non erubescant qui expectant videre » meam post triduum resurrectionem, id est Apostoli; « quoniam propter te, *ut tibi obedirem,* sustinui opprobrium, » id est, crucem, quando Judæi « operuerunt confusione faciem » meam; quando alienus factus sum fratribus meis secun- » dum carnem, et peregrinus filiis matris meæ, » *id est, Synagogæ* : « Quoniam zelus domus tuæ comedit me, et im- » properia improperantium tibi » et sacrificantium idolis ce- « ciderunt super me, quamobrem contra me loquebantur » qui sedebant in portis; » extra portam enim crucifixerunt eum; « et in me psalmebant qui bibebant vinum, » id est, in festo Paschæ. Ego vero « oratione mea ad te, Domine, » *dicebam,* Pater remitte ipsis gentibus, » quoniam tempus beneplaciti gentium : « ne igitur demergat me tempestas » *tentationum,* nec absorbeat me profundum [1], » id est, infernus; « non enim relinques animam meam in inferno, nec » urgeat super me puteus os suum [2], » id est, sepulcrum. Propter inimicos meos eripe me, ne glorientur Judæi dicentes, Absorbeamus eum. Hæc omnia Christus œconomice tanquam homo precabatur, qui erat verus Deus. Sed ut antea dixi, *forma servi erat* [3], quæ hæc loquebatur et patiebatur. Quamobrem subjunxit : « Improperium expectavit » anima mea, et miseriam [4]; » id est : non invitus passus sum, neque per vim : « Expectavi *tamen,* qui simul contristare- » tur, et non fuit. » Domino enim derelicto, omnes discipuli fugerunt : *Et expectavi qui consolaretur, et non inveni.* Audi, et adverti, Judæe, quid dicat Christus : « Dederunt in

[1] Psal. XVI, 10. — [2] Psal. LXIX, 15. — [3] Philip. II, 7. — [4] Psal. LXIX, 20.

» cibum meum fel, et in siti mea potaverunt me aceto. » Et hæc passus est a vobis. Audi Spiritum sanctum dicentem, Quid retribuet vobis pro illo modico aceto? ait enim Propheta tanquam ex persona Dei : « Fiat mensa eorum in laqueum, et in retributionem[1]. » Quam retributionem dicit? manifestum est, eam miseriam dicere in qua nunc sunt Judæi. Audi deinde quæ sequuntur : « Obscurentur oculi » eorum, ne videant. » Atqui obscurati sunt vobis oculi animæ obscuratione tenebrosa, et æterna ; siquidem, orto vero lumine, vos tanquam in nocte erratis, in invia vos impingentes ac præcipitantes, quia viam illam reliquistis quæ aiebat, *Ego sum via* [2]. Præterea, audi quod gravius et periculosius est, ait enim : *Dorsa eorum semper incurva*, id est, ut serviant gentibus, non quadringentis triginta annis, ut Babylone, sed semper, inquit, in servitutem incurva. Quid jam deinceps frustra et vane liberationem hujus miseriæ speras? Quod enim magis mirandum est, cæcitatem oculorum tuorum non injuste imprecatus est, quia tu oculos ejus velasti cum eum alapis cædebas [3] ; et idcirco dorsa eorum semper in servitutem incurva [3] : et quia sanguinem ejus cum ira effudisti, audi remunerationem : « Effunde, *inquit*, super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos, et fiat commoratio eorum deserta [4], » templum scilicet illud celeberrimum. Sed quare, o Propheta? edissere nobis cur templum devastatum est : an propter illam olim vituli fabricationem, an propter populi idololatriam? an propter sanguinem Prophetarum? an propter adulteria et fornicationes Israël? Minime, inquit ; in omnibus enim illis semper veniam et indulgentiam ferebant : sed quia Filium Auctoris beneficiorum interfecerunt ; ipse enim est coæternus Patri. Unde ait : « Sit, Pater, templum eorum devasta-

[1] Psal. LXIX, 22. — [2] Joan. XIV, 6. — [3] Marc. XIV, 65. — [4] Psal. LXIX, 25. Act. I, 20.

» tum[1] : » quoniam quem tu propter salutem mundi volens percussisti, *ipsi persecuti sunt*[2]; id est, ipsi me violenta et injusta morte persecuti sunt. Hoc enim significat : « et super » dolorem vulnerum meorum addiderunt. » Prius habuit dolorem tanquam amator hominum propter errorem gentium sed huic dolori alium suo errore adjunxerunt; idcirco, Pater, « appone iniquitatem super iniquitatem eorum, et » afflictionem super afflictionem; et non intrent in justitiam » tuam, » id est, in regnum tuum; sed « deleantur de libro » viventium, et cum justis non scribantur, » id est, cum sanctis Patriarchis suis. Quid ad hæc dicis, Judæe? *non hæc* dicit Matthæus, neque Paulus, sed David, christus tuus, qui contra te decernit, qui propter Christum pertimescendam sententiam retribuit, et pronuntiat, et tanquam ille magnus Job : Ερῶ πρὸς ὑμᾶς τῷ δικαίῳ, καὶ ἀψευδεῖ λέγοντας[3] : emisti Christum tanquam servum, venisti ad eum tanquam ad latronem in hortum. Producam in medium prophetiam Salomonis de Christo, quæ aperte et perspicue quæ ad Judæos spectant edisserit, non solum quæ hoc tempore evenisse eis cernimus, sed quæ in futuro evenient propter contumaciam, et id quo ausus es in Christum principem vitæ; ait enim Propheta : « Non recte cogitaverunt impii, » *de Christo* dicentes : circumveniamus justum, quoniam » inutilis est nobis, et contrarius est operibus et sermoni- » bus nostris, et improperat nobis peccata legis, et promit- » tit se scientiam Dei habere, et Filium Dei se nominat[4]. » Postea dicit : « Gravis est nobis etiam ad vivendum, quoniam » dissimilis est aliis vita illius : et immutatæ sunt viæ ejus, » tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet se a » viis nostris tanquam ab immunditiis, et præfert novissima » justorum[5]. » Et rursus audi, Judæe : nemo ex justis vel

[1] Matth. XXIII, 38. — [2] Psal. LXIX, 26. — [3] Job XVI et XXI. — [4] Sap. II, 1, 12 et seqq. — [5] Ibid. 15.

Prophetis vocavit se filium Dei. Ait igitur iterum Salomon in persona Judæorum de hoc justo, qui est Christus: « Factus est nobis in traductionem cogitationum nostra» rum, gloriatur Patrem se habere Deum. Videamus ergo » si sermones illius veri sint, et tentemus quæ erunt novis» sima illius : si enim est justus Dei filius, suscipiet illum, » liberabit illum de manibus contrariorum. Morte turpis» sima condemnemus eum, erit enim respectus ejus ex ser» monibus illius. » Et rursus David in Psalmis ait de futuro sæculo : « Tunc loquetur ad eos Christus in ira sua; et in » furore suo conturbabit eos[1]. » Et iterum Salomon de Christo, et Judæis, quod quando stabit Justus in magna constantia ante faciem eorum qui eum afflixerunt et sermones ejus repudiarunt : « Videntes, *inquit*, turbabuntur » timore horribili; et mirabuntur in subitatione insperatæ » salutis, et dicent intra se pœnitentiam agentes, et præ » angustia spiritus gementes : Hic est quem habuimus ali» quando in derisum, et in similitudinem improperii : nos » insensati vitam illius existimabamus insaniam, et in finem » illius sine honore. Quomodo computatus est in filiis Dei, » et in sanctis sors illius est? Ergo erravimus a via verita» tis, et justitiæ lumen non luxit, et sol non ortus est nobis. » Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis : ambula» vimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. » Quid nobis profuit superbia nostra? transierunt omnia » illa tanquam umbra[2]...... »

Desunt quædam.

[1] Psal. II, 5. — [2] Sap. v, 3.

SANCTI HIPPOLYTI

FRAGMENTA

CONTRA BERONEM ET HELICEN.

(ANASTASIO PRESBYTERO INTERPRETE.)

Sancti Hippolyti Episcopi, Portus Romani et martyris veritatis, ex Sermone qui est per elementum de Theologia et Incarnatione contra Beronem et Helicen hæreticos, cujus initium est: ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, *Dominus Sabaoth, incessanti voce clamantes, Seraphim Deum glorificant.*

Immensæ quippe virtutis voluntate Dei et facta sunt omnia, et salvantur quæ facta sunt, secundum suas ipsorum opportune singula conservata rationes, ei qui est secundum naturam immensæ virtutis Deus et factor universorum, divina voluntate, quæ omnia fecit ac movet, suis unaquæque naturalibus producta legibus, immobili permanente. Quod enim immensum est, nulla ratione vel modo recipit motum, non habens quo et circa quod moveatur. Vertibilitas enim ejus qui est inexpers motionis, motus est. Propter quod secundum nos veraciter factum homo absque peccato Dei Verbum, operatumque ac patiens humanitus quæcumque naturæ sunt sine peccato, et naturalis carnis circumscriptionem propter nos sustinens, nullam omnino propter exinanitionem vicissitudinem pertulit, cui idipsum est patri factum, id ipsum carni. Sed sicut erat sine carne, omni etiam excepta circumscriptione permansit, et per carnem

deifice operans quæ Deitatis sunt, utraque ostendens se per quæ dupliciter, divine scilicet et humane, operatum est secundum eamdem, quæ veraciter vera est et naturalis substantia : Deum immensum simul et circumscriptum hominem existentem et intellectum, utriusque perfecte perfectionem habentem, cum eadem operatione, id est naturali proprietate, ex quibus manentem semper secundum naturam sine convertibilitate earum differentiam scimus; sed non, sicut quidam aiunt, secundum comparationem, ne eumdem sibi secundum ipsum præter quod oportet, majorem ac minorem dicamus. Connaturalium quippe, et non eorum quæ alterius sunt naturæ, comparationes existunt. Deo enim factori omnium factorum, infinitoque finitivum, et infinitati finis secundum nullam comparatur rationem, cum semper et per omnia naturaliter ab invicem, sed non comparative differant. Quanquam ineffabilis quædam et indirumpibilis in unam substantiam utriusque facta sit unitas, omnem penitus omnis facti scientiam fugiens. Divinitas enim, ut erat ante incarnationem, est et post incarnationem, secundum naturam infinita, incomprehensibilis, impassibilis, inconvertibilis, per se potens et, ut totum dicamus, subsistens substantialis, sola infinitæ virtutis bonum.

Ejusdem, ex eodem Sermone. II.

Factus ergo veraciter secundum Scripturas, non conversus universorum Deus homo sine peccato, ut novit ipse solus, cum sit artifex naturalis eorum quæ sunt supra sensum, in ipsa simul salutari incarnatione deitatis suæ coaptans carni operationem, non circumscriptam ea propter evacuationem, nec sicut ex deitate sua, ita et ex ipsa naturaliter cognitam, sed in quibuscumque incarnatus deifice operatus est, per ipsam declaratam. Non enim caro facta est per naturam deitas translata natura, facta videlicet secundum na-

turam deitatis caro; sed quod erat etiam deitati coaptata mansit, id est caro infirma et passibilis natura et operatione, quemadmodum Salvator ait : « Spiritus quidem promptus; caro autem infirma [1]. » In qua operatus et passus quæ erant carnis absque peccato exinanitionem pro nobis indicavit, divinitatis miraculis, et carnis passionibus naturaliter roboratam. Propter hoc enim factus est homo universorum Deus, ut carne quidem passibili patiens, totum nostrum morti venditum redimeret genus; impassibili vero deitate per carnem mirabiliter operans, ad immortalem illud et beatam reduceret vitam, de qua ciciderat diabolo parens; atque sanctos intellectualium substantiarum cœli ordines ad inconvertibilitatem mysterio suæ stabiliret incorporationis. Cujus opus omnium in eum recapitulatio est [2]. Mansit ergo etiam incarnatus secundum naturam Deus superimmensus, sibi cognatam et convenientem habens operationem, ex deitate quidem substantialiter natam, per sanctissimam vero carnem in miraculis dispensatoria declaratam : ut credatur Deus esse, per infirmam natura carnem per se operans universitatis salutem.

Ejusdem, ex eodem Sermone. III.

Etenim et mihi, ut paradigmate quod de Salvatore dictum est exprimam, naturalis sermo meus cognatus est et competens, cum sim rationalis et intellectualis anima, cujus secundum naturam est a se mobilis operatio ac prima virtus, semper mobilis sermo naturaliter ex ea profluens: quem verbis prolatum, et lineis exaratum, lingua quidem organice cum oportet produco, et litteris artificiose per in dissimilia non existentem, dissimilibus non fugientem ostendens eum subauditum. Non enim linguæ ac litterarum naturalis sermo meus est; licet per eas ipsius faciamus pro-

[1] Matth. XXVI, 42. — [2] Ephes. I, 10.

nuntiationem : sed meus, qui secundum naturam loquor, et per utrasque illum ut meum pronuntio, ab intellectuali quidem anima mea semper naturaliter derivatum, per corporalem vero linguam meam organice, ut dixi, cum oportet productum. Sicut ergo in nobis, quantum æstimare possumus quod modis omnibus est inæstimabile, per corporalem linguam nostram inconvertibiliter, quæ secundum naturam est, animæ rationabilis producitur virtus : ita et in gloriosa Dei Incarnatione, per sanctissimam carnem suam in quibuscumque divine operaretur, sine convertibilitate omnipotentiva et cunctorum factiva, totius deitatis operatio monstrabatur, absque omni secundum naturam circumscriptione permanens, licet per carnem fulgeret natura circumfinita. Non enim circumscribitur factitia natura quod secundum naturam factum non est, licet cooriatur ei per conceptionem omnem sensum circumscribentem : nec etiam in eodem ipso sibi natura differtur aliquando et naturalis operatio, donec utrumque intra propriam manet naturalem inconvertibilitatem. Connaturalium enim tantum per se operans est motus, manifestans substantiam, cujus naturalem constat esse virtutem : diversæ naturæ proprietatis substantia nulla ratione esse vel fieri sine convertibilitate valente.

Ejusdem, ex eodem Sermone. IV.

Mysterium namque divinæ Incarnationis Apostolis et Prophetis atque doctoribus duplam ac diversam in omnibus habere naturalem theoriam dignoscitur, cum sit perfectæ deitatis et plenæ demonstrativum humanitatis. Quarum donec unum secundum substantiam non cognitum fuerit verbum unius operationis, cum utriusque sit, nunquam aliquando cognoscetur motus. Cum enim semper secundum naturam existat Deus, superinfinita virtute factus, sicut vo-

luit, homo sine peccato, quod erat, est cum quantis cognoscitur Deus; et quod factus est, est cum quantis esse cognoscitur homo : secundum utrumque suum semper permanens sine casu, quibus divine pariter et humane operatus est : perfectionem per omnem utriusque rationem sibi naturaliter incommutabilem salvans.

Ejusdem, ex eodem Sermone. V.

Bero enim quidam nuper, et alii quidam, Valentini phantasia deserta, deteriori irretiti sunt pravitati, dicentes assumptam a Verbo carnem fuisse eadem quæ divinitas operata est operatam; divinitatem vero compassibilem carni propter exinanitionem : convertibilitatem simul et commixtionem, seu confusionem, atque utriusque in invicem mutationem dogmatizantes. Si enim assumpta caro facta est cooperatrix divinitati, liquet quod et natura Deus cum quotquot est intelligatur Deus : et si facta est exinanita compassibilis carni divinitas, liquet quod et natura caro cum quotquot est naturaliter esse intelligatur caro. Ea quippe quæ mutuo sunt cooperantia, et eadem operantia, et ejusdem originis, profecto et compassibilia naturæ non suscipientia differentiam : et naturis sibi confusis erit dualitas Christus, et personis separatis fiet quaternitas; quod est nimium fugiendum. Et quomodo illis unus et idem ipse erit Deus natura simul et homo Christus? quam etiam secundum ipsos habebit essentiam mutatione divinitatis factus homo, et carnis translatione Deus? Casus enim in alterutras, omnimoda est utrarumque peremptio. Inspiciatur itaque a nobis aliter sermo.

Ejusdem, ex eodem Sermone VI.

Pium Christianis constitutum est dogma credentibus, secundum eamdem naturam ac operationem, et omne aliud

sibi conveniens, æqualem sibi et eumdem ipsum esse Deum, nihil omnino eorum quæ sua sunt inæquale habentem et inconveniens. Si igitur secundum Beronem assumpta sibi caro ejusdem operationis effecta est, haud dubium quin et ejusdem facta est sibi naturæ, cum quotquot est natura, id est, inprincipalitate, infactione, infinitate, sempiternitate, incomprehensibilitate, et quæcumque horum secundum magnitudinem theologica amplissime in deitate ratio contemplatur, et vicissitudinem utraque passa sunt neutro naturæ suæ substantialem rationem ultra salvandam habente. Qui enim eorum quæ alterius sunt naturæ sentit eamdem operationem, confusionem simul naturalem, et divisionem eorum personalem introducit : incognita prorsus idiomatum commutatione naturali eorum facta existentia.

Ejusdem, ex eodem Sermone. VII.

Si vero ejusdem sibi non fuit naturæ, nec ejusdem sibi aliquando fiet naturalis operationis, ne appareat secundum naturam operationem inæqualem habere et inconvenientem, et suæ ipsius per omnia eorum quæ sua sunt naturalis extraneus factus æqualitatis et identitatis, quod est penitus impium.

Ejusdem, ex eodem Sermone. VIII.

In hunc autem errorem illati sunt male credentes propriam carnis effectam divinam operationem, quæ per ipsam in miraculis manifestata est, qua totum Christus substantians secundum quod intelligitur Deus, tenet retentum. Non enim cognoverunt, impossibile esse divinæ operationem naturæ, alterius naturæ substantiæ idioma fieri absque convertibilitate. Neque intellexerunt, quod non utique proprium sit carnis quod per eam quidem ostensum est, non ex ea naturaliter ortum, præsertim cum claræ sit eis et manifestæ probationis. Ego enim lingua loquens et manu scri-

bens, unam et eamdem per utramque intellectualis animæ meæ profero cogitationem. Operationem ejus existentem naturalem nulla ratione ostendens eam lingua vel manu naturaliter ortam, sed nec effectam earum vel dictam cogitationem propter ejus ex utraque manifestationem. Linguam enim vel manum cogitativam sapienter novit nemo: sicut nec sanctissimam Dei carnem, pro eo quod assumpta sit, et per eam divina sit operatio clara effecta, secundum naturam conditricem. Sed pie confitetur credens, quia propter salutem nostram, et ut ad inconversibilitatem ligaret universitatem, universorum Conditor ex sanctissima semper virgine Maria per conceptionem inviolabilem sine conversibilitate substantians sibimet animam intellectualem cum sensitivo corpore, natura factus est homo malitia alienus : totus Deus ipse, totus homo idem ipse, totus Deus pariter natura et homo idem ipse : deitate quidem divina per suam ipsius sanctissimam carnem non existentia natura carnis operans, humanitate vero humana non existentia natura deitatis. Nil divinum nudum corpore operatur, nil humanum idem ipse privatum divinitate gerens, servans sibimet modum secundum utrumque immutabilem, per quem operatus est utraque decenti more, ad approbationem perfectæ ac veræ, nihilque habentis pravitatis inhumanationis suæ. Itaque Bero quidem sic se habens, ut dixi, operationis monade deitatem Christi et humanitatem naturaliter simul confundens, et partiens personaliter, dissolvit vitam : ignorans solius contra naturalium personarum connaturalis identitatis eamdem ipsam operationem esse significativam.

SANCTI HIPPOLYTI

FRAGMENTUM

CONTRA HÆRESIM NOËTI.

(FRANCISCO TURRIANO INTERPRETE.)

I. Alii quidam aliam doctrinam introducunt, facti discipuli cujusdam Noëti, qui genere quidem Smyrnæus fuit non multo ante. Hic inflatus in elationem provectus est, alieni spiritus existimatione elatus. Dixit hic Christum esse eumdem Patrem, ipsumque Patrem genitum esse et passum. Videte quanta elatio cordis et inflatio spiritus alieni in eum subiit. Jam igitur ex aliis actibus deprehensum est quod non loquebatur spiritu mundo. Qui enim in Spiritum sanctum blasphemus est, ex divina sorte ejectus est. Aiebat hic se esse Moysen, et fratrem suum esse Aaron. Hæc cum beati presbyteri audirent, accersitum coram Ecclesia examinaverunt. Ille vero negabat principio sic se sentire. Postea vero in quibusdam delitescens, et collectis aliis qui in eodem errore erant, volebat aperte dogma suum defendere. Quem rursus accersitum presbyteri redarguerunt. Ille vero resistebat, inquiens : Quid igitur mali facio si Christum honoro? Huic presbyteri responderunt : Et nos unum Deum vere scimus; scimus Christum, scimus Filium passum, sicut passus est; mortuum, sicut mortuus est; et suscitatum tertia die, et sedentem ad dexteram Patris, ven-

turumque ad judicandum vivos et mortuos. Atque hæc dicimus quæ didicimus. Tunc istum convictum ejecerunt ex Ecclesia, qui eo inflationis venit ut docere institueret.

II. Volunt autem dogma suum constituere et confirmare, quia est in Lege : « Ego sum Deus patrum tuorum. Non » erunt vobis alii dii præter me [1] ; » et rursus in alio loco : « Ego sum primus, et ego novissimus ; et post me non est » alius [2]. » Sic aiunt se probare unum esse Deum : et respondent : Si Christum confitemur Deum, igitur ipse est Pater, si est Deus : passus vero est Christus Deus, passus igitur est Pater. Pater enim erat ipse. At non *sic est : non* enim sic Scripturæ exponunt. Utuntur præterea aliis testimoniis : sic enim aiunt scriptum esse : « Hic Deus noster ; » non reputabitur alius ad eum : adinvenit omnem viam » scientiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israël dilecto » suo : post hæc in terris visus est, et cum hominibus con- » versatus est [3]. » Vides igitur, inquit, quod hic est Deus qui solus est, et postea in terris visus, et cum hominibus conversatus ? Et in alio loco ait : « Laboravit Ægyptus, et mer- » catura Æthiopum, et Sabain ; viri celsi in te transibunt, » et tui servi erunt, et ibunt post te vincti vinculis *manuum*, » et in te adorabunt, quia in te est Deus ; et in te precabun- » tur, quia non est Deus præter te : tu enim es Deus, et » nescivimus ; Deus Israël Salvator [4]. » Vides, inquit, quomodo Scripturæ unum Deum prædicant ? Cum hoc aperte declaratum sit, cum hæc sic contestata sint, necesse est, uno per confessionem constituto, hunc passioni subjicere. Christus enim erat Deus et propter nos passus est cum esset Pater, ut posset salvos nos facere. Aliud enim (inquit) dicere non possumus : si quidem Apostolus unum Deum confitetur, cum ait : « Quorum patres, ex quibus Christus se-

[1] Exod. III, 6 ; XX, 3. — [2] Isai. XLIV, 6 ; XLV, 5. — [3] Baruch. III, 36. — [4] Isai. XLV, 14.

» cundum carnem, qui est Deus benedictus in sæcula [1]. »

III. Sic volunt ista recitare, et uti mutilatis, sicut fecit Theodotus, cum vellet probare Christum esse hominem nudum. Sed nec illi, nec isti quidquam intellexerunt; ut ipsæ Scripturæ inscitiam eorum redarguunt, quæ testimonium veritati tribuunt. Videte, fratres, quomodo præceps et audax dogma introduxerunt, cum impudenter aiunt : Ipse Christus est Pater, ipse Filius; ipse passus est, ipse se excitavit a mortuis. At non sic est : recte enim dicunt Scripturæ, sed alia Noëtus intelligit. At non quia Noëtus non intelligit, idcirco Scripturæ repudiandæ sunt. Quis enim non dicet unum Deum esse? non tamen continuo œconomiam, id est, Incarnationem, negabit. Primum igitur oportet confutare quidem hæc capita secundum sensum illorum; declarare vero ea secundum veritatem. Primum enim revera est exponere Patrem esse unum Deum, « ex quo omnis » paternitas [2], per quem omnia, et ex quo omnia, et nos in » ipso [3]. »

IV. Videamus, ut dixi confutationem, deinde veritatem exponemus. Ait enim : « Laboravit Ægyptus, et mercatura » Æthiopum, et Sabain [4], » et quæ sequuntur usque ad eum locum ubi dicit : « Tu es Deus Israël salvator. » Hæc recitat, non intelligens quod prius dictum est. Cum enim volunt malitiose ac dolo malo agere, circumcidunt Scripturas. Recitet autem integre, et reperiet causam propter quam hæc dicuntur. Paulo enim supra, principium capitis est, unde oportet incipere ad docendum cui et de quo dicit. Superius enim principium capitis sic habet : « Interrogate » me de filiis meis et de filiabus meis, et de operibus ma» num mearum mandate mihi. Ego feci terram, et homi» nem super eam : ego manu mea firmavi cœlum; ego man» davi astris, ego excitavi eum, et omnes viæ ejus rectæ.

[1] Rom. IX, 5. — [2] Ephes. III, 15. — [3] I Cor. VIII, 6. — [4] Isai. XLV, 14.

» Hic ædificabit civitatem meam, et captivitatem reducet » non cum pretio, neque cum bonis, dixit Dominus Sabaoth. » Sic dixit Dominus Sabaoth : Laboravit Ægyptus, et mer» catura Æthiopum, et Sabain; viri celsi in te transibunt, » et tibi erunt servi, et post te sequentur ligati vinculis ma» nuum, et in te adorabunt, et in te precabuntur; quoniam » in te est Deus, et non est Deus præter te : tu enim es » Deus, et nescivimus; Deus Israël salvator. In te igitur, » *inquit*, est Deus[1]. » In quo autem est Deus, nisi in Christo Jesu Verbo Patris, et mysterio œconomiæ, id est, Incarnationis? De quo rursus docens, carnem ejus *significat cum* ait : « Ego excitavi eum cum justitia, et omnes viæ ejus » rectæ. » Quid igitur? de quo testatur hoc loco Pater? de Filio dicit Pater : « Ego excitavi cum justitia. » Quod autem Pater suscitavit Filium in justitia, testatur Paulus Apostolus, cum ait : « Si autem Spiritus qui suscitavit Christum » a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Christum Je» sum a mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra » per inhabitantem Spiritum ejus in vobis[2]. » Ecce comprobavit quod dictum est per Prophetam : « Ego suscitavi » cum justitia. » Quod autem dixit : *In te est Deus;* ostendit mysterium œconomiæ, id est, Incarnationis, quod incarnato Verbo et facto homine Pater erat in Filio, et Filius in Patre, conversante Filio cum hominibus. Hoc igitur, fratres, significabatur, quod vere mysterium Incarnationis ex Spiritu sancto et ex Virgine erat hoc Verbum, quod operatum est Deo Filium unum. Hoc autem non ego dico, sed ipse testatur qui de cœlis descendit. Sic enim ait : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de » cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo[3]. » Quid igitur quærit iste præter hoc quod dictum est? Numquid dicturus est quod caro erat in cœlo? Est igitur caro, quæ

[1] Isai. XLV, 11 et seqq. — [2] Rom. VIII, 11. — [3] Joan. III, 13.

a Verbo Patris oblata est dono, caro inquam ex Spiritu sancto et Virgine ostensa, perfectus Filius Dei. Manifestum igitur est, quod se ipse obtulit Patri. Antea vero non erat in cœlo caro. Quis ergo erat in cœlo, nisi Verbum sine carne, quod missum est ut ostenderet se, qui in terra erat, esse etiam in cœlo? Verbum enim erat, spiritus erat, virtus erat. Unus commune nomen, et in usu apud homines sibi sumpsit, vocatus a principio Filius hominis, propter futurum, quamvis nondum esset homo, sicut Daniel testatur inquiens : « Vidi, et ecce in nubibus cœli venientem tan- » quam Filium hominis [1]. » Recte igitur dixit, eum qui in cœlo erat Verbum Dei, hoc nomine a principio vocari.

V. Sed quid mihi, inquit, dicit Scriptura in alio loco : « Hic est Deus, non reputabitur alius ad eum [2]? » Recte dixit. Quis enim reputabitur ad Patrem? Hic, inquit, Deus noster; non reputabitur alius ad eum : « Invenit omnem » viam scientiæ, et dedit illam Jacob puero suo, et Israël » dilecto suo [3]. » Bene dicit. Quis enim est Jacob puer ejus, et Israël dilectus ejus, nisi hic de quo clamat, inquiens : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene compla- » cui; ipsum audite [4]? » Qui omnem scientiam a Patre accepit, perfectus Israël, et verus Jacob. Post hæc in terra visus est, et cum hominibus conversatus est. Quis autem est Israël, nisi homo videns Deum? Videns autem Deum, nemo nisi solus Puer et perfectus Homo, et qui solus enarrat consilium Patris. Ait enim Joannes : « Deum nemo vidit un- » quam, nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris; ipse » enarravit [5]. » Et rursus : « Qui de cœlo descendit, quod » audivit et vidit testatur [6]. » Hic igitur est, cui omnem scientiam dedit Pater; qui in terra visus est, et cum hominibus conversatus est.

[1] Dan. VII, 13. — [2] Baruch, III, 36. — [3] Ibid. — [4] Matth. XVII, 5; III, 17. — [5] Joan. I, 18. — [6] Id. III, 11 et 13.

VI. Quod autem dicit Apostolus : « Quorum patres, ex » quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia » Deus benedictus in sæcula [1], » pulchre enarrat et dilucide mysterium veritatis. Hic qui est super omnia, Deus est (sic enim audet dicere : « Omnia mihi tradita sunt a » Patre [2]; » qui est super omnia Deus benedictus) ; genitus est, et factus homo, Deus est in sæcula. Sic enim Joannes ait : « Qui est, et qui erat, et qui venturus est, Deus om» nipotens [3]. » Recte vocavit omnipotentem Christum. Hoc enim dixit, quod quidem Christus testabitur. Tribuens enim testimonium, « Omnia, *inquit*, mihi tradita sunt a Patre [4]: » et omnium dominatum tenet; omnipotens a Patre constitutus est Christus. Imo et Paulus docens omnia ei data esse, sic dixit : « Primitiæ Christus, deinde, qui sunt Christi in » adventu ejus; postea finis, cum tradiderit regnum Deo et » Patri; cum evacuaverit omnem principatum, et omnem » potestatem et virtutem. Oportet enim ipsum regnare, do» nec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissime » autem inimica destruetur mors : omnia enim subjecit sub » pedibus ejus. Cum autem dicat : Omnia subjecta sunt ei; » sine dubio, præter eum qui subjecit ei omnia. Cum au» tem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjec» tus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in » omnibus [5]. » Si igitur omnia subjecta sunt ei præter eum qui ei subjecit omnia, omnium tenet dominatum; ipsius vero dominatum tenet Pater, ut in omnibus unus Deus reperiatur, cui omnia subjecta sunt simul cum Christo, cui omnia Pater subjecit præter seipsum. Hoc enim Christus dixit, sicut in Evangelio et patrem suum et Deum confessus est. Ait enim sic : « Vado ad patrem meum et patrem vestrum; » et Deum meum, et Deum vestrum [6]. » Si ergo Noëtus au-

[1] Rom. IX, 5. — [2] Matth. XI, 7. — [3] Apoc. I, 8. — [4] Matth. XI, 7. — [5] I Cor. XV, 23. — [6] Joan. XX, 17.

det dicere ipsum esse Patrem ; ad quem patrem dicet ire Christum secundum vocem Evangelii ? Sin vero vult ut, relicto Evangelio, amentiæ ejus credamus, frustra laborat : « oportet enim obedire magis Deo, quam hominibus[1]. »

VII. Si autem dicat : Ipse dixit : « Ego et pater unum » sumus[2] ; » advertat animum, et intelligat quod non dixit : *Ego et Pater unum sum*, sed *unum sumus*. Illud enim, *sumus*, non dicitur de uno ; sed sic dixit, quia duas personas demonstravit, unam autem potentiam, sive virtutem. Ipse hoc explicavit, cum dixit de discipulis ad Patrem : « Gloriam quam dedisti mihi, dedi eis ; ut sint unum, si» cut nos unum sumus. Ego in ipsis, et tu in me ; ut sint » perfecti in unum ; ut cognoscat mundus quod tu me mi» sisti[3]. » Quid ad hæc dicere possunt Noëtiani ? Numquid omnes unum corpus sunt secundum substantiam ? an vero potestate et affectione consensionis et concordiæ unum efficimur ? Ad eumdem modum Puer missus, et ab iis qui in mundo erant non cognitus confessus est se esse in Patre potestate[4], affectione consensionis : una enim mens Patris est Puer. Qui autem mentem Patris habemus, sic credimus : qui vero non habent, Filium negaverunt. Si autem velint dicere, quod Philippus de Patre interrogans : « Os» tende, *inquit*, nobis Patrem et sufficit nobis : » cui respondit Dominus inquiens : « Tanto tempore vobiscum sum, » Philippe, et non cognovisti me ? Qui vidit me, vidit et » Patrem. Non credis quia ego in Patre, et Pater in me » est[5] ? » Et volunt dicere quod his verbis eorum dogma confirmatur, ipso confitente se esse Patrem : sciant maximam repugnantiam in se ipsos inducere, Scriptura eos redarguente et convincente. Cum enim Christus in omnibus se Filium dixisset et demonstrasset, non tamen cognoverant

[1] Act. IV, 29 ; V, 29. — [2] Joan. X, 30. — [3] Id. XVII, 22. — [4] Id. I, 10.— [5] Id. XIV, 8.

eum, neque virtutem ejus intelligere aut intueri potuerant. Et hoc Philippus cum capere non posset, quoad videre licebat, volebat videre Patrem : cui Dominus dixit : « Philippe, tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti » me? qui vidit me, vidit Patrem : » id est, Si me vidisti, per me potes Patrem cognoscere. Per imaginem enim quæ similis est, potest facile Pater cognosci. Sin vero imaginem, quæ est Filius, non cognovisti; quomodo vis Patrem videre? Quod autem hæc ita sint, quæ in ipso capite adjecta et subjecta sunt, explicant, quæ significant, Filium « propositum [1] missum esse a Patre [2] et ad Patrem ire [3]. »

VIII. Multa alia, imo omnia huic veritati astipulantur. Necesse ergo est ut, quamvis nolit, confiteatur Patrem Deum omnipotentem, et Christum Jesum Filium Dei, Deum factum hominem, cui omnia Pater subjecit præter se, et Spiritum sanctum, et hos esse vere tres. Quod si vult scire quomodo unus Deus demonstratur, sciat unam esse virtutem sive potentiam hujus : et quantum ad virtutem pertinet, unus est Deus; quantum vero ad Incarnationem pertinet, tertia est ostensio; ut paulo post docebimus, cum reddemus rationem de veritate. Hæc igitur, fratres, dicta nobis sunt, de quibus inter omnes convenit. Unus enim est Deus, cui credere oportet, sed ingenitus, impatibilis, immortalis, qui omnia facit quæ vult, sicut vult, et quando vult. Quid igitur ad hæc audebit dicere Noëtus, non intelligens veritatem? Quandoquidem igitur hactenus Noëtus confutatus est, veniamus ad demonstrationem veritatis; ut confirmemus veritatem, contra quam tot et tantæ hæreses ortæ sunt, quæ nihil dicere potuerunt.

IX. Unus Deus est, quem non aliunde, fratres, agnoscimus, quam ex sanctis Scripturis. Quemadmodum enim si quis vellet sapientiam hujus sæculi exercere, non aliter hoc

[1] Rom. III, 25. — [2] Joan. V, 30; VIII, 16, 18, etc. — [3] Id. XIII, 1; XIV, 12.

consequi poterit, nisi dogmata Philosophorum legat: sic quicumque volumus pietatem in Deum exercere, non aliunde discemus, quam ex Scripturis divinis. Quæcumque ergo sanctæ Scripturæ prædicant, sciamus; et quæcumque docent, cognoscamus: et sicut vult Pater credi, sic credamus; et sicut vult Filium glorificari, sic glorificemus; et sicut vult donari Spiritum sanctum, sic accipiamus: non secundum propriam voluntatem, neque secundum proprium sensum, neque vim inferentes in ea quæ ab eo data sunt; sed quomodo ipse per sanctas Scripturas docere voluit, sic intelligamus.

X. Deus solus cum esset, nihilque sibi coævum haberet, voluit mundum efficere, et mundum cogitans, ac volens, et dicens, effecit; continuoque extitit ei factus: sicut voluit perfecit. Satis igitur nobis est scire solum, nihil esse Deo coævum. Nihil erat præter ipsum; ipse solus multus erat. Nec enim erat sine ratione, sine sapientia, sine potentia, sine consilio. Omnia erant in eo, ipse erat omnia. Quando voluit, et quomodo voluit, ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis; per quem omnia fecit. Qui cum vult, facit; quando cogitat, perficit; quando loquitur, ostendit; quando format, sapientiam edit. Omnia enim quæ facta sunt, ratione quidem creat, sapientia vero ornat. Fecit igitur sicut voluit: Deus enim erat. Eorum autem quæ facta sunt, ducem, consiliarium et operarium generabat Verbum: quod Verbum cum in se haberet, essetque mundo creato inaspectabile, fecit aspectabile, emittens priorem vocem, et lumen ex lumine generans, deprompsit ipsi creaturæ dominum, sensum suum: et qui prius ipsi tantum erat visibilis, mundo autem invisibilis, hunc visibilem fecit, ut mundus, cum eum qui apparuit videret, salvus fieri posset.

XI. Atque ita astitit ei alius. Cum alium dico, non duos Deos dico; sed tanquam lumen ex lumine, et aquam ex

fonte, aut radium a sole: una enim virtus ex toto: totum vero Pater, ex quo virtus Verbum: hoc vero mens, sive sensus, qui prodiens in mundum, ostensus est Puer Dei. Omnia igitur per eum facta sunt, ipse solus ex Patre genitus[1]. Quis ergo profert multitudinem deorum, quæ per curricula temporum appulsa fuit? Omnes enim eo redacti sunt inviti, ut dicant omnia ad unum recurrere, etiam secundum Valentinum, et Marcionem, et Cerinthum, et omnem illorum nugacitatem; et huc nolentes reciderunt, ut unam omnium causam confiteantur. Igitur veritati nolentes consentiunt, esse scilicet unum Deum, qui fecit omnia sicut voluit. Hic autem dedit Legem et Prophetas; et dando coegit hos per Spiritum sanctum loqui, ut accipientes virtutis paternæ inspirationem, consilium et voluntatem Patris nuntiarent.

XII. In his igitur Verbum versabatur, loquens de ipso. Jam enim ipse suus præco erat; ostendebatque futurum esse, ut Verbum in hominibus appareret. Idcirco sic clamabat: « Factus sum manifestus iis qui non quærebant » me; inventus sum ab iis qui non interrogabant me[2]. » Quis vero est qui factus est manifestus, nisi Verbum Patris? quod cum Pater misit, potestatem suam ostendit hominibus. Sic igitur factum est manifestum Verbum, sicut ait beatus Joannes: repetit enim summatim quæ a Prophetis dicta sunt, demonstrans hoc esse Verbum, per quod omnia facta sunt: sic enim ait: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per » ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil[3]. » Et infra ait: « Mundus per ipsum factus est, et mundus eum non » cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt[4]. » Si mundus, inquit, per ipsum factus est, sicut ait Propheta: « Verbo Domini cœli firmati sunt[5]; » igitur hoc est Verbum, quod factum est manifestum. Ergo Verbum incarna-

[1] Joan. I, 3. — [2] Isai. LXV, 1. — [3] Joan. I, 1. — [4] Ib. 10. — [5] Ps. XXXII, 6.

tum cernimus, Patrem per eum intelligimus, Filio credimus, Spiritum sanctum adoramus. Videamus igitur quæ scripta sunt, quod prædicabatur quidem Verbum futurum manifestum.

XIII. Hieremias etiam dicit : « Quis stetit in hypostasi Domini, et vidit Verbum ejus[1] ? » Verbum autem Dei solum est visibile, verbum vero hominis audibile. Quando dicit videre Verbum, necesse est mihi ut credam hunc visibilem missum esse. Missus autem non est alius, quam Verbum. Quod autem missum fuit, testatur Petrus, cum dixit Cornelio centurioni : « Misit Deus Verbum suum filiis Israël » per prædicationem Jesu Christi. Hic est Deus omnium » dominus[2]. » Si ergo verbum mittitur per Jesum Christum, voluntas Patris est Jesus Christus.

XIV. Hæc igitur, fratres, significant nobis Scripturæ. Hanc œconomiam, id est, Incarnationem tradit nobis Joannes in Evangelio, testimonio suo; et hoc Verbum confitetur Deum, sic inquiens : « In principio erat Verbum, et Verbum » erat apud Deum, et Deus erat Verbum[3]. » Si ergo Verbum erat apud Deum, et Deus erat, quid ergo? dicetne aliquis dicere Joannem duos Deos ? Duos quidem non dicam, sed unum; personas vero duas, œconomiam tertiam, gratiam dico sancti Spiritus. Pater quidem unus, personæ vero duæ, quia Filius; tertia autem Spiritus sanctus. Pater mandat, Verbum perficit, Filius autem ostenditur, per quem Pater creditur. Œconomia consensionis redigitur ad unum Deum : unus enim est Deus qui mandat, Pater; qui obedit, Filius; qui docet scientiam, Spiritus sanctus : Pater qui est *super omnia*, Filius *per omnia*, Spiritus sanctus *in omnibus*[4]. Aliter Deum unum intelligere non possumus, nisi vere Patri et Filio et Spiritui sancto credamus. Etenim Judæi Patrem glorificaverunt, sed non egerunt gratias; siquidem

[1] Jer. XXIII, 18. — [2] Act. X, 36. — [3] Joan. I, 1. — [4] Ephes. IV, 6.

non agnoverunt Filium [1] : discipuli agnoverunt Filium, sed non in Spiritu sancto; idcirco negaverunt. Sciens igitur Verbum Patris œconomiam et voluntatem Patris, quod non vult aliter Pater glorificari, nisi sic; cum resurrexisset, tradidit hoc discipulis : «Euntes, *inquit*, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti [2].» Docuit hic, quod quicumque unum quid horum omiserit, is perfecte Deum non glorificavit. Per hanc enim Trinitatem Pater glorificatur. Pater enim voluit, Filius fecit, Spiritus sanctus manifestum fecit. Omnes igitur Scripturæ de hoc prædicant.

XV. Sed dicet mihi aliquis : Novum Verbum mihi affers, cum Filium vocas. Joannes enim Verbum quidem dicit, sed aliter per allegoriam interpretatur. Imo non aliter per allegoriam interpretatur : sic enim ostendens hoc Verbum Dei quod ab initio erat, et nunc missum est, dixit postea in Apocalypsi : « Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat in eo fidelis et verax, et in justitia judicat et pugnat. Oculi ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa; habens nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine : et vocatum est nomen ejus, Verbum Dei [3]. » Videte igitur, fratres, quomodo vestis sanguine aspersa in symbolo significavit carnem, qua venit ad subeundam passionem impatibile Dei Verbum, sicut mihi Prophetæ testantur : sic enim ait beatus Michæas : « Domus Jacob irritavit Spiritum Domini : hæc sunt eorum studia : non boni sermones ejus, et recte cum ipsis ambulant : et ipsi suscitaverunt inimicitiam contra pacem ejus, gloriam ejus detraxerunt [4] : » id est, fecerunt eum pati in carne. Similiter beatus Paulus ait : « Quod enim impossibile erat legis, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens

[1] Luc. XVII, 16. — [2] Matth. XXVIII, 19. — [3] Apoc. XIX, 11. — [4] Mich. II, 7.

» in similitudine carnis peccati, damnavit peccatum in » carne, ut justificatio legis ostenderetur in nobis, qui non » secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum[1].» Qualem igitur Filium suum Deus per carnem misit, nisi Verbum, quod a principio scilicet Filium vocavit, quia futurum erat ut ortum caperet? et cum Filius vocatur, commune nomen amoris erga homines sumit. Nec enim Verbum per se et sine carne perfectus Filius erat, cum tamen esset perfectum Verbum, unigenitus. Neque caro per se sine Verbo subsistere poterat, quia in Verbo habebat τὴν σύςασιν, id est, in Verbo subsistebat. Sic ergo unus Filius Dei perfectus, manifestatus est.

XVI. Atque hæc quidem sunt de Incarnatione Verbi testimonia, et alia plurima. Videamus nunc quod propositum nobis est, quod vere, fratres, virtus Patris, quod est Verbum Dei, e cœlo descendit, et non ipse Pater; sic enim ait : *Ego ex Patre exivi, et venio*[2]. Quid est autem quod ex Patre exivit, nisi Verbum? quid est quod ex ipso genitum est, nisi spiritus, id est, Verbum? Sed dicet mihi : Quomodo genitum est? Explicationem quomodo tu genitus es non potes exprimere, quamvis quotidie vides causam humanam, et modum generationis non potes perfecte efferre : non enim licet tibi cognoscere artem ejus qui creavit, in experientia et usu positam, et non enarrabilem; sed solum videndo intelligere et credere quod opus Dei est homo. De Verbi autem generationis ratione quæris, qua Deus Pater generare voluit; generavit sicut voluit. Non satis est tibi scire quod Deus mundum condidit, nisi audeas inquirere quomodo condidit? Non sufficit tibi recognoscere, quod Filius Dei tibi apparuit ad salutem, si tamen id credis; sed insuper quomodo genitus est secundum Spiritum, curiose indagas? Atqui generationem ejus secundum carnem enar-

[1] Rom. VIII, 3. — [2] Joan. XVI, 28.

rare non pluribus quam duobus concreditum est; et tu audes generationem secundum Spiritum scrutari, quam apud se Pater servat, revelaturus tunc sanctis, qui ut faciem ejus videant digni erunt! Satis habe quod a Christo dictum est: *Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*[1]: sicut per Prophetam significat Verbi generationem quod genitus est: quomodo vero, reservat apud se in tempus certum ac præfinitum, cum illud revelaturus est. Sic enim ait: « Ex utero » ante luciferum genui te[2]. »

XVII. Sufficiunt hæc testimonia fidelibus veritatis studiosis, infideles enim nulli credunt. Etenim Spiritus sanctus ut terreret, in persona Apostolorum testatus est: « Domine, » quis credidit auditui nostro[3]? » Quamobrem ne simus infideles ne quando in nobis quod dictum est impleatur. Credamus igitur, fratres, secundum traditionem Apostolorum, quod Deus Verbum e cœlis descendit in sanctam virginem Mariam, ut ex ea incarnatus, sumpta anima humana, rationis inquam participe, factus omnia quæcumque homo est, excepto peccato, salvaret Adam qui ceciderat, et immortalitatem hominibus largiretur iis qui crederent in nomine ejus. In omnibus igitur demonstratum est nobis Verbum veritatis, quod unus est Pater, cujus adest Verbum, per quod omnia fecit, quod posterioribus temporibus, sicut superius diximus, misit Pater ad salutem hominum. Hoc per Legem et Prophetas prædicatum est venturum esse in mundum. Sicut ergo prædicatum est, sic præsens se ipsum manifestum fecit ex Virgine et Spiritu sancto novus homo factus, habens cœleste quod paternum erat, tanquam Verbum; terrenum vero tanquam ex vetere Adam per Virginem incarnatus. Sic in mundum egressus Deus corporatus apparuit, egressus perfectus homo. Non enim per fictionem, aut mutationem, sed vere factus est homo.

[1] Joan. III, 6. — [2] Psal. CX, 3. — [3] Isai. LIII, 1. Joan. XII, 38. Rom. X, 16.

XVIII. Sic igitur humana sua non recusat qui demonstrabatur esse Deus, cum esurit [1] et laborat [2], et defatigatus sitit [3]; cum formidans fugit [4], et super pulvinum dormit [5], qui naturam habet insomnem ut Deus; cum calicem passionis refugit [6], qui propter hoc in mundum advenerat [7]; cum in anxietate sudat [8], et ab Angelo roboratur, qui eos qui in eum credunt roborat, et opere docuit mortem contemnere; cum a Juda proditur [9], qui cognoscebat Judam quis esset [10], et a Caïpha inhonoratur [11], qui erat ab eo sacerdotio fungente, paulo ante, tanquam Deus honoratus; cum ab Herode spernitur [12] qui totam terram judicaturus est [13], et verberatur a Pilato [14] is qui infirmitates nostras suscepit [15], et a militibus illuditur [16] is cui astant millia millium [17], et decies centena millia Angelorum et Archangelorum; et a Judæis in ligno figitur [18], qui tanquam cameram cœlum fixit [19]; et clamans ad Patrem Spiritum commendat [20], qui est a Patre inseparabilis [21]; et inclinato capite expirat [22], qui dixit : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potes- » tatem habeo iterum sumendi eam [23]. » Quod autem non dominabatur ei mors qui vita erat, significavit cum dixit : « Ego a me ipso pono eam [24]. » Et latus lancea aperitur ei [25] qui vitam omnibus largitur [26]; et linteo involutus in monumento ponitur [27], qui mortuos suscitat; et tertia die a Patre excitatur [28], qui est ipse resurrectio et vita [29]. Hæc enim omnia nobis operatus est, qui propter nos factus est sicut nos. Ipse enim infirmitates nostras suscepit, et languores nostros portavit; et pro nobis dolet, sicut dixit Esaias pro-

[1] Matth. IV, 2. — [2] Id. XXVI, 37. — [3] Joan. XIX, 28. — [4] Id. IV, 3. — [5] Matth. VIII, 24. — [6] Id. XXVI, 39. Marc. XIV, 36. Luc. XXII, 42. — [7] Joan. XII, 27; XVIII, 11. — [8] Luc. XXII, 44. — [9] Matth. XXVI, 15. — [10] Id. V, 25. — [11] Ibid. 65 et seqq. — [12] Luc. XXIII, 11. — [13] Act. XVII, 31. — [14] Matth. XXVII, 26. Joan. XIX, 1. — [15] Isai. LIII, 4. — [16] Matth. XXVI, 67. — [17] Dan. VII, 10. — [18] Matth. XXVII, 35. — [19] Isai. XL, 22. — [20] Luc. XXIII, 46. — [21] Joan. XIV, 11. — [22] Id. XIX, 30. — [23] Id. X, 18. — [24] Ibid. — [25] Id. XIX, 34. — [26] Id. XI, 25; XIV, 6. — [27] Id. XIX, 40. — [28] Act. X, 40. — [29] Joan. XI, 25.

pheta [1]: Ab Angelis laudatus [2], a pastoribus visus [3], a Simeone expectatus [4], ab Anna testatus [5], a Magis quæsitus [6], a stella significatus [7], in domo patris versatus [8], a Joanne digito ostensus [9] cui Pater superne testimonium dedit, dicens: « Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite [10]: » hic coronatur [11] contra diabolum. Hic est Jesus Nazaræus, qui in Cana Galilææ ad nuptias vocatus, aquam in vinum mutavit [12]; et mare vi ventorum agitatum increpavit [13]; et super mare tanquam super terram siccam ambulavit [14]; cæcum a nativitate videre fecit [15]; Lazarum jam quatriduo mortuum excitavit [16]; varia miracula edidit; *peccata remisit* [17]; dedit Apostolis potestatem [18]; lancea ictus sanguinem et aquam ex latere fudit [19]. Propter hunc sol obtenebrescit [20], dies non illuminatur, rumpuntur petræ [21], scinditur velum [22], fundamenta terræ quatiuntur [23], aperiuntur sepulcra et resurgunt mortui; et principes pudore afficiuntur [24], cum vident in cruce eum qui universum ornavit, claudentem oculos, et tradentem spiritum. Hæc cum creatura videret, turbatur; et cum gloriam illius capere non posset [25], tenebras sibi obducebat. Hic insufflans dat discipulis Spiritum [26] et januis clausis ingreditur [27]. *Hic videntibus* Apostolis a nube in cœlum susceptus est [28], sedetque ad dexteram Patris [29], venturus judex vivorum et mortuorum [30]. Hic Deus et homo propter nos factus, cui omnia subjecit Pater [31]. Ipsi gloria et imperium cum Patre et sancto Spiritu, in sancta Ecclesia, et nunc et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Isai. LIII, 4. — [2] Luc. II, 13. — [3] Ibid. 16. — [4] Ibid. 25. — [5] Ibid. 36. — [6] Matth. II, 2. — [7] Ibid. 9. — [8] Luc. II, 49. — [9] Joan. I, 29 et 15. — [10] Matth. XVII, 5. — [11] Id. XXVII, 29. — [12] Joan. II, 9. — [13] Matth. VIII, 26. — [14] Id. XIV, 25. — [15] Joan. IX, 7. — [16] Id. XI, 44; XII, 17. — [17] Matth. IX, 2, 6. — [18] Id. XVI, 19; XVIII, 18. Joan. XX, 22. — [19] Joan. XIX, 34. — [20] Matth. XXVII, 45. — [21] Ibid. 51. — [22] Ibid. — [23] Ibid. 52. — [24] *Ibid.* 54. — [25] Ib. 45. — [26] Joan. XX, 22. — [27] Ib. 19. — [28] Act. I, 9. — [29] Hebr. XII, 2. — [30] Act. X, 42. 2 Tim. IV, 1. — [31] 1 Cor. XV, 27.

SANCTI HIPPOLYTI

HOMILIA IN THEOPHANIA.

I. Omnia certe Dei et Salvatoris nostri opera bona sunt ac bona valde, quotquot eorum vel oculus videt, vel mens cogitat, quotquot intellectus comprehendit, et humana natura capit. Quæ enim orbe cœlesti multiformior pulchritudo? vel quænam terrestri solo florida magis ac variegata extat species? quid celerius ad cursum curru solari? quænam alia lunæ sidere jucundior biga? ecquid vero dignius admiratione quam inenarrabile opus musivum astrorum? quid tempestivis ventis fœcundius ad frugum proventum? quodnam luce diurna specular purius, et ecquod animal præstantius homine? adeo omnia Dei et Salvatoris nostri opera bona sunt valde. Quodnam vero vel aquæ natura necessarium magis munus reperitur? nihil enim non aquis abluitur, aquis alitur, purgatur rigaturve : aqua terras fert, aqua rorem generat, lætificat vitem, spicam maturat, uvam acerbitate exuit, olivam emollit, palmulam edulcorat; aqua rosam rubeo pingit colore, violæ protrudit florem, lilium splendidis conspiciendum calicibus alit. Et quid multa verba facio? sine aquæ natura nihil rerum quas videmus consistere valet, usque adeo necessaria illa est, ut cætera elementa infra concamerationem cœlorum habitent, aqua etiam supra cœlos locum sibi ceperit : cujus rei testis Propheta : « Laudate, *inquit,* Dominum, Cœli cœlorum, et Aqua su- » pra cœlos [1]. »

[1] Psal. CXLVIII, 4.

II. Neque hoc tantummodo dignitatem aquæ evincit, sed et quod omnibus aliis rebus est venerabilius, opifex omnium Christus pluviæ in morem[1] descendit, ut fons[2] est cognitus, tanquam flumen[3] sese diffudit, et in Jordane baptizatus est. Jam enim audiisti quod ad Joannem venit Jesus et baptismum ab eo suscepit[4]. O res dignissimas admiratione! urbis Dei Deliciæ, infinitum Flumen exigua abluitur aqua: Fons incomprehensibilis, quæ vitam omnibus hominibus progerminat, et termino caret, a parvis et temporariis aquis obruitur: qui ubique præsens est nec usquam abest, incomprehensibilis Angelis, et ab hominum conspectu remotus, ad baptismum accedit, ut ipsi placuit. Hæc cum audis, dilecte, ne naturali more dicta accipe, sed per dispensationem apposita suscipito. Ideoque nec aquas latuit quod Dominus ex amore in homines se demittens in occulto operabatur; *viderunt* enim *eum aquæ et timuerunt*[5]. Parum abfuit quin exurgerent atque limitibus suis positis erumperent. Unde Propheta longo tempore ante hoc videns eas interrogat et ait: « Quid est tibi, mare, quod fugisti? et tu, » Jordanis, quod conversus es retrorsum[6]? » Illæ vero respondent: Omnium rerum Conditorem in forma servi vidimus, et hoc mysterium dispensationis cum ignoraremus, præ metu commotæ sumus[7].

III. Nos vero quibus œconomia illa cognita jam est, adoramus ejus misericordiam, quod venit servatum terram, non judicatum. Unde etiam Joannes præcursor Domini, cum hoc mysterium quod nesciverat antea edoctus cognovisset, quod vere Dominus esset, exclamavit ad hos qui ad eum baptizandi venerant: *Progenies viperarum*[8] quid in me tam vehementer intuemini? *non sum Christus*[9]: minister,

[1] Ose. VI, 3. — [2] Joan. IV, 14. — [3] Id. VII, 38. — [4] Matth. III, 13. — [5] Psal. CXIV, 3. — [6] Ibid. 5. — [7] Phil. II, 7. — [8] Matth. III, 13. — [9] Joan. I, 20.

non Dominus ego sum; privatus, non rex: ovis sum, non pastor; homo, non Deus. Sterilitatem matris meæ cum nascerer solvi, non virginitatem reliqui sterilem. Infra emersi, non desuper descendi. Patris linguam ligavi, non divinam gratiam explicui[1]. A matre agnitus, non a stella præsignificatus sum[2]. Tenuis ego et minimus : venit autem post me qui ante me est; post me quidem ratione temporis, ante me autem propter inaccessum et inenarrabile lumen divinitatis[3]. Venit fortior me, cujus non sum dignus portare calceamenta; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne. Ego potestati obnoxius, ipse per se potestatem habens. Ego peccatorum reus, ipse est qui aufert peccata[4]. Ego legem inculco, ille gratiæ lucem præfert. Ego ut servus instituo, ille judicat ut dominus. Mihi solum lectus est, ipse cœlum tenet. Ego pœnitentiæ baptizo baptismate, ille adoptionis donat gratiam. Ipse vos Spiritu sancto et igne baptizabit. Quid mihi attenditis? non ego Christus sum.

IV. Hæc Joannes ad populum cum dixisset, et hic arrectis capitibus expectaret novum aliquid spectaculum oculis corporis cernere, diabolo etiam ad hoc Joannis testimonium perculso, ecce dominus præsens adest simplex, solus, nudus, sine comitatu, humano corpore veluti veste indutus, dignitatemque divinitatis occultans, ut lateret draconis fraudes. Nec tantum ut Dominus sine regio satellitio ad Joannem accessit, sed etiam ut simplex homo et obnoxius peccatis caput suum inclinavit ut a Joanne baptizaretur. Unde ille videns tantam demissionem, rei admiratione stupens cœpit eum prohibere, atque ut modo audivistis ad eum dixit : *Mihi opus est baptizari a te, et tu ad me venis*[5]? Quid facis, Domine? doces quæ cum regula non bene congruunt. Alia de te prædicavi, et alia tu obis. Alia audivit diabolus et alia videt. Baptiza tu me igne divinitatis, quid

[1] Luc. I, 20.—[2] Matth. II, 9.—[3] Joan. I, 27.—[4] Ib. 29.—[5] Matth. III, 14.

aquam expectas? Illumina me Spiritu, quid rem creatam præstolaris? Me Baptistam baptiza, ut prærogativa tua nota fiat. Ego, Domine, baptisma pœnitentiæ baptizo, neque eos qui ad me accedunt possum baptizare, nisi peccata sua confessi prius fuerint. Etiamsi baptizare te velim, quid habes quod confitearis? Tu es qui tollis peccata, et baptismo vis baptizari pœnitentiæ? Etiamsi ego te baptizare sustinuero, Jordanes non audet propius ad te accedere. *Ego opus habeo a te baptizari, et tu venis ad me?*

V. Quid igitur ei Dominus respondet? « Permitte jam, » ita enim decet nos implere omnem justitiam. » *Permitte* jam, non es me sapientior. Tu ut homo respicis, ego ut Deus novi. Primum me oportet facere, atque ita docere. Nihil indecens obeo, decore totus indutus. Miraris, o Joannes, quod non veni cum dignitatis meæ insigniis? Privato enim non competit regia purpura, regem autem decet militaris ornatus : num adversus tyrannum et non ad amicum veni? At permitte nunc, ita enim convenit nobis omnem justitiam implere. Impletor Legis sum, nihil volo prætermissum ad totius impletionem relinquere, ut post me exclamare possit Paulus : « Impletio Legis Christus, in *justitiam* » omni credenti[1]. » Baptiza me, Joannes, ne quis baptismum aspernetur. A te servo baptizor, ne quis regum aut superiorum respuat a contempto sacerdote baptizari. Permitte in Jordanem descendam, ut audiant Patris testimonium, et Filii potentiam cognoscant. Permitte nunc, ita enim decet omnem nos implere justitiam. Tunc deinceps Joannes ipsi permittit : « Et baptizatus Jesus statim iterum » ex aqua ascendit[2], et aperti sunt ipsi cœli, et ecce Spiritus » Dei descendit specie columbæ, et super ipso mansit. Et » vox de cœlo, dicens : Hic est Filius meus dilectus in quo » complacui[3]. »

[1] Rom. x, 4. — [2] Matth. III, 15. — [3] Luc. III, 22.

VI. Vides, dilecte, quot et quantorum bonorum jacturam facturi fuissemus, si Joannis monitioni Dominus cessisset, et baptismum non suscepisset. Clausi enim erant antehac cœli, inaccessa supera regio. In inferiora descendimus, ad superiora autem non iterum ascendimus. Num solus vero Dominus baptizatus est? et veterem hominem renovavit, et sceptra adoptionis ipsi iterum credidit. Statim enim *aperti ipsi sunt cœli*[1]. Reconciliatio facta est visibilium cum invisibilibus, cœlestes ordines gaudio sunt impleti, sanatæ in terris ægritudines, res absconditæ quæ erant patefactæ sunt, quæ hostium erant in numero reddita fuere amica. Audisti enim Evangelistam dicentem: *Patefacti sunt ipsi cœli*, ob tria hæc admirabilia: sponso enim Christo baptizato oportebat cœlestis thalami splendidas portas aperiri. Similiter et Spiritu sancto in columbæ specie descendente, et Patris voce omnia percurrente loca, oportebat *portas attolli cœlestes*[2]. Et ecce aperti sunt ei cœli, et vox facta est dicens: « Hic est Filius meus dilectus in quo com» placui. »

VII. Amatus amorem generat, et lux immaterialis lucem inaccessibilem. *Hic est Filius meus dilectus*, qui infra apparuit, nec tamen a Patris sinu fuit separatus: apparuit et non apparuit. Aliud enim quod apparebat: siquidem prout apparuit, baptizans baptizato præstantior fuit; itaque Pater de cœlo Spiritum sanctum in baptizatum demisit. Sicut enim in arca Noë per columbam[3] significatus est Dei in homines amor, sic et nunc Spiritus, columbæ descendens specie, velut fructum portans oleæ super eum cui testimonium perhibebatur substitit. Quare? ut paterna etiam vox certa et firma esse constaret, et Propheticæ prædictioni multis ante temporibus factæ haberetur fides. Quænam illa? « Vox Domini super aquis, Deus gloria tonuit, Deus super

[1] Matth. III, 15. — [2] Psal. XXIV, 7. — [3] Gen. VIII, 11.

» aquis multis [1]. » Quænam vox? « Hic est Filius meus di» lectus in quo complacui. » Hic est qui Josephi nominatus est filius, et meus est unigenitus secundum divinam essentiam. Hic est Filius meus dilectus : esuriens ille, qui innumera alit millia : laborans, idemque recreans laborantes : non habens ubi caput reclinet suum [2], et omnia gerens manu [3] : qui patitur, et omnibus medetur passionibus : qui cæditur colaphis [4], et mundum donat libertate: qui in latere percutitur [5], et latus Adami corrigit.

VIII. Sed mentem, quæso, mihi accurate intendite; volo enim recurrere ad fontem vitæ, et fontem medelas scaturientem contemplari. Pater immortalitatis immortalem Filium ac Verbum in mundum misit, qui venit ad homines loturus eos aqua et Spiritu, et regeneraturus ad animæ corporisque incorruptibilitatem, inspiravit in nos Spiritum vitæ, et incorruptibili armatura nos induit. Si igitur homo factus immortalis est, Deus etiam erit [6]. Si vero per aquam et Spiritum sanctum a regeneratione ex lavacro Deus fit, comperietur etiam post resurrectionem e mortuis cohæres Christi esse [7]. Igitur præconis voce proclamo : Venite, omnes tribus gentium, ad baptismatis immortalitatem. Vitam vobis, qui in ignorantiæ caligine versati adhuc estis, fausto significo nuntio. Venite ex servitute in libertatem, ex tyrannide ad regnum, ex corruptione ad incorruptibilitatem. Et quomodo, inquit, veniemus? Quomodo? per aquam et Spiritum sanctum. Hæc est aqua cum Spiritu conjuncta, qua paradisus rigatur, terra pinguescit, incrementum plantæ capiunt, generant animalia, atque ut omnia compendio amplectar, per quam regeneratus homo vivificatur, qua Christus baptizatus est, in quam Spiritus sanctus columbæ specie descendit.

[1] Psal. xxix, 3. — [2] Luc. ix, 58. — [3] Hebr. i, 3. — [4] Matth. xxvi, 27.— [5] Joan. i, 34. — [6] 2 Pet. i, 4. — [7] Rom. viii, 17.

IX. Hic est Spiritus qui ab initio ferebatur super aquis[1], per quem mundus movetur, natura creata consistit, et omnia vitam accipiunt : qui in Prophetis operatus est[2], in Christum devolavit[3]. Hic est Spiritus specie linguarum ignearum datus Apostolis[4]. Hunc quærebat David cum dixit : « Cor in me purum crea, Deus, et Spiritum rectum in visce- » ribus meis innova[5]. » De hoc Gabriel ad Virginem : « Spi- » ritus sanctus superveniet in te, et potentia altissimi obum- » brabit tibi[6]. » Per hunc Spiritum Petrus beatam illam vocem effatus est : *Tu es Christus, Filius Dei viventis*[7]. Per hunc Spiritum firmata Ecclesiæ petra est[8]. Hic est Spiritus, Paracletus propter te missus, ut demonstraret Filium te esse Dei[9].

X. Accede igitur et regenerare, o homo, ad adoptionem in filium Dei. Et quomodo? inquit. Si non adulterium nec cædem commiseris, nec idola colueris; si non vincaris a voluptate; si non committas ut affectus superbiæ tibi dominetur; si sordes impuritatis abstergas, et onus peccati a te abjicias; si exuas armaturam diaboli et induas fidei thoracem[10], sicut Esaias : « Lavamini, *inquit*, et quærite judi- » cium, eripite oppressum, judicate orphano, absolvite vi- » duam : et venite et disceptemus, ait Dominus. Et si sint » peccata vestra sicut puniceus pannus, ut nivem dealbabo : » sique fuerint ut coccinum, dealbabo ut lanam. Et quando » vultis vocem meam audire, bona terræ comedetis[11]. » Vides, dilecte, quomodo Propheta baptismi vim purgativam prædixit. Qui enim cum fide in hoc regenerationis lavacrum descendit, renuntiat malo, et Christo se addicit. Hostem abnegat, at Christum Deum esse confitetur. Servitutem exuit, induit adoptionem. Redit ex baptismo splendidus ut

[1] Gen. I, 2. — [2] Act. XXVIII, 25. — [3] Matth. III, 15. — [4] Act. II, 3. — [5] Psal. LI, 12. — [6] Luc. I, 35. — [7] Matth. XVI, 16. — [8] Ibid. 18. — [9] Joan. XIV, 26. — [10] Ephes, VI, 14. — [11] Isai. I, 16 et seqq.

sol radios justitiæ effulgurans. Quod vero maximum est, revertitur filius Dei et Christi cohæres : ipsi gloria et potentia cum sacrosancto, bono et vivifico ejus Spiritu nunc sit et semper et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATIONES.

CONCORDANTIA

INTER BIBLIOTHECAM GALLICAM D. M. N. S. GUILLON, ET COLLECTIONEM SELECTAM PATRUM.

I. S. Clementis Alexandrini Stromatum libri septem in hoc Collectionis volumine continentur, a pagina 1 usque ad paginam 387. In Bibliotheca autem, tom. 1, a pag. 391 usque ad pag. 420, fragmenta librorum eorumdem reperiuntur; quibus addita est libri octavi mentio non mediocris.

II. S. Hippolyti, episcopi et martyris, opera a pagina 387 usque ad calcem Latini voluminis excusa, apud Bibliothecam Gallicam nonnisi breviter et summatim (pagina 448) memorantur, quippe qui eruditioni magis faveant quam eloquentiæ.

Annot. (1), pag. 115.

Ea quæ hic de Nicolao memorat Clemens, recitat Eusebius Eccles. Histor. lib. III, cap. 29. « De hoc autem, *inquit*, *Nicolao* » Clemens Alexandrinus in tertio Stromate hæc narrat ad ver- » bum; etc. » Eorumdem sensum Theodoretus in suum Hæret. Fabul. lib. III, c. 1, p. 226, 227, transtulit. Non est autem certum Nicolaüm diaconum eumdem esse ac Nicolaüm hæreticum, Nicolaïtarum patrem; quos plurimi et quidem doctissimi accurate distinguunt.

Annot. (2), pag. 128.

Respicit Clemens Philip. IV, 3. Cum Apostoli et alii veteris Ecclesiæ pastores in curandis et ad fidem convertendis fœminis fœminarum ope plerumque usi sint; de quo more consuli poterit Constitut. Apostol. lib. III, cap. XV; putabant nonnulli, Paulum hoc loco conjugem suam hortari, ut ei operi diligenter incumbe-

ret. Ignatius interpolat. Epist. ad Philadelph. cap. III, Paulum matrimonio junctum fuisse affirmat : « Petri, et Pauli, et aliorum » apostolorum, qui in nuptiis versati sunt. » Ubi conferri poterint quæ annotavit Cotelerius. Adjici merentur quæ annotavit Beveregius ad Apostol. can. V : « Ex hisce, *inquit*, verbis nihil » certius, nihil apertius esse potest, quam temporibus quibus » conditi sunt hi Canones, episcopos, presbyteros et diaconos » conjugatos esse. Nec mirum, cum Petrum et reliquos Apostolos uxores habuisse affirmet Basilius, De abdicat. ser. statim ab » initio; et ipse quoque Ignatius, Epist. ad Philadelph. p. 98, » edit. Usser. Hunc, fateor, Ignatii locum corruptum esse, ac nomen Pauli ab hæreticis intersertum esse, e MSS. nescio quibus » acriter contendunt Pontificii; sed incassum, ut probat *Jac. Armachanus* in Prolegomenis ad Ignatium, cap. XVII. *Ambrosius* » autem Paulum cum Joanne, eosque solos, excipit : « Omnes, » *inquit*, Apostoli, exceptis Joanne et Paulo, uxores habuerunt : » » Ambros. in 2 Cor. XI, 2. At Clemens Alexandrinus Paulum » etiam uxorem habuisse scribit Strom. III, ubi et Philippum » addit. De Philippo idem asserit et D. Chrysostomus, tom. V, » p. 147, edit. Savil. et ante eum Polycrates, Ephesinorum episcopus, in epistola ad Victorem Romanum, apud Euseb. Hist. » Eccles. lib. III, c. XXXI. At Philippum illum, qui quatuor habuisse filias dicitur Act. XXI, 9, non Apostolum, sed diaconum » fuisse, probat Isidorus Pelusiota, lib. I, epist. 147. »

Annot. (3), pag. 145.

Ramum hunc olivæ lana obvolutum et omni genere fructuum terræ onustum ferebat puer, et ante fores templi Apollinis ponebat in pyanepsiis; pueri reliqui accinebant hos versus ad famem arcendam. Herodotus in vita Homeri εἰρεσιώνην dictum etiam carmen quoddam docet.

Annot. (4), pag. 198.

Quod apud veteres Ægyptios *templa non habuerint simulacra*, memorat Lucianus in libro De dea Syria. Idem mos apud Persas veteres obtinuit, ut tradunt Herodotus et Strabo; ut etiam, teste Eusebio, apud Græcos usque ad Cecropis tempora. Nec Romanis

per annos CLXX ab urbe condita ullas fuisse deorum imagines, superius retulit Auctor, in Stromat. I. Nec ideo damnandus templorum et simulacrorum usus, ut dictum est præsenti operis tom. III, annotatione I.

Annot. (5), pag. 307.

S. Clemens, dum hic ait naturam Filii esse Omnipotenti conjunctissimam, non loquitur præcise de natura Filii, nec eamdem naturam considerat absolute prout in seipsa est, sed relative sive personaliter, in quantum hypostasin significat : vox enim qua hic utitur, accipitur quandoque a veteribus sicut vox ad significandam personam. Quare S. Clemens hic nihil aliud vult dicere, nisi quod Filius proxime accedat veluti Divinitatis fonti, non vero naturam Filii esse inferioris conditionis a natura Patris; uti ex subsequentibus verbis ejus clare apparet.

Annot. (6), pag. 308.

S. Clemens, dum hic dicit Deum pro aptitudine uniuscujusque divisisse suum beneficium, seu gratiam, loquitur de gratia pure externa, scilicet prædicatione verbi Dei, et instructione, quam pro cujusque aptitudine Græcis æque ac Barbaris divisit Deus. Et quando dicit homines habere sufficientes vires ad obediendum mandatis divinis, loquitur de potentia remota, quæ ratione liberi arbitrii omnibus inest, absque eo quod necessitatem gratiæ excludat, quæ ad proxime agendum requiritur.

Annot. (7), ibidem.

Divinitatem Verbi divini S. Clemens hic aperte astruit, uti legenti patet : dum autem dicit Filium Dei Patris voluntati servire, nullam in Verbo imperfectionem arguit, uti putat P. Petavius; nam si qua in Filio subordinatio ad Patrem apparet, cadit super personam Filii, qui carnem induens veluti minister voluntatis Patris effectus est, animam suam ponens pro salute nostra : non cadit autem super naturam Filii, quæ cum sit una, et eadem cum natura Patris, hanc subordinationem admittere nequit.

ANNOT. (8), pag. 314.

Ex toto hoc contextu manifeste apparet S. *Clementem* non rejicere sacrificium Eucharisticum novæ Legis, de *quo ob disciplinam arcani*, ne gentilibus nostra mysteria panderentur, *et ab iis* profanarentur, silet; sed tantum rejicere sacrificia legalia et gentilium, quibus solum ejus dicta conveniunt.

ANNOT. (9), pag. 342.

Pro hac S. Clementis doctrina nemo spondebit, cum ex circumcisione S. Timothei ne probabiliter quidem probetur, *utpote* quam S. Paulus ex sola indulgentia, non vero *ut mentiretur*, permisit; circumcisio enim tum temporis nedum erat omnino vetita, nec in seipsa mala : mendacium autem ex natura sua malum est, nec ad conservandam vitam mentiri unquam licet.

ANNOT. (10), pag. 395.

Quod Antichristus ex tribu Dan nasciturus sit ad summum simplicis cujusdam conjecturæ fidem meretur, quæ cum nonnisi metaphorico sensui sacræ Scripturæ innitatur, facile elidi posset.

ANNOT. (11), pag. 413.

S. Hippolytus audiri non meretur, cum ait Antichristum venturum in postrema septuaginta hebdomadarum Danielis, utpote quæ jam finem habuit in primo Christi adventu, in quo omnes circumstantiæ ibi notatæ in excidio Jerosolymitano, templo everso, et veteri sacrificio abrogato, impletæ fuerunt.

ANNOT. (12), pag. 414.

Quonam præcise tempore Enoch et Elias adventuri sint, et quot diebus terram inhabitaturi, quæstiones sunt, quarum certam solutionem Spiritus sanctus nos latere voluit; nec *illud* S. Hippolytus determinare potuit, qui in sensu litterali sacræ Scripturæ exponendo non admodum excelluit.

INDEX TOMI QUARTI.

S. CLEMENS ALEXANDRINUS.

STROMATUM LIBRI SEPTEM.

S. HIPPOLYTUS.

EXPLICIT INDEX.